Estante 34 Plúteo 3
La Merced —BURGOS.

MHSJ 1º

MONUMENTA HISTORICA SOCIETATIS JESU

HISTORIA SOCIETATIS JESU

7300-1

VITA
IGNATII LOIOLAE
ET
RERUM SOCIETATIS JESU
HISTORIA

AUCTORE JOANNE ALPHONSO DE POLANCO
EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE

TOMUS PRIMUS

(1491—1549)

COLEGIO
DE LA MERCED
BURGOS

COMUNIDAD DE JESUITAS
BIBLIOTECA
BURGOS



MATRITI
EXCUDEBAT TYPOGRAPHORUM SOCIETAS
Sub patrocinio Sancti Francisci Salesii constituta.

1894

PRAEFATIO

Bes a Societate Jesu sub Ignatio, ipsius Societatis conditore, gestas enarrare Patre Joanne de Polanco melius nemo poterat. Norunt id quibus Ignatii vita cognita est. In gratiam tamen eorum, quibus Polancus noster ignotus forte est, quae de ipso scripsit Sotwellus hic subjungemus: "Joannes Polancus, natione Hispanus, patria Burgensis; Humanioribus Litteris excultus, et Philosophicis etiam disciplinis in Parisiensi Academia eruditus, Romam venit, ubi Scriptor (ut vocant) Apostolicus factus, in ipso juventutis flore, ab Jacobo Laynio exercitationibus spiritus formatus, animum appulit ad nostram Societatem anno salutis 1541. Deinde Patavii Sacrae Theologiae dedit operam magno ingenio, gravi judicio, labore assiduo, quibus praesidiis eo evasit, ut a gravi illius saeculi scriptore, Guilielmo Eysengrein in *Catalogo Testium veritatis* ad A. C. 1560, ex merito appelletur *Vir doctrina, et eloquentia clarus, Orator facundus, Philosophus gravis, Sacrarumque litterarum scientia nemini secundus*. Postea Romam a S. P. nostro Ignatio revocatus, post magnam Bononiae, atque in Etruria factam frugem animorum, omnium per novem annos consiliorum, actionum, totius denique gubernationis praecipuus Minister illius atque adjutor fuit. Et cum esset publicus Societatis Secretarius, cui omnia committebantur arcana, concionibus, sacrisque lectionibus simul operam dabat; idemque et Christianae Doctrinae et Procuratoris Generalis officium administrabat; nec tamen a culina, tricliniique muneribus erat immunis. Anno 1549, sacro Annuntiationis Angelicae die, gradum ad solemnem quatuor votorum professionem fecit Romae; eique Ignatius cum seces-

sum a negotiis aliquem sub extrema vitae exspectaret, administrationem Societatis pene uni permisit. Sancto viro in coelum sublato, apud Jacobum Laynium (cujus etiam pro Hispaniae Provinciis Assistens fuit, et Admonitor, et Secretarius, unaque diu Generalis Procurator ; qui cum etiam profectus in Gallias anno 1561, publice Parisiis cum Sectariorum primariis disputavit, et cum eodem mox Tridentum progressus, inter theologos peregit sententiam, tam docta, et graviter culta oratione, ut ex merito ferret approbationem ; cum dicerent vulgo, ea demum dignitate, ac majestate summas, ac divinissimas res tractari aequum esse), et apud S. Franciscum Borgiam, qui proxime in Generalatu Laynio successerat, eumdem locum tenuit. In gubernanda namque Societate, illi Joanne Polanco plus utebantur nemine. Ille a secretis erat, ille omnium litteris, et consultationibus respondebat, ille negotiorum, ille vel rei familiaris curam gerebat; ut unus omnium fere obire officia, et suis humeris universam quodammodo Societatem sustinere videretur, exquisita obedientia, diligentia singulari, rara patientia atque modestia. Illud praeterea saepenumero non absque admiratione animadvertimus, in ipso maximarum occupationum concursu, eumdem semper vultum, eamdem semper in Joanne Polanco frontem fuisse. Post obitum Sancti Patris Francisci Borgiae factus est Vicarius Generalis, praefuitque Congregationi Generali, qua Pater Everardus Mercurianus Praepositus creatus est; a quo missus in Siciliam, ut Provinciam illam visitaret, suo munere egregie perfunctus Romam rediit: ubi haud multo post ex morbo decubuit, et optime de Societate atque adeo de universa Ecclesia meritus, sexagenario major e vita decessit die 21 Decembris anno salutis 1577.„ Hucusque Sotwellus in *Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu* edita anno 1676.

Quae de Vita Ignatii et de Societatis initiis scripta reliquit, quaeque hic primum publica luce donare aggredimur, cum non sint ad omnes conscribendae historiae regulas composita, proprie et vere historia dici non debent, sed rerum non omnino inordinata congeries, quae ad historiam Ignatii et Societatis faciunt; nec eam auctor historiam appellavit, sed alius, qui post ipsum voluminibus his manu scriptis titulos apposuit.

Sunt autem haec volumina quatuor; quorum tria magnitudi-

nis, quae *folio minor* appellatur; quartum vero, primo inserendum, est in 4.° Totum in iis unius amanuensis manu, de quo quis fuerit nobis adhuc certo non constat, exaratum est; in pluribus tamen foliis, initio praesertim, auctoris manus aliquid addens aut emendans apparet.

Materiem, ejus ordinem et quem tenuerit in scribendo scopum, declaravit ipse Polancus sequentibus verbis propria ipsius manu scriptis in charta, quae primi voluminis initio assuta est:

" DELLI SCRITTI MIEI APPERTENENTI ALL' HISTORIA DELLA COMPAGNIA

„ Prima, lascio 16 fogli di Carta, dove si contiene la vita de nostro P. Ignazio insino alla deliberazione di far la Compagnia, et questi soli sono revisti.

„ 2.° Seguitano quasi duo alfabeti in 4.° quali cominciano delle missioni del 39 incirca (perchè alcuni paragraphi notati con una linea nel margine intrano nelli 16 fogli detti, scritti in ultimo, se ben le cose siano le prime) insino al fine del 48, et li primi fogli et anni vanno a modo de chronico alquanto breve; nel progresso, per l' ordine de nostro Padre, de mettervi cose che potessino servire per ricordo alla pratica del governo, cominciai a slargarmi et mettervi etiam alcuni successi et cose non edificative, benchè al fine detto serva loro cognizione: questi 10 anni stanno in 40 fogli in 4.°, com' ho detto.

„ 3.° Dopoi, cominciando dal principio de 1549, insino al anno de 1556 finito, in foglio come li primi 16, altri 754 fogli di carta, quali comprendono solamente otto anni del progresso della Compagnia.

„ 4.° In fora delli primi 16 fogli della vita del P. Ignatio, et alcuna poca parte delli altri 40, tutto il resto più presto si intende esser un estracto che l' historia istessa. Et quello che pensavo io far con ordine dell' obedienza è questo: cavar in primo loco una historia universale et vero chronico delle cose degne de memoria, quale potesse servir per quelli della Compagnia et di fuora, al modo che sono li 16 fogli della vita de nostro Padre Ignatio, et alcuni delli altri 40. — In 2.° loco si può cavar (et io pensava farlo havendo tempo) l' historia particolare de tutte le case et Collegii della Compagnia separatamente, et toccando più in specie le cose di questo estracto, acciò potessino legerle quelli delli istessi Collegii, et altri che avessino particolar desiderio di saper delle cose di tali case et Collegii: et perchè li anni sono distincti, et notati per la maggior parte et quasi per tutto gli titoli delle provincie, case et Collegii, era facil cosa metter insieme gli annali de ogni loco *seorsum*. — Loco 3.°: si potrebbe cavar la historia d' alcune particolari persone principali della Compagnia, et per facilitar questo, pensava metter al

margine del estracto, in poche parole, la somma delle cose contenute nel texto, dove si toccarebbono le persone. — 4.° loco : si potriano cavar alcune observationi nell' istesso successo historiale, quali servissero per quelli che governeranno per l' avvenir, advertendo al passato.

„ 5.° Il modo che io pensavo tener è questo : prima, nel reveder l' estracto, notar le cose che sono per l' universale historia con segno *V*, et dopoi quelle della particolare con segno *P*, et dopoi per l' historia delle persone particolari bastarebbe ciò che è al margine, et per alcune cose il segno *S* : quanto all' observationi il segno *O*. Et con linee in alcun modo si potrebbe notar al margine ciò che appartiene ad uno o ad un altro capo. Et questo effetto, facevo conto che, essendo visto et al margine notato, come ho detto, restassi in mano del superiore, non d' altro, per le cose che contiene, non da vedere da tutti.

„ 6.° Saranno molti errori in questo estracto, perche non l' ho reletto dopoi che lo dittai, et in cose revise nelli primi 16 fogli posso veder che ci saranno infiniti falli ; et pur la substanza si potrà, credo, trovare. Alcune cose si potrebbono aggiungere, et per ciò serviranno alcune lettere, che non mi furono date a tempo, et alla revisa si sono servate.

„ 7.° Pensavo ancora alla revisa reservare de veder le copie de' contracti per le historie particolari de case et Collegii, et li Cathalogi de' nostri con l' informazioni per l' historie delle persone, et in parte per l' universale. Et questo è in somma il disegno de questi scripti, dove ci sono le cose, et l' ordine de tempi et lochi, non stilo nè ornato alcuno.|

Titulus in secunda pagina superscriptus: " Ciò che si contiene in questi estracti historiali et il disegno che si teneva in quello. „

Primo volumini affixus est titulus : *Vita Ignatii* | *Loyolae* | *et* | *Rerum Societatis* | *Jesu* | *Tomus primus* | *anni* | *1549, 1550, 1551* | *Joanne Polanco auctore* |

Nos autem, ne nimium excrescat, in primo hoc nostro ea tantum, quae ad annum usque 1549 gesta sunt, comprehendemus.

Et in paginarum ima ora, ubi opus sit et nobis licebit, documenta indicabimus, ex quibus ea quae narrat deprompsit Polancus; libros item, quos adire ii poterunt qui hanc historiam amplificare, confirmare aut in quibusdam emendare volent, designabimus. Quo fiet ut sua stet tanti viri scriptis auctoritas et melius, tutius, faciliusque iis uti quisque possit.

DE VITA P. IGNATII

ET

SOCIETATIS JESU INITIIS

CAPUT PRIMUM

DE REBUS P. IGNATII ANTEQUAM AD VITAE NOVAE INSTITUTIONEM A DOMINO VOCARETUR

IGNATIUS de Loyola, quem divina Providentia in primum auctorem ac institutorem Societatis Jesu assumere dignata est, ex Cantabriae parte, quae in Pyrenaeis montibus est, quam Guipuzcoam, et peculiari nomine Provinciam vocant, ortus est. Ejus pater Beltramus, nobilium domorum Loyola et Oñaz dominus, qui ab eisdem cognomen habuit, vir illustris, et magnae auctoritatis fuit. Utraque autem praedicta domus in districtu est oppidi Azpeitiae; nam pro more ejus regionis, extra oppida, ad modum villarum, domus nobilium ab antiquissimis saeculis sitae sunt, inter quas, clariores familiae *parentum majorum* dicuntur, quos velut capita multae aliae sequi solent; et utraque, scil. Loyola et Oñaz, familia hujusmodi est. Aliqui anno a nativitate Domini 1491 natum Ignatium censuerunt, qui eius nutricis sententiam secuti videntur; sed si eidem Ignatio de vitae suae et de conversionis annis credendum est, potius (ut ego quidem sentio), natus est ille anno Domini 1495

sub rege Ferdinando V et Isabella, regibus Hispaniae catholicis [1].

Susceperat autem Beltramus ex D.ª Marina Sonae [2], uxore sua pernobili, praeter quinque filias, octo etiam filios, quorum ultimus Ignatius fuit; cujus institutio, prout illa tempora et mores ferebant, potius juxta mundi hujus quam Dei spiritum peracta est.

Cum enim legere tantum et scribere didicisset, in curiam regis missus, in ejusmodi ministeriis, quibus pueri nobiles et aulici solebant, est versatus; postquam autem adolescens effectus est, usque ad 26 aetatis annum, domino Antonio Manrique, duci Nagerae, cujus Loyolae domus valde addicta erat, se adjunxit, et toto hoc tempore vitam nihil minus quam spiritualem duxit: et ut juvenes aulici et militari studio dediti saepe facere solent, satis liber in mulierum amore, ludis, et concertationibus honoris causa susceptis, vixit [3].

Erant tamen in illo quaedam naturalia Dei dona non vulgaria ; nam in primis animosus valde ad res arduas aggrediendas, et constans ad persequendas, et prudens ad easdem dirigendas exstitit; cujus documentum in rebus multis, licet saecularibus, eo tempore dedit; et quamvis juvenis esset, ad tractandos hominum animos, dexteritatem etiam tunc habebat ; et cum aliquando a praedicto Duce Nagerae (qui et Navarrae prorex erat), in Provinciam Guipuzcoae ad quasdam discordias, quibus ea exagitabatur, componendas missus esset, ejus in hac parte industria non parum eminuit; eam enim tenuit rationem,

---

1 Controversiam hanc de anno nativitatis Sancti Ignatii vide, sis, in *Boletin de la Real Academia de la Historia,* tom. XVII, pág. 517-518. Madrid, 1890. — A plerisque nunc indubitandum habetur natum fuisse Ignatium 25.ª Decembris 1491. Et in hac sententia prius fuisse ipse Polancus infra videbitur. – De Sancti Ignatii patre, matre, cognatis, et genere multa invenies in libris Patris Moret, S. J., quibus titulus *Anales de Navarra,* et plura adhuc in libro, quem de hac unice re scriptum reliquit, Cantabrarum rerum diligens investigator, P. Gabriel de Henao, qui liber, ab auctoribus *Bibliothecae scriptorum Societatis Jesu* ignoratus, nondum praelo mandatus est.— Genealogicum familiae stemma edidit nuper P. L. Michel, *Vie de St. Ignace,* Bruges, 1893. Nos aliud magis absolutum et ad nostra usque tempora deductum hic edemus.

2 Ita, et quidem clarissime, in originali, nec emendatum ab auctore, qui plura in hac pagina addidit et mutavit. Est tamen scribae mendum pro *Saenz.*

3 De S. Ignatii gestis, antequam Naxerae Duci se adjunxisset, vide quae solerti diligentia congessit P. Fidelis Fita, S. J., in *Boletin de la Real Academia de la Historia,* tom. XVII, pag. 492-520, et tom. XVIII, pág. 75-78; aut ex his desumpta a P. L. Michel, *Histoire de St. Ignace,* tom. I, pág. 338.

ut utramque factionum partem, cum magna ipsarum satisfactione concordem reliquerit. Et in universum, cum ad aliquid manum admovebat, strenue admodum id ad optatum effectum deducere solebat; quamvis propter ignorantiam rerum divinarum, hoc talentum a Domino acceptum, interdum non bene collocabat. Sed ad res magnas propensus, et vigore animi et corporis idoneus cernebatur; et quidem ejus fortitudo, et constantia in rebus etiam bellicis et non tantum in privatis concertationibus enituit; et quia hac occasione divina bonitas Ignatium a vita saeculari ad suum servitium vocavit, referenda res est.

Carolo V ad imperii coronam suscipiendam in Belgium ac deinde in Germaniam, mox Hispaniam recedente, regni Navarrae proceres ad Henricum de Labrid, Bearnae Principem, in paterno regno reducendum aspirabant, et ipsius Regni Navarrae animi ad id inclinabant; et quoniam propter bella civilia Hispaniae, ubi plebs contra Regem et nobiles a Rege sua arma sumpserant, haud exiguus miiitum manipulus ex Navarra eductus fuerat, ut contra hostium exercitum nobilitati serviret [1], rex Franciscus I rei bene gerendae occasionem nactus, misit cum exercitu Andream de Fox, vulgo de Sparrosi dominum [2], cui cum factionis agramontensium plurimi occurrissent, et aliqui etiam ex contraria factione biamontensium suas vires cum Gallis conjunxissent, arcem, quam *Sancti Joannis ad pedem portus* vocant, occuparunt, et inde, nemine contradicente, Pompejopolim, vulgo Pamplonam, venientes,

---

1 Tota haec periodus in margine manu ipsius Polanci addita est, et quia plura vocabula lineis super ductis deleta sunt et charta atramento corrosa et usu attrita, nonnulla desunt, ut sensus plenus sit et clarus, necessaria verba. Legimus enim : *et bella civilia Hispaniae, ubi plebs contra Regem et nobiles a Rege sua arma sumpserant, et militum ex Navarra educto, ut contra hostium exercitu nobilitati serviret, Rex Franciscus, etc.* Verbis autem a nobis additis et mutatis, sententia evadit similis illi, quae in sequenti paragrapho *Historiae Hispaniae* a P. J. de Mariana scriptae, *Sumario,* a. 1521, continetur : "De las Comunidades de Castilla resultó una nueva guerra en Navarra : la ocasión fué que los nuestros habian echado por tierra los años pasados casi todos los castillos de aquel reino, y el año antes de éste, para acudir á las Comunidades, despojado aquel reino de artillería y de soldados. El rey Francisco de Francia, con deseo que tenía de restituir á Enrique de Labrit en el reino de sus antepasados, y por no dejar pasar la buena ocasión que para esto se ofrecía, envió un grueso ejército por aquella parte, y por su caudillo á Andrés Esparroso, hermano menor de Odeto, señor de Lotrech. (Odet de Foix, vicomte de Lautrech.)

2 André de Foix, seigneur de Lesparre.

eam etiam, quae regia Navarrae est, sine cujusvis resistentia sunt consecuti. Nam prorex Antonius Manrique, abductis militibus praesidiariis, inermis relictus, imo direpta ejus domo, 17.ª maji 1521, Pompejopoli excessit ut a nobilibus Castellae auxilium ad recuperationem ejus regni, quod ad Henricum Bearnae Principem defecerat, obtinere niteretur.

Reliquit autem Pompejopoli Ignatium cum paucis aliis sub D. Francisco de Biamonte [1], ut id faceret quod ab ipso injunctum esset; sed cum ille etiam Pompejopoli recederet, quod videretur sibi resisti non posse gallorum viribus, cum etiam civium animos ad Henricum admittendum propensos magna ex parte intelligeret, erubescens Ignatius hujusmodi egressum, qui fugae similitudinem habebat, noluit D. Franciscum sequi, imo coram illis ipsis qui recedebant, arcem ingressus est, ut cum paucis qui in eadem erant, eam defenderet; quidam etiam vir strenuus, qui cum Ignatio de honore contendere solitus erat, ejusdem etiam defensioni dare operam voluit. Sed cum inter illos qui arcem defensuri erant, de ea gallis tradenda ageretur, quod tam pauci defendere illam minime possent, et in consilium ad hoc ipsum convenissent, cum reliqui seniores, qui sententiam dixerant ante Ignatium, deditionem faciendam censuissent, quandoquidem arx defendi non poterat; Ignatii sententia fuit: potius moriendum in ipsa defensione quam arcem dedendam esse. Et cum arcis praefectus ex illa egrederetur, ab hostibus ad colloquium vocatus, ut de honesto aliquo pacto tractaret, inter tres alios, quos secum eduxit, Ignatius etiam fuit, qui conditiones a gallis oblatas, quod parum honoratae viderentur, sic sociis dissuasit, ut ad arma sumenda et resistendum hostibus praefectum ac reliquos animaverit : sed cum gallorum exercitus, bellicis tormentis ad arcem subvertendam (quae tunc parum munita erat) admotis, muros effringere coepit; nihilominus qui erant in arce, exemplo et hortatu Ignatii eam defendere perseverarunt; donec pila quaedam, a valida excussa bombarda, murum ea parte percussit quam Ignatius defendebat, et crus ejus dexterum in plures partes comminuit; sinistrum etiam laesum fuit, ut probabile est, a saxis bombarda disjectis; sed os illius confractum non est. Tunc galli arcem occupantes, in terra

---

1 De Beaumont.

prostratum Ignatium invenerunt, et quia multis notus erat, in urbem eum eduxerunt, et ipsimet adversarii, medicis et reliquis necesariis adhibitis, ejus curam egerunt.

Animi etiam generosi ac christiani signa in eo multa semper observata fuerunt; et ut pauca tantum referam, ante hunc gallorum adventum, cum civitas Nagerae contra suum Ducem arma coepisset (apud quem Ignatius tunc versabatur), cum exercitu ille civitatem ingressus, in punitionem rebellionis eam diripiendam militibus reliquit : quamvis autem Ignatius inter primos ad urbem recuperandam strenuam operam dedisset, nihil tamen de praeda, quam uberem habere potuerat, attingere voluit, nec enim id honorificum esse, ac se decere arbitrabatur ; et quamvis idem, honoris gratia, cum multis saepius armis certasset, neminem unquam odio prosequutus est ; minus utique contra Deum verbum ullum blasphemiae fuit ab ipso unquam auditum, licet aliquando in afflictiones et labores multos incidisset; imo cum Pompejopoli de acceptis crurium vulneribus curaretur, et ab adversariis humaniter visitaretur, tantum aberat ut indignatione vel odio quemquam prosequeretur, ut liberaliter potius et amanter quod habebat, huic scilicet scutum, illi pugionem, alii suam loricam donaret.

Cum autem graviora essent ejus vulnera quam ut facile aut brevi tempore curari possent, ipsimet adversarii in lectica Ignatium deducendum ad domum Loyolae, non procul distantem, curaverunt, ubi magna cum diligentia crus ejus dexterum, quod comminutum diximus, curatum est, et magnum ille virilis animi atque patientis specimen in difficili illa curatione praebuit ; quod enim non bene coagmentata ossa fuissent, disjungi denuo et summo cum dolore curari debuerunt, et eo redactus est Ignatius, ut mortem illi imminere ipsa vigilia Sti. Petri medici praedicerent, si ante mediam noctem melius habere non coepisset. Colebat peculiari devotione S. Petrum Ignatius, quem etiam hispanicis carminibus in ejus laudem compositis, veneratus fuerat. Ab ipso ergo eadem illa nocte se adjutum esse sensit, imo id videre sibi videbatur [1] ; statim ergo multo melius habere coepit. Sed jam extra periculum constitutus et pene sanitati restitutus animadvertit sub genu os non

---

1 Verba haec *imo id videre sibi videbatur* manu ipse propria inseruit Polancus.

bene coagmentatum prominere, et cum ad deformitatem id non parum facere judicasset (juvenis alioquin cultui ac ornatui eleganti pro nobilium more deditus), quamvis intellexit sine maximo dolore os illud abscindi non posse, posthabendum dolorem decori censuit; et non vulgarem animi fortitudinem atque patientiam ostendit, dum nec teneri ab aliis vel ligari voluit, nec ullam querelae vocem aut signum impatientiae inter acerbissimos dolores in osse abscindendo dedisset, sicut etiam in crure machinis quibusdam extendendo, quod altero brevius erat; nec tamen post eum cruciatum omnino sinistro aequari potuit; et ita aliqua ejus claudicatio in progressu temporis observari potuit, quae tamen usque adeo exigua fuit, ut vix ab eo qui non attente eam considerasset, deprehenderetur. Ipsimet tamen ad recordationem accepti a Deo beneficii velut monimentum quoddam perpetuo fuit.

CAPUT SECUNDUM

DE NOVA VITAE RATIONE A P. IGNATIO INSTITUTA

Jam inde ab eo tempore, quo in curatione corporis Ignatius versabatur, ejus animum coelestis ille medicus curare coepit. Nam cum utriusque cruris dolores mitigati quidem essent, et tamen plena curatio in tempus longum extraheretur, ut tempus lectione falleret, libros aliquos legendos postulavit; et cum de vita Christi et sanctorum duo libri, hispanico sermone scripti, fuissent ei oblati, eorum quae legebat occasione, variae cogitationes a bono et malo spiritu immissae, ejus mentem subire coeperunt; et aliquando inspirationes validas ut se totum divino servitio manciparet, et ea quae legerat imitaretur, in se sentiebat; interdum vanae et ad mundi gloriam et magnitudinem tendentes suggestiones illis succedebant. Ut enim erat animo magno, in utravis parte semper ad magna propendebat; nec ullum poenitentiae genus a sanctis susceptum legerat, quod ipse imitari se posse diffideret; et tunc ut tyro, in spirituali militia rudis, hujusmodi poenitentias ac asperitatem propter Deum susceptam, praecipuam sanctitatem esse existimabat; et cum in rebus spiritualibus se parum admodum in

anteacta vita exercuisset, tam a mundanis quam a bonis cogitationibus in hoc initio se agitari sinebat ; sed paulatim observare coepit principia et exitus hujusmodi cogitationum ; et animadvertebat cogitationes a bono spiritu immissas, et ad Dei obsequium tendentes, praeterquam quod bonae essent, mentem ipsius quadam refectione et consolatione quasi solido cibo replere ; mundanas contra, licet jucundae viderentur dum animo pertractabantur, ut vanae erant, ita vacuam et sine satisfactione sui animam suam relinquere. Sed die quodam ejus animus multo plenius a Deo illustratus, clare discernere bonum a malo spiritu, et utriusque effectus coepit ; deinde successu temporis et experimentis rerum spiritualium edoctus, regulas illas de discernendis spiritibus, de quibus in libro exercitiorum spiritualium agitur, adnotavit.

Tunc autem de vitae mutatione facienda, et se toto Dei servitiis mancipando, apud se fixe proposuit (quamvis nulli hominum id aperuit) et de profectione Hierosolymitana ac prius de carnis suae castigatione, et honoris abnegatione, omnique prorsus abjectione et asperitate non solum cogitavit, sed apud se etiam id facere omnino statuit. Deo enim placere magnopere cupienti, haec media propter ipsius amorem suscipienda, meliora non experto, occurrebant. Nec parum in bono proposito fuit confirmatus ex visione B. Virginis, quam noctu (vigilans tamen) cum puero Jesu videre sibi visus erat ; ex qua hic effectus consecutus est, ut postea omnia illi saecularia in fastidium versa fuerint, et ardens castitatis desiderium inde conceperit, quam B. Virgine mediatrice sic observavit, ut quamdiu vixit, corpus mentemque ab omni carnis impuritate immunem custodierit.

Reparatis utcumque viribus, domum ac patriam relinquendam sibi existimans, ad monasterium B. Virginis Montis Serrati in primis ire decrevit. Aderat in domo Loyolae frater ejus natu major, Martinus Garcia, praedictae domus ac familiae caput (nam pater Beltramus jam pridem obierat), qui, ex mutata colloquiorum ratione et occupationum in legendis ac scribendis rebus piis, ejus animi mutationem subolfaciens, seorsum Ignatium compellans, commonere eum coepit, ut videret quomodo se gereret, et generi suo et summae omnium expectationi de ipso conceptae satisfaceret, et quem tenere coeperat

vitae cursum, ad gloriam et omnia magna consequenda accommodum, sequeretur ; sed Ignatius, ab eo se expedire volens, memorem se fore omnium, quae oportebat, dicens, et ad Ducem Nagerae se pergere simulans, domo profectus est, et statim duos famulos, qui eum comitabantur, domum remittens, ac solus versus Montem Serratum pergens, singulis noctibus se flagellis acriter caedere etiam in via incoepit. Cum enim liberam admodum vitam juvenis egisset, poenitentiam sibi agendam esse, et quidem primo quoque tempore inchoandam existimabat ; ejus tamen intentio potius ad Dei honorem quam ad evitandam suis peccatis debitam poenan semper tendebat; mente autem in itinere ea pertractans quae ad profectum in spirituali vita, quam instituebat, facerent, cum gravissimum periculum sibi imminere partim a carnis illecebris, partim ab honoris et gloriae desiderio, videret, ut qui saepius ab his hostibus se vulneratum meminerat, contra hos duos adversarios sibi arma sumenda intelligens, contra priorem votum castitatis perpetuae in hoc ipso itinere emisit, et cum vir esset sine litteris et alioquin peculiarem affectum erga Dei Matrem gereret, eidem Beatae Virgini votum praedictum obtulit ; et ejus simplicem ac bonam intentionem Deus per eamdem B. Virginem admisisse visus est, et per eamdem, non utcumque, sed modo altissimo, hoc castitatis donum ei perpetuo, ut diximus, conservavit.

Ut autem videatur quantum sit Dei beneficium in via Dei magistrum et instructorem habere, referam quod novo adhuc et rudi tyroni accidit, cujus tamen bonae voluntati Deus adfuit. Cum solus versum Montem Serratum iter faceret, Saracenum quemdam (neque enim eo tempore ex Regno Valentiae exire adhuc omnino jussi fuerant) invenit, qui se ipsi comitem adjunxerat, cum quo de B. Virginis Mariae virginitate loquebatur, sed ille ante partum fuisse virginem admittebat, post partum negabat ; cum autem Ignatius quibus rationibus poterat persuadere conaretur, Saracenus, in sua sententia perseverans, Ignatio a tergo relicto, propere ad vicinum quoddam oppidum pergebat ; tunc Ignatius, qui militari adhuc spiritu (qui familiaris ipsi tamdiu fuerat), res etiam spirituales considerabat, honori B. Virginis Mariae se non satisfacere suspicabatur, si injuriam illam, a Saraceno ejus immaculatae

virginitati factam, inultam reliquisset ; alia ex parte rationi consona dubitatio animum subibat, quod servos Dei non conveniret armis ad eum modum Dei aut B. Virginis injurias ulcisci ; anxius ergo valde et quodammodo perplexus, quod magis B. Virgini honorificum esset ac Deo magis gratum facere cupiens, nec satis utrum ex duobus dictis magis conveniret discernens, hanc rationem inivit, ut cum in quoddam bivium, quod vicinum erat, pervenisset, cujus alteram viam saracenus ingressus erat, altera versus Montem Serratum tendebat, permitteret suum equum sine directione habenarum quo vellet tendere ; et si viam illam tenuisset quam Saracenus, eum sibi pugione confodiendum putabat in ultionem blasphemiae ; si vero aliam viam tenuisset, signum sibi fore, quod Deo non placeret talis ultio ; cum tamen ad bivium perventum est, equus viam ad Montem Serratum tenuit, et ita ille hujusmodi militares ultiones Deo non placere intellexit.

Paulo antequam ad sacrum illud monasterium pervenisset, habitum quo uti constituerat, paratum habebat, saccum videlicet ex aspera et crassa tela, cum calceis quibusdam ex sparto confectis, et cordam qua pro cingulo uteretur, cum cucurbita ad aquam deferendam; equum igitur ac pecunias quas ferebat, pauperibus distribuens, confessionem generalem totius vitae diligenter et in scriptis per triduum cuidam ejus domus viro religioso fecit, et cum eo de vitae ratione, quam tenere instituerat, contulit. Quo peracto, et sanctissimo Eucharistiae Sacramento munitus, ut vestes quas sibi paraverat indueret, et se totum novae militiae Christi dedicaret, pauperem quemdam secreto quaesivit, et omnes suas vestes exuens, eas illi dedit: ipse autem omnium loco saccum praedictum induit, et corda se praecinxit, et ex calceis alterum tantum pede dextro, quia, ob os confractum, adhuc noctu ei intumescere solebat, retinuit; alterum autem rejecit; in capite nihil sibi portandum duxit; et quia in libris profanis, potius quam in sacris versatus, legerat eos, qui equites armandi erant, nocte praecedenti armatos vigilare in templo solitos esse, antequam nobili equestrium militiae adscripti essent; eos sibi imitandos censens, nocte illa proxima vigilandum sibi cum his novis armis in templo B. Virginis existimavit; et ita partim stando, partim genibus flexis, totam eam noctem in templo pervigil in orationibus exegit; gladium suum

et pugionem in eodem templo B. Virginis appendendum curavit, et ita novus Christi miles, novis cum armis, non jam terreno, sed coelesti regi in posterum servire coepit, anno Domini 1521 ad finem decurrente [1]. Et observatum est eo anno, quo Martinus Lutherus, Vormatiam a Carolo V advocatus ut sui rationem redderet, clare et publice contra Sedem Apostolicam Romanam et Concilia universalia suum venenum evomere coepit (nam antea submittere se velle Romano Pontifici suam doctrinam dicebat), eodem Ignatius Dei se servitio mancipavit, cujus opera et aliorum de ipsius Societate antidotum egregium contra illud praepararetur, quorumque peculiaris erga summum Pontificem et Sedem Apostolicam obedientia, quam et ipsi praestarent, et ab aliis praestari curarent, descissionem et inobedientiam hujusmodi desertorum resarciret.

Sed ad Ignatium redeundo, aliquandiu ille aliis vestibus quam praedicto sacco non est usus; sed ne in sancta ea domo (ad quam religionis causa ex tota Hispania concurritur) a quoquam cognosceretur, inde discedens, Manresam tribus vel quatuor leucis a Monte Serrato distantem se contulit; et ut ex mendicato vivere constituerat, ita et coepit, pane tantum et aqua contentus, et a carnibus et vino prorsus abstinens. Non omittam id tamen, quod pauper ille cui vestes donaverat, cum in suspicionem venisset quod furto eas alicunde sustulerat, a justitiae administratore (*alguacil* in Hispania, nomine ab arabibus desumpto, vocatur) captus fuit, et periculum erat ne aliqua poena et simul nota infamiae afficeretur; cum autem ille diceret se in eleemosynam vestes accepisse a viro quodam, qui inde paulo ante recesserat, praedictus minister Ignatium consecutus est, et ex signis a paupere acceptis, eum agnoscens, interrogavit num vestes illas pauperi dedisset; intelligens autem Ignatius suo beneficio Christi pauperem in talem suspicionem et discrimen adductum fuisse, testatus est se vestes illi dedisse, et compatiens ejus incommodo, lacrymas primas, postquam ex patria recesserat, profudit: percontanti autem ministro praedicto de nomine, patria, et aliis hujusmodi rebus, hoc necessarium non

---

1 Vide *Acta quaedam P. N. Ignatii de Loyola, primarii secundum Deum institutoris Societatis Jesu, a Ludovico Consalvo ex ejusdem ore Sancti excepta. Parisiis,* 1873, n. 18.

esse ad pauperis sublevationem dicens, nihil ei ad has interrogationes respondit.

Manresam ergo pergens, ad pauperum hospitale se contulit, et aliis pauperculis sese adjunxit, victu praedicto panis mendicati et aquae contentus, humi cubitans, et ter singulis diebus acerba flagellatione corpus castigans, nec ipsi recreationem ullam indulgens; et ita cum in ea vitae ratione aliquandiu pergeret, ejus corpus, quod optimae habitudinis et viribus validum fuerat, brevi tempore emarcuit et valde debilitatum est. Cavebat etiam diligenter ne ejus cognomen, aut signum ullum nobilitatis in ipso cognosceretur ; caesariem (cujus erat eo tempore frequens usus, et de qua plus aequo fuerat aliquando ipse sollicitus) impexam, et ungues manuum crescere sinebat, ac demum nimium studium ornatus et honoris pristini, praesenti neglectu et abjectione sui compensabat. Orationi vocali septem horas genibus flexis quotidie dabat, nec enim mentalem ad id usque tempus expertus fuerat; Missae et vespertino officio ac completorio cum magna sui spiritus satisfactione intererat; et ita quatuor menses post vestium mutationem in oppido Manresae praedicto parum admodum de interioribus animi consolationibus adhuc consecutus, sed tantum cum conscientiae puritate contentus et alacris in asperitate praedicta et abjectione perseverabat; a Deo tamen in pura et recta intentione et in constantia et animi fortitudine donum peculiare etiam tunc obtinuerat.

Semel tantum postquam vestes suas mutaverat, tentationem quamdam animum subeuntem sensit, quae suggerebat: nonne melius tuis vestibus indutus, prout tuum gradum decebat, nunc induereris *(sic)* et cum aliis quam cum his pauperculis versareris? Sed ille hujusmodi spiritum facile discernens et bonum non esse agnoscens, aliis pauperibus se conjunxit et cum eis loqui coepit; nec amplius tentatio hujusmodi ad eum accessit. Sed alia ratione Satanas eum aggressus est. Cum enim se videret debilem ac defatigatum et corpore afflictum, talis eum subiit cogitatio: " O miser Ignati! quinquaginta [1] anni in hac afflictione tibi supersunt exigendi. „ Sed agnoscens ille daemonis tentationem: " Poterisne tu, inquit, chirographum dare quod vel

---

1 *LXX, septuaginta* (Consalvus, 1. c., n. 20).— *Setenta* (Rivadeneira, *Vida de San Ignacio,* lib. I, cap. 6). — Sed *cinquenta años* (Laynez, Bononiae 17.ª Junii 1547).

unum diem integrum sim victurus?„ His ergo duobus et levibus tentatiunculis pulsatus circa constantiam, cum omnino inconcussum mentis suae propositum retineret, nullam amplius de relinquenda vocatione tentationem, quae alicujus esset momenti, sensit; nec cum manum aratro admovisset, retro unquam aspexit. Erat autem jejunio tam deditus, ut praeter diem Dominicum, tota hebdomada jejunaret. Et ita primos quatuor menses, ut diximus, expendit.

CAPUT TERTIUM

DE PROGRESSU P. IGNATII IN REBUS SPIRITUALIBUS

Cum strenue Ignatius acceptis a Deo donis uteretur, alia majora a divina bonitate accepit; cum enim Manresa egressus ad quoddam templum mille passibus ab oppido distans, prope fluvium quemdam sederet, subita quadam et insolita luce illustratus de divinis mysteriis mirum in modum fuit : et eadem lux ad discretionem etiam spirituum bonorum a malis in particulari se extendebat ; adeo ut omnia divina et humana novis mentis oculis sibi cernere videretur; et inde summa spiritualis consolationis abundantia consecuta est, cum thesauros divinae suae bonitatis in ejus animam uberrime effunderet qui Pater est misericordiarum et Deus totius consolationis. Ad vicinam autem crucem adorandam et Deo gratias agendas procumbens, vidit in suprema parte crucis quamdam serpentis figuram, quae etiam superioribus diebus ante hanc illustrationem, splendida valde et cum septem vel octo oculis ornata se ipsi objicere solebat ; et quotidie bis, ter, quater, et interdum saepius, hoc illi spectaculum apparebat ; et ut praesens spectantem consolabatur, ita cum recedebat, ejus animum afflictum relinquebat. Sed tunc, post acceptum quod diximus, a Domino lumen, daemonem esse plane cognovit; ac deinceps, licet crebro se illi praesentaret, etiam postquam Parisios et Romam venit, non amplius ejus ullam rationem habuit, et obscurior illa, et non cum primo illo splendore jam apparebat. Nulli autem P. Ignatius hujus visionis secretum quid sibi vellet explicavit, ut erat

in suis rebus communicandis difficilis : factum tamen ipsum retulit.

Ab hoc tempore in majorem ac profundiorem sui cognitionem ingressus est; et peccata vitae suae anteactae, ut penitius cognoscere, ita majori cum amaritudine animi ac contritione deflere coepit ; et quia Dominus eum, qui futurus erat multis magister, bene exerceri in seipso voluit, ea quae in exercitiorum spiritualium libro continentur, primo facere ipse, deinde observare et in scripta redigere ad aliorum etiam institutionem coepit. Jam quidem a suae conversionis initio, etiam ante praedictam illam mentis ejus illustrationem, ut ipse fervebat Dei amore ac virtutum, quae ad perfectionem christianae vitae faciunt; ita et alios, qui ad ipsum accedebant, cohortari et inflammare ad virtutem ac Dei servitium solitus erat ; et cum ejus vitae exemplum et quam conceperant homines de ejus nobilitate opinionem auctoritatem ei conciliabat, ut hoc non sine fructu foret, alios ad optima quaeque excitare nitebatur. At post praedictam illustrationem atque observationem spiritualium exercitiorum, methodum et rationem proponens animam a peccatis per contritionem et confessionem purgandi, et in meditationibus mysteriorum Christi, et ratione bonae electionis faciendae circa vitae statum et res quaslibet, et demum in his quae ad inflammandum amorem in Deum, et varios orandi modos pertinent, proficiendi, perutilem operam proximis navare coepit: quamvis temporis progressu haec etiam ad majorem perfectionem deducta sunt.

Quia vero tentatum per omnia Ignatium esse oportebat, qui alios multos in variis tentationibus pro officii sui ratione erat aliquando sublevaturus, simul cum clariori suorum peccatorum cognitione, in varios scrupulos incidit, qui supra modum hominem torquebant; nec confessiones generales, aut aliae saepe de eisdem rebus repetitae, pacem ejus animo aut quietem dabant. Et usque adeo Dei servum affligebant, ut diabolus etiam de vite taedio et praecipitio tentationes ei suggerere auderet, quas tamen bona voluntate placendi Deo non difficile dissipabat : sed scrupulis, qui ex ipso Deum offendendi timore ortum habebant, non ita poterat resistere. Cum autem in vitis Patrum aliquem legisset, ad gratiam quamdam obtinendam, decrevisse cibum non capere, donec illam a Domino impetrasset, pacem

conscientiae supra modum Ignatius optans, decrevit ab omni abstinere cibo, donec eam, concedente Domino, invenisset, nisi se ad mortem accedere prae debilitate virium expertus esset. Cum itaque diem unum abstinuisset, nihil interim de consuetis orationibus et corporis castigationibus remittens, et secundo idem tentasset, nec tamen se viribus destitui observaret, usque ad septimum in ea ipsa inedia perseveravit : et quia dabat Dominus vires nec tamen pacem se consecutum videbat, ulterius jejunium prorogaturus erat, nisi ad confessarium accedens (quod octavo quoque die facere jam ab initio suae conversionis solitus erat), ab eo ulterius in jejunio progredi prohibitus fuisset, qui negabat absolutionem ei se daturum, nisi abstinentiae illius propositum relinqueret. Paruit Ignatius ; et ita uno vel altero die pacem a scrupulis invenit, et constantiorem illam se inventurum credebat, si jussum illi fuisset a confessario ut omnino sollicitudinem circa confessionem peccatorum abjiceret, nec amplius anteactae vitae peccata confiteretur : sed hoc pharmacum ab illo spirituali medico non accepit, nec ipse id suggerere audebat. Placuit tandem divinae Bonitati non solum ab hoc scrupulorum morbo Ignatium sanare, sed ad alios etiam sanandos, qui simili animi afflictione laborarent, multum lucis tribuere : et inter alia Dei dona hoc eximium in reliquo vitae decursu Ignatius habuit, et ita multos gravibus scrupulis anxios magna cum facilitate curavit.

Miras etiam post haec certamina a Domino illustrationes circa mysterium Sanctissimae Trinitatis, et mundi creationem et alia fidei mysteria eo tempore, quo Manresae versatus est, a Domino accepit ; sed quod attinet ad mysterium Trinitatis, vir alioquin litterarum expers, sic fuit edoctus, ut eo tempore tractatum de Sanctissima Trinitate scribere sit aggressus; nec solum cum spirituali consolatione singulari, quam multis horis quasi absorptus in abysso divinae Bonitatis eo die quo hujus mysterii cognitionem accepit, sed quamdiu vixit, in orationibus et Missis de Sancta Trinitate peculiarem devotionis et divinae visitationis sensum accepit ; et cum omnino a se omnem hujus mundi consolationem ablegasset, dignatus est non raro Christus Dominus, et interdum etiam Beatissima Ejus Mater, peculiari quodam modo eum consolari, dum mentis oculis ab ipso cernerentur ; quod et in Hispania et extra illam in posterum

saepius eidem accidit ; et sic a Domino ipso fuit edoctus, ut licet nihil umquam a Scripturis Sanctis vel Doctoribus didicisset, sufficienter ipse instructus etiam ad alios instruendos fuisset. Ab hominibus praeterea, qui se vidisse testabantur, didicimus totos octo dies, scilicet ab uno die Sabbati usque ad Sabbatum sequens, a sensibus corporis Ignatium suspensum fuisse, ut vix alia ratione vivere, quam ex cordis aliquo motu (qui ne sepeliretur effecit), discerneretur, et ad sensum octavo die, saepius nomine Jesu iterato, rediisse. Nam ipse de hoc raptu, nihil quod sciamus, cuiquam dixit ; nec illi silentium mirantur qui Ignatium familiariter noverunt, a quo peccata vitae anteactae et externa quaedam facile interrogatione extorqueri poterant, sed interna et rara non ita, licet diligenter discere ab eo curarent, disci ab eo poterant ; et credendum est ea tantum ab eo elici potuisse, quae ad imitationem vel ad Dei gloriam expedire ut intelligerentur credebat.

Mansit fere per annum integrum Manresae, ubi spiritus primitias degustavit ; et cum tempore quietis, interdum dulcedine contemplationis trahi se sinens, fere insomnes noctes traduceret, corporis debilitatem consequentem observans, non subtrahere tempus constitutum somno decrevit ; et ita in libro Exercitiorum et in privatis consiliis eos, qui spiritualibus rebus vacabant, ne necessarium naturae somnum sibi adimerent (sicut nec cibum, saltem panis) semper admonuit.

Hoc ipso anno ex nimis laboribus et vitae austeritate ac castigationibus corporis in gravem morbum incidit et morti satis vicinus videbatur. Quo tempore unicam tentationem permolestam ferebat, quod ipsum justum esse et sanctum daemon ante oculos proponebat ; contra quam ille, memoria suorum peccatorum, praesertim anteactae vitae, se armabat : rogavit etiam adstantes (cum meliuscule habere coepisset) ut si denuo ad mortem accedere ipsum vidissent, sua ipsi peccata, quibus Deum tantopere offenderat, exprobrarent et inculcarent. Citius tamen ab eo morbo quam a molestia tentationis vanae gloriae liberari potuit, quae aliquandiu militem Christi oppugnavit; et tam diligenter contra ipsam certabat, ut ne patriam quidem, nedum cognomen suum, dicere auderet, ne nobilis fuisse existimaretur. Sed temporis successu sic eum Dominus in intima sui cognitione et despectione humiliavit, et sic ipsam vanae

gloriae radicem in eo extirpavit, ut ab eo ego ipse audierim ultimis illis octodecim vel viginti annis numquam se de vana gloria confessum fuisse, cum alioquin subtilis admodum in quibusvis venialibus confitendis esset ; et ita libertatem magnam tam in suis peccatis quam in Dei beneficiis referendis habebat, cum illa ad Dei gloriam et aedificationem eorum, cum quibus loquebatur, dicenda judicabat, quamvis alia quae in illo divina Sapientia mirandum in modum operata fuerat (ut diximus) referre noluit : et cum aliquando a quibusdam ex nobis urgeretur ut ea communicaret, dixit, si Deo gratum id fore ipse intellexisset ut talia scriberentur aut aliis communicarentur, semet illa scripturum.

Cum ex praedicto morbo utcumque liberatus fuisset, nondum tamen in suis viribus confirmatus, statim et orationis et castigationis sui corporis pristinam consuetudinem, prout initio proposuerat, resumpsit, et ita in febrim relapsus est. Denuo etiam liberatus et praedictas exercitationes ante tempus resumens, ne sibi nimium indulgeret, tertio in eumdem morbum recidit ; et ita seipse colligens, et cogitationem ad causam morbi reflectens, constituit prius vires confirmare quam consuetos labores subiret ; et ita in ea parte aegrotantibus semper prudens consilium dedit, ac ne timerent aliquid consuetae devotioni adimere morbi tempore est exhortatus, praecipue si mentalia exercitia prolixiora essent ; et patientiam eo tempore et aedificationem aliorum, quatenus is status ferret, curando, caetera in tempus valetudinis recuperatae rejicerent. Et in re hac (sicut in aliis ipse dicebat sibi accidere) prius errando non errare didicit. Cum autem saepius recidentem medici opera eum non posset liberare, nova quadam medicina convaluit: cum enim in arbore quadam multas ficus vidisset, a muliere, cujus erat arbor, aliquas sibi dari postulavit : illa vero magna cum devotione satis multas ficus colligens ipsi obtulit, quas cum comedisset, sanitatem illi Dominus reddidit. Urgebant nihilominus viri boni ut propter stomachi dolorem, quem jam tunc patiebatur, vestibus se contra frigus muniret; et ita ne eis et rationi repugnare videretur, vestes quasdam ex panno rudi coloris caesii (*pardillum* vulgo vocant) et aliquid etiam, quo caput tegeret, accepit.

Hoc ipso anno Manresae exacto, quamvis proprio profectui

Ignatius dabat operam, nihilominus quod ipse a Deo acceperat, proximis, ut diximus, communicabat; et hunc zelum animarum altissime in ejus animo Dominus impresserat. Et experientia comperiebat, dum proximis communicabat acepta, non solum ea non minui, sed in ipso etiam valde crescere. Spiritualia ergo illa exercitia, quae a Deo ipse edoctus acceperat, multis Manresae communicare coepit; et eos, quibus ea proponebantur, admirandis illustrationibus et spirituali consolatione et virtutum omnium augmento Dominus permovebat. In familiaribus etiam colloquiis, cum his et illis agere solitus fuit; et cum a quibusdam ad prandium invitaretur, non recusabat ad eos ire (quamvis alioquin ex eleemosynis emendicatis viveret); quamdiu autem cibum capiebat, tacere consueverat, si non interrogaretur; interrogatus, comedere desinens, respondebat: et qui hoc observabant, pauca, ne cibum capere desineret, interrogabant. Prandio absoluto, occasione aliqua sumpta ex verbis in mensa dictis vel aliunde, spirituale colloquium habere, prout illi tunc Dominus dabat (nec enim prius praemeditabatur), solitus erat: et si quando fuisset praemeditatus, non bene id ei succedebat. Et ex hujusmodi exhortationibus multum etiam aedificationis in auditoribus sequebatur; et utraque ratione, sed potissimum spiritualium exercitiorum (quae satis late Manresae patuerunt), multi magnam vitae mutationem ibidem, et in spirituali via insignes progressus fecerunt. Cum autem magnam de Ignatii sanctitate existimationem homines ejus oppidi concepissent, cum in praedictum morbum incideret, magistratus ejus populi domum et reliqua necessaria ad ejus curationem prospexerunt et primariae matronae totam noctem in ejus cura interdum pervigilem ducebant. Sed cum Manresae supra scriptum tempus unius anni plus minus exegisset, Barcinonam se contulit, ubi et aliorum exhortationibus, et quia ipse ad Dei gloriam fore judicabat, litteris dare operam, ut cum doctrina a Domino supernaturaliter accepta etiam acquisitam ad proximorum aedificationem adjungeret, constituit. Et ita studio Grammatices sic dare operam coepit (quamvis alii post reditum a Hierosolymis hoc studium inchoatum existimant)[1], ut eamdem vivendi rationem, quam Manresae tenuerat, victitandi

---

1 Parenthesis haec tota ipsius etiam Polanci manu superaddita est.

scilicet ex emendicatis eleemosynis, et in hospitali pauperum divertendi retineret : amor enim paupertatis, tam interioris quam etiam exterioris, ad Christi imitationem, alte ejus animo insederat : nec spiritualium exercitiorum tradendorum, et per familiaria colloquia hujus et illius juvandi studium interim omissit. Et in dies in eo dexteritas et efficacia ad animas juvandas et discretio spirituum augebatur, et tam ad tentationes discutiendas quam ad eos, qui in res spirituales incumberent, dirigendos, eximium talentum a Domino acceperat.

CAPUT QUARTUM

DE PROFECTIONE HIEROSOLYMITANA ET REDITU IN HISPANIAM

Postquam in via spirituali et abnegationis studio solida Ignatius fundamenta jecerat, propositum illud antiquum de locis Terrae Sanctae invisendis, ubi Christus reparationis nostrae mysteria exsecutus fuerat, ad effectum deducere optabat. Et cum eo desiderio inflammaretur, primo quoque tempore et data navigandi occasione, in Italiam transire sub anni 1523 initium statuit, ut inde Hierosolymam pergens, ibidem si fieri posset permaneret; nec solum suae devotioni satisfacere in sanctis illis locis invisendis, sed etiam infidelibus (si qua ratione ostium ipsis *(sic)* aperiretur), Christi fidem ac doctrinam praedicare, et multa propter ipsius amorem agere et pati proposuerat. In hoc autem toto itinere, propter fidei et spei in Domino constitutae magnitudinem, constans in eo paupertatis amor valde eminuit: nam in primis, quamvis et socii hujus itineris aliqui sese obtulissent, et viaticum a piis viris eidem offerretur, neutrum admittere voluit, ne in alio quam in Deo suam confidentiam constitueret. Sed cum navis praefectus neminem vellet admittere, qui saltem panis nautici (quem biscoctum [1] vocant) commeatum ad suum usum non inferret, anxius Ignatius quod juxta votum suum non permitteretur omnino sine his humanis praesidiis navem ingredi, confessarium consuluit, a quo injunctum ipsi est ut praedictum panem inferret; quod cum ex

1 Italice *biscotto;* hispanice *bizcocho.*

mendicato facile comparasset, et in navem comportasset, aliquid pecuniae, quod ipsi superfuerat, in ipso littore reliquit, ne quidquam amplius quam quod omnino necessarium erat viatici haberet.

Barcinona ergo solventes, post validam tempestatem Caietam appulerunt, et inde Romam terrestri itinere magno cum labore Ignatius pervenit. Cum enim peste Italiae pars magna laboraret, in oppida ignoti perdifficile admittebantur; et ita praeter laborem itineris, et hospitiorum seu hospitalium defectum, fame etiam ei egregie laborandum fuit. Romae igitur benedictione Pontificis pro more peregrinorum accepta, qui tunc Adrianus, natione holandus, erat, Venetias proficiscitur: quamvis autem piis hominibus Romae non adquieverat, qui hanc peregrinationem ut periculosam [ei dissuaserant] propter Solimani, turcharum regis, potentiam, qui Rhodum insulam in potestatem non multo ante, scilicet, anno Domini 1522 praecedente, redegerat, et suis classibus illa maria infestabat; ut tamen septem vel octo aureos nummos in eleemosynam donatos acciperet, ad naulum solvendum persuaserunt. Sed cum in itinere haec pecunia Ignatium torqueret, quod alibi quam in Deo fiduciam habere sibi videretur, de ea abjicienda cogitabat: sed hoc postea consilium coepit, ut eam pauperibus distribueret, quod et fecit: et scrupulum sibi brevi, ne obolum quidem retinendo, ademit. Et cum ob corporis debilitatem lentius pedes incederet, alii eum comitem habere fugiebant; alii, postquam coepissent comites esse, eum deserebant; et ita linguae italicae imperitus, sine pecunia, ab obscuritate noctis interdum deprehensus antequam ad populos accederet (cum etiam illi propter pestem praedictam difficile externos admitterent), non mediocrem exercendae patientiae occasionem in hoc itinere habuit. Sed adjutor in opportunitatibus aderat illi Dominus, qui prope Patavium ipsi apparens, et consolatus est eum, et ipsius animum roboravit. Cumque diligenter custodes ejus urbis caeteros ob pestis timorem explorarent, libere Ignatius ingredi permissus est; cum tamen aliqui comites, qui eum deseruerant, magno cum labore et discussione vix tandem in urbem admissi fuerint.

Venetias inde veniens, cum non haberet unde expensas hospitii, vel cymbae, qua ad hospitale deferretur, solveret, in

platea Sancti Marci prima nocte, qua in eam urbem appulerat, super cujusdam artificis scamno quieti se dedit. Accidit autem ut quidam ex patriciis ejus urbis, cum in suo lectulo jaceret, audire sibi hujusmodi verba videretur : " Tu in molli lecto conquiescis, et servus meus in platea noctem exigit. „ Surgens itaque et ad Sancti Marci plateam ille veniens, Ignatium, qui in praedicto scamno lectum sibi paraverat, invenit, et domum suam deducens, hospitio eum humaniter excepit. Sed cum nimio honore afficeretur, postridie ab ea domo recessit, et apud quemdam alium hispanum, et quidem cantabrum, in quem inciderat, divertit. Dissuadebat ille, quemadmodum et alii, peregrinationem hanc, praesertim sine pecunia, quae non solum in itinere, sed etiam in ipsa Terra Sancta solet esse necessaria. Sed Ignatius nihil de sua sententia mutans, amico illi dixit sperare se in Domino, si vel unica tabula eo anno in Terram Sanctam perveniret, se in illa Hierosolymam esse venturum. Noluit autem humana quaedam media, quae facile potuisset, adhibere ; sed ipsemet ducem Venetiarum, Andream Gritti, cui omnino incognitus erat, adivit, et hispanice eum allocutus, propter Christi amorem postulavit, ut se in Terram Sanctam deferri juberet. Dux autem libenter ac liberaliter id quod postulabatur concessit. Et cum navis quaedam ejus reipublicae in Cyprum navigaret, ut Ignatium deportaret et expensas ipsi necessarias faceret injunxit.

Paupertatis difficultate sublata, in aliam non minorem incidit, in morbum videlicet quo non solum laborabat eo die quo navis erat ex portu discessura, sed catapotium eo ipso die sumpserat. Cum autem nunciaretur navis profectio, et medicus imminere ipsi mortem diceret, si tali in statu hanc navigationem aggrederetur, a meliori ipse medico instructus, in spiritu fidei et confidentiae in Domino, navim ingressus, agitatione maris non solum catapotium, sed noxios etiam humores ex stomacho evomuit : et Dei bonitate fidem ejus juvante, non solum ab ultimo hoc morbo liber factus fuit, sed etiam a diuturno stomachi morbo fuit sublevatus, a quo graviter aliquandiu fuerat afflictus. Nec sine spirituali fructu haec navigatio peracta est; cum ejus exemplo et colloquiis commoti plurimi profecissent, et veneratione ac amore ipsum prosequerentur. Cum tamen quosdam, qui male se gerebant, liberius aliquanto

reprehenderet, nautarum consilium hoc erat, ut ad quamdam insulam appellentes eum ibi relinquerent : sed cum illi jam vicini essent, vento contrario ab ea disjuncti, iter suum in Cyprum sunt prosecuti. Adfuit etiam Ignatio Dominus saepe, et cónsolatus est eum in hac navigatione.

Cum autem in Cypro invenisset Ignatius peregrinorum navim, in eadem sine ullo viatico, quod reliquum erat itineris usque ad Terram Sanctam confecit; ubi cum singulari devotione et spirituali consolatione, nec solum in aliorum comitatu, sed solus interdum ea sancta loca nostrae redemptionis mysteriis nobilitata perlustravit. Sed praecipuo affectu eum Montis Oliveti locum, ubi Christus in coelum ascensurus, vestigia pedum impressa reliquit, non semel invisit, custodibus saracenis (cum pecuniam non haberet) res aliquas donando, ut ipsum eo accedere permitterent : dona autem quae habebat, quidam cultri pennarii et forcipes erant et alia hujusmodi. Et tanto gustu ac spiritualis consolationis sensu afficiebatur, ut quod prius cogitaverat, tunc multo certius constitueret, ibi scilicet manere ; et ita guardianum coenobii Sancti Francisci eo videbatur sibi adduxisse, ut non repugnaret (quod in ipso erat) quominus Hierosolymis Ignatius manere posset. Sed minister provincialis id minime convenire ratus (quamvis gravem ipsis se non futurum promitteret Ignatius, nudum tectum nec quidquam praeterea ab eis exspectans, caetera ex eleemosynis vel a christianis, vel ab infidelibus postulaturus), nihilominus ille in sua perstitit sententia, et cum facultatem se habere diceret, ut eos a communione fidelium repelleret, qui ipso invito in Terra Sancta manere vellent, intellexit Ignatius non esse Dei voluntatem ut ibi tunc maneret, et satis res ipsa docuit ejus ministerium aliis provinciis et charitatis functionibus Deum velle ut impenderetur.

Rediit ergo in Cyprum, ubi cum tres naves essent Venetias navigaturae, una turcharum, altera valde bona venetorum, tertia debilis, quae aquam per rimas aliquas admittebat, in illam venetorum validiorem pii viri inducere Ignatium nitebantur, et ut praefecto navis id persuaderent, eum esse virum sanctum dicebant ; ille vero facetia, admissionem Ignatii recusans : "Si sanctus est, inquit, non indiget mea navi, et per aquas pedibus ire poterit.„ Fuit itaque in illa tertia et despecta navicula

admissus ; sed cum omnes eodem die ex Cypro solvissent, sola haec Venetias pervenit ; nam, oborta tempestate, turcharum navis absorta undis, illa autem valida scopulis illisa naufragium fecit, quamvis homines non perierunt. Recreatus autem aliquot diebus Venetiis, et humaniter ab hospite suo cantabro tractatus est, qui aliquid etiam pecuniae ei in eleemosynam dedit ut Genuam saltem perveniret, quod imbecillitas ejus valetudinis id postulare videbatur.

Sed cum Venetiis circa initium anni 1524 profectus Ferrariam venisset, et in summo templo oraret, pauper quidam ab eo eleemosynam postulavit, cui unam ex minoribus monetis quas ferebat dedit, et cum alius tantumdem faceret, dedit et illi. Demum cum, aliis alios admonentibus, multi ad eum venissent, nulli propter Christi amorem petenti negare eleemosynam sustinens, post minutas monetas majores dare coepit, donec ne obolum quidem sibi reliquit, et ex mendicato cibum eo die quaerere debuit, clamantibus italico sermone pauperibus, qui onere pecuniae eum liberaverant: " Il santo, il santo.„ Ferraria iter Genuam versus instituit ; sed cum in Longobardia et Cisalpina Gallia, bellum inter Caesarianos et Gallos hoc tempore, scilicet, anno Domini 1524 ineunte, gereretur, dum prope caesarianos transiret, a militibus ut explorator captus, et ad ducem adductus fuit. Cum autem consuevisset Ignatius ad compensandam nimiam in loquendo civilitatem, qua in curiis principum uti solitus erat, simplicem ac pene rusticum loquendi modum etiam cum nobilibus et magnatibus tenere, cum ad hunc ducem adduceretur, venit ei in mentem mutandum esse loquendi modum et honorifice illum esse sibi compellandum; nam et torturam et alia hujusmodi ob suspicionem timere poterat. Agnoscens autem hujusmodi cogitationes ex timore profectas, et contra, id quod sibi proposuerat, ad majorem sui abnegationem et Dei honorem tendere, decrevit non solum consuetum loquendi morem non mutare, sed nec ullum signum honoris huic duci exhibere, ut in tentatorem tela sua regereret. Adductus ergo coram praedicto duce, nec pileo, nec verbo, nec ullo signo corporis ullam reverentiam ei exhibuit : interrogat ille unde veniat, quo vadat, cujas sit, quod sit ejus nomen. Nullum verbum Ignatius respondit, in terram defixos oculos habens ; quod videns dux ille, interrogavit num explorator

esset : hic tantum respondendum duxit se exploratorem non esse. Dux ergo, tamquam hominem parum sanae mentis ad se duxissent, militibus succensens, dimitti Ignatium jubet, quem illi milites ob reprehensionem sui ducis commoti, non sine calcibus et pugnis incussis dimiserunt ; sed quidam miles jejuno et cibo indigenti Ignatio humanitatem exhibuit, apud quem refectus in itinere coepto perrexit ; et a speculatoribus gallorum etiam comprehensus et examinatus, benigne tamen ab eisdem exceptus et dimissus est ; et inter haec pericula et molestias singulari devotionis et consolationis spiritualis dono a Christo affectus, cum Genuam pervenisset, a quodam triremium praefecto cantabro, cui Portundo nomen erat, sibi aliquando familiarius noto, in Hispaniam transmissus est.

CAPUT QUINTUM

DE STUDIIS, SOCIIS, CARCERIBUS, ET DE INCOMMODIS, QUAE IN HISPANIA PERTULIT IGNATIUS

Cum Barcinonam Ignatius pervenisset, ibidem aliquandiu haerere constituit. Diu ille multumque cogitaverat, postquam Hierosolymis subsistere non potuerat, quam vitae rationem in posterum ad majorem Dei gloriam sequi deberet : et cum desiderio proximos juvandi semper accensus esset, et pro Christi nomine pati multa optaret, dubitaverat num religionem aliquam ingredi, an liber Dei obsequiis vacaret, et aliquos sibi socios, qui in proximis etiam juvandis similem operam navarent, deligere deberet. Et si religionem aliquam esset ingressurus, non de reformata, sed de dissoluta aliqua, in qua et multum pati et de ea benemereri, ad perfectiora juvando, posset, cogitabat. Sed tandem liberum manere et sic se totum Deo mancipare gratius Deo fore statuit ; et studia litterarum in omnem eventum sibi prosequenda esse, ut apud proximos, sine admiratione hominum, quae a Domino acceperat, ad animarum auxilium convertere liceret. Delegit autem Barcinonam ut humanioribus litteris daret operam, cum ibi matrona quaedam dives, nomine Isabella Rosell, necessaria ad victum, quidam vero vir pius, ludi magister, nomine Ardebolus, suam operam

in litteris docendis, ipsi offerrent. Huic ergo studio non mediocrem sibi ipsi vim inferens cum dare operam coepisset, etiam, meliuscule valens, castigationes corporis propter itinera et valetudinem infirmam bona ex parte intermissas resumpsit ille quidem, sed ad saccum non judicavit esse redeundum. Vilibus vestibus, et calceis etiam, utebatur, sed soleas perforans et paulatim discerpens, ut plantis terram attingeret, a superiori parte tectos pedes habebat. Spiritualia etiam exercitia quibusdam proponebat, nec colloquia spiritualia et christianae doctrinae explicationem omnino intermisit ; orationis tamen tempus minuit, ut illud studiis prolixius impenderet. Sed cum primis grammaticae rudimentis daret operam, tam multi spirituales conceptus ei occurrebant, et mentem ipsius occupabant, ut vel parum caperet, vel saltem parum retineret, ex his quae ad grammaticam pertinebant. Cum autem id ipse observasset, nec tantum aetati provectae, aut consuetudini et affectui ad spiritualia tractanda, sed tentationi etiam daemonis id adscriberet, qui studia impedire ad Dei honorem suscepta nitebatur; ut eam tentationem superaret, hanc rationem inivit: suum preceptorem in templum vocat, rem omnem ipsi narrat, et genibus ante ipsum provolutus, offert ei seipsum ad biennium vel totum illud tempus, quod latinae linguae addiscendae necessarium esset, et suam operam ac obedientiam promittens, rogat ut sui curam gerat, nec verbis tantum, sed verberibus etiam, si opus esset, ut minimum ex suis pueris, castiget. Hac ergo sui oblatione humiliter et fortiter facta Deo et praeceptori propter Deum, tentationem hanc superavit, et duobus annis tantum in hoc studio profecit, ut jam et magistro et aliis, quos consuluit, ad studia superiora maturuisse videretur. Hic addam, licet aliquot post annis acciderit, quod cum Parisiis simili tentatione a studiis impediretur, simili modo cursus philosophici magistro se offerens, eam superavit; et quia spiritualia colloquia, quae domi de Deo cum Petro Fabro perjucunde habere solitus erat, eadem studia impediebant, pactum cum eo inivit, ad tempus ne de rebus divinis inter se loquerentur. Docebat divina nimirum Bonitas Ignatium, etiam dum sancta cum intentione errabat, ut suos aliquando futuros discipulos errare non sineret; et ita in constitutionibus, studiorum tempore mentales orationes (ut in eis cernitur) moderatus est: et studia,

ob Dei honorem suscepta, pro oratione esse debere magna ex parte censuit; sic etiam cum in christiana doctrina docenda et aliis occupationibus ad proximi auxilium pertinentibus, quae tempus prolixius requirebant, occupabatur, tempus orationis contrahebat, missam tamen singulis diebus audiebat, nec conscientiae examina omittebat, et aliquam horam orationi opportunam impendebat, et ita deinde suos id observare debere existimavit.

Nec omittendum est quod cum esset Barcinone, quibusdam id suadentibus et approbante confessario, quemdam Erasmi libellum, cujus erat titulus *Enchiridion militis christiani* legit, quod et pius esse et ornata lingua scriptus diceretur. Observabat nihilominus Ignatius intepescere in se devotionis ac pietatis ex hac lectione fervorem, et ita librum abjecit, et postea Erasmi spiritu adhuc magis cognito, prohibuit ne in Societate ejus auctoris liber ullus legeretur; quamvis enim aliqua ab ipso scripta essent, quae nihil mali continerent, timebat ne propter haec nostri auctori afficerentur, et in rebus male scriptis eidem fidem haberent. Placebat autem ei mirum in modum libellus ille aureus, qui Joannes Gerson *De imitatione Christi* dicitur, et ab aliis eum legi pergratum habebat.

Antequam Barcinona recederet, aliqui socii, qui ejus instituti rationem sequi volebant, Ignatio adhaeserunt; nam ut diximus, ad proximos ad virtutem et per se et per alios inflammandos ac juvandos jam ab initio propensus erat. Horum unus Callixtus dicebatur, qui, Ignatio adjuvante [1], Hierosolymam transierat, et in reditu eidem sese conjungere ad ejus vitae institutum sequendum decrevit. Alter fuit quidam cognomine Artiaga, qui postea promotus ad Episcopatum in India occidentali, ibi mortem obiit [2]. Tertius cognomine Caceres dicebatur, qui proregi Catalauniae inserviebat, alius ab eo ejusdem cognominis, qui Parisiis amicum se Ignatio exhibebat [3]. Quartus

---

1 *Auctore,* aiunt communiter *Vitae S. Ignatii* scriptores.

2 De hoc Arteaga vide *Cartas de San Ignacio*, t. I, pag. 21, notam 28; Fluviá, *Vida de San Ignacio,* t. I, l. II, c. 8, ait: "Se le dió (á Arteaga) una Encomienda, y después, *siendo ya confirmada la Compañia de Jesús,* un obispado en la América, que ofreció dos veces á San Ignacio para alguno de sus hijos...„, quod haud facile fieri potuit, si, ut habet *Gams, Series Episcoporum*, diem supremum Mexici obiit 8.ª X (Octobris) 1540.

3 Hujus distinctionis non meminere qui de hoc Caceres scripserunt. Huic autem errori, si quidem error est, ansam aliquam praebuisse videntur verba Patris Ribade-

deinde se adjunxit, juvenis quidam natione gallus; sed haec societas, ut primis partubus interdum accidere solet, conservata non est, nec multo post, recedente ex Hispania Ignatio, alii alio se converterunt.

Ad studia Ignatii redeundo, postquam biennio praedicto, ultra scopulos grammatices progressus esset, ut philosophiae ac theologiae daret operam, Complutum cum sociis venit, et sub ingressum obvium habuit Martinum Olavium, puerum tunc ingeniosum, qui logicae operam dabat, et primus Ignatio occurrens, eleemosynam ei dedit. Eumdem Parisiis, cum philosophiam Olavius profiteretur, licet spiritu hujus saeculi ductus, longe aliter quam ipse sentiret, et novit, et est allocutus. Tandem cum theologiae doctor, et quidem inter Sorbonicos et in curia Caroli quinti, magni nominis esset, Societatem Romae est ingressus. Compluti ergo hospitium sibi in pauperum xenodochium Ignatius delegit, et victum ex mendicato quaerebat. Sed cum a quibusdam parum pie irrideretur, praefectus nosocomii, quod Altozanum vocant, qui id animadvertit et compassus est, commodius ei apud se hospitium praebuit. In parte tamen ejus domus, quae lemuribus infestabatur, cum habitationem haberet, et nocturno quodam terrore concuteretur, quem vanum esse nec ei cedendum existimabat, Deo se commendans, animo et voce daemones provocare coepit, ut si potestatem a Deo contra ipsum aliquam accepissent, eam exercerent; se quidem libenter quidquid Deo placeret passurum esse; amplius quam Deus concederet ipsos nihil posse. Et ea firmitas animi, et adstans fides ac confidentia in Deo non solum ab omni daemonis terrore tunc eum liberavit, sed in posterum ab hujusmodi nocturnis terroribus immunem, Deo adjuvante, reddidit. Compluti igitur simul logicae, philosophiae et theologiae compendio quodam dare operam coepit, nec interim ab aliis charitatis functionibus erga proximum cessabat; nam et pauperes ditiorum eleemosynis sublevandos curabat, et christianam doctrinam magno cum spiritu explicabat: colloquiis etiam et exercitiis spiritualibus utriusque sexus homines in-

---

neira sic in libello mss. *Didlogos en que se cuentan, etc.*, scribentis: "Diego de Cáceres fué hijo de un caballero, y á los principios compañero de Nuestro Padre Ignacio, de santa memoria, primero en España y después en París."

struebat et ad pietatem promovebat; sed multitudo occupationum hujusmodi, et spiritualis fructus, quem ex eis emanare videbat (cum multi a statu peccati mortalis egrederentur et alii ejus et sociorum opera in via Dei non parum proficerent), efficiebat ut in studiis multum proficere non posset; multi enim usque ad ejus cubiculum, cum in hospitali esset, ut aliquid ab eo audirent, accedebant, et parum temporis illi vacuum, quod studiis impenderet, relinquebant. Et hac experientia doctus Ignatius, cum formam postea studiis suorum praescribere debuit, ut eo tempore quo studia erant conficienda, liberiores essent ab occupationibus erga proximos, ad sacros ordines sub finem studiorum theologiae (et non prius, ut plurimum) [esse promovendos] in constitutionibus statuit.

Cum late spiritualis fructus et fama Ignatii Compluti patere coepisset, varias contradictiones contra eum suscitari Dominus permisit, et cum ad hoc usque tempus partem dominicae crucis aliquam, sed voluntariam et sponte sua ipse suscepisset, et in constantia spiritualis vitae altas radices (gratia ipsius adjuvante) egisset, voluit servum suum Dominus ventis persecutionum externarum pulsari atque probari. Tres igitur lites Compluti contra ipsum publica auctoritate fuerunt intentatae: prima fuit quarto mense postquam Complutum venerat, et inde ortum habuit : quod ad eum piae quaedam mulieres, cum in hospitali esset, se conferre solebant ut in spiritualibus rebus ab ipso juvarentur, et quamvis initio id suspectum quibusdam videbatur, usque adeo ut sacramenta ipsi ministrare aliqui recusarent ; cum postea intellectum fuisset matronas eas magnae auctoritatis ac pietatis et extra omnem suspicionem esse, hic rumor conquievit. Sed quia ad Inquisitores Toleti commorantes delatus jam fuerat, et Complutum illi convolaverant, cum, diligenti inquisitione facta, nihil nisi pium et sanctum invenissent, causa commissa Domino Joanni de Figueroa, Archiepiscopi Toletani in civitate Complutensi Vicario, Toletum ipsi redierunt. Vicarius igitur ad Ignatii habitationem quiete accedens, examinare eum coepit; sed cum nihil invenisset, eidem tamen injunxit ut colorem vestium illarum ipse et socii mutarent, ne cum omnes ejusdem coloris vestibus uterentur (erat autem pannus crassus, ut superius diximus, caesii coloris, quo rustici uti in Hispania solent) novam aliquam sectam

novo habitu inducere viderentur. Prohibuit etiam ne nudis pedibus irent. Duorum ergo vestes nigro colore, totidem alio tinctae fuerunt, una ut erat relicta est. Quamvis autem in his paruit Ignatius facile, libertas ejus animi ex eo cerni potuit quod Vicario, postquam omnia quae voluit inquisivit, dixit: " Num aliquid mali tam multiplici indagatione in nobis invenisti ? „ " Nihil, inquit ille, si enim quid inventum fuisset, castigati essetis, imo etiam combusti. „ Tunc Ignatius : " Et te etiam comburerent, si errares ?„ "Ita est „ , inquit ille, et recessit.

Secunda lis intentata est illi ratione doctrinae, quae late nimis se extendebat, cum eum et socios in litteris versatos non esse constaret ; at Dr. Sanchez hac de re Ignatium admonuit quod nihil contra eum esset inventum.

Tertius processus juridicus contra eumdem est attentatus occasione duarum piarum foeminarum, quae inter alias ab ipso aliqua spiritualia documenta acceperant, et peregrinationem in Baeticam ad sanctum sudarium, quo Christi imago ex ejus vultu expressa in civitate Giennensi servabatur (*Veronicam* vocant) non solum sine consilio Ignatii, sed plane etiam absente, instituerant. Nam Segoviam fuerat profectus, quod socium suum Callixtum ad mortem ibi aegrotare intelligeret, et die noctuque properans Ignatius, cum primum ad eum accessit, eodem die placuit Domino ut melius habere inciperet ; et cum ibi aliquot diebus fuisset commoratus, Callixtum convalescentem relinquens, Complutum rediit, ubi omnia rumoribus et perturbatione plena contra se invenit. Publice a quibusdam dicebatur homines externos ad simplices decipiendos venisse, et culpam peregrinationis praedictae in Ignatium referebant: demum in carcerem auctoritate Vicarii conjectus est; nam apparitor ad ejus habitationem veniens : " Veni mecum „ inquit: " ut quid sentias de re quadam dicere possis. „ Et cum secreta via in carcerem eum deduxisset : " Hic maneto, „ inquit. Sed cum libera satis esset custodia, aliis, qui ibi detinebantur, christianam doctrinam, ac praecipue decalogum, sed et spiritualia exercitia quibusdam proponere pro suo more non cessabat ; et ita sexdecim diebus, aut octodecim ibidem mansit, et nihil ei prorsus a quoquam de sua causa dictum est. Et cum a nobilibus quibusdam personis advocatus et procurator oblati

ei fuissent, ille gratias agens, Christum sibi advocatum fore sufficientem dicebat, pro quo etiam pati graviora paratus, imo cupidus erat. Cum autem Callixtus Segovia veniens, socium se carceris facere voluisset, eumdem liberandum (quod nondum confirmata esset valetudine) ipse Ignatius curavit. Cum post predictum tempus Vicarius Figueroa ad eum examinandum venisset, et inter coetera interrogasset an Sabbatum observari suaderet ? " Sabbatis, inquit ille, peculiarem devotionem erga B. Virginem suadeo : alias observationes Sabbati ignoro, nec in patria mea judaei esse solent. „ Demum percontatus est an auctor fuisset peregrinationis praedictis mulieribus ; et sub juramento respondit nec directe nec indirecte se cuiquam tale consilium unquam dedisse. Tunc Vicarius laeto vultu et familiariter manum ejus humero imponens , " atqui haec, inquit, causa quae te in carcerem adduxit. „ Tunc addidit Ignatius quod cum quaedam ex praedictis mulieribus, quae junior erat, propensam se diceret ut in hospitalibus vitam suam in obsequiis pauperum impenderet, se illud dissuasisse propterea quod, licet ipsa spiritualis esset, aliis offendiculi occasionem illa aetate et forma praebere poterat. Post examen nihilominus usque ad quadraginta et duos dies in custodia mansit, donec praedictae mulieres redirent. Tunc dimissus fuit, et sententia illi lecta est, qua ejus quidem innocentia continebatur, sed diffinire quidquam de rebus dubiis in ecclesia, ad quatuor annos prohibebatur, donec in studiis Theologiae magis versatus esset, et ut induerentur ipse et socii more aliorum scholasticorum. Tunc Ignatius: " Nobis ergo, inquit, vestimenta praebete, si nos eis indui vultis. „ Fecit id Vicarius, et quamvis solitus non erat Ignatius de arcanis fidei quidquam definire, sententiam tamen Vicarii minime probavit, quia libertatem docendi christianam doctrinam restringere videbatur ; et vigesimo post egressum ex carcere die (cum septem menses Compluti fuisset, et ibi inter dictas occupationes Logicam et Philosophiam et duos vel tres libros sententiarum compendio quodam degustasset), ad Archiepiscopum Toletanum qui Vallisoleti versabatur, cognomine Fonseca, se simul cum sociis contulit. Nam ad proximorum utilitatem impedimento sibi fore sententiam praedictam existimavit. Exceptus autem fuit perhumaniter ab Archiepiscopo Toletano, et re cum eodem col-

lata, quoniam majori cum quiete Salmanticae quam Compluti videbatur studia sua prosequuturus, et ob id Ignatii animus eo inclinaret, viatico ab ipso Archiepiscopo adjutus, Salmanticam venit.

Cum duodecim dies ibi exegisset, et pro more suo, occasione eleemosynae quam petebat a primariis et aliis personis, ad virtutem sectandam et vitia fugienda eos hortaretur, nova contra eum tragedia excitata est [quae] ex zelo religiosorum Sancti Dominici, bono quidem, sed qui ulterius quam ad eos pertinebat ea in re progressus est, ortum habuit. Confitebatur P. Ignatius cuidam religioso ejusdem ordinis in celebri eorum monasterio Sancti Stephani: cum autem is qui vices Prioris absentis gerebat, et alii religiosi, multa de Ignatio circumferri audientes, alloqui eumdem et audire optarent, ejus confessarius ad prandium Ignatium invitavit, et cum apud eos simul cum Callixto socio cibum coepisset, Vicarius Prioris jam praedictus cum confessario et uno vel altero religioso seorsum ductum Ignatium interrogat de doctrina ipsius, quandoquidem ipsum concionari audiebat, et dilemma hoc proposuit: " Vel ea quae concionaris didicisti, vel a Spiritu Sancto tibi infusa fuerunt. Sed cum litteris operam non dederis, non didicisti ; ergo a Spiritu Sancto accepisti „ ; et ad hoc tamquam ad rem absurdam videbatur Ignatium deduxisse. Initio quidem colloquii dixerat Ignatius se non concionari, sed familiariter quae ad christianam doctrinam pertinent, rudibus se explicare, et ad virtutes sectandas et vitia fugienda hortari. Sed cum animadvertit Vicarium, praedicto dilemmate usum, superioris officium (quod non habebat) exercere, seipsum colligens: " Satis est, inquit, Pater. „ Talem enim interrogandi modum audiens, non judicabat se ei, cui non tenebatur, rationem reddere debere. Et cum urgeret religiosus ille ut responderet: " Non mihi videtur, inquit, expedire (cum alioqui non tenear), rerum mearum majorem tibi rationem reddere. „ "At, inquit ille, reddes alii, cui teneberis. „ Et ne permitteretur egredi monasterium curavit: et dum ad superiores eum defert, triduo in suo monasterio Ignatium cum socio retinuit. Quo tempore, cum multi ex monachis ad ejus cubiculum venirent, de Deo multa cum eis loquebatur, et quidem eorum multis quae dicebat probabantur. Post triduum hoc in carcerem, Vicarii Episcopi Salmanticensis

jussu, cum Callixto deductus, non cum aliis, sed seorsum, in tetra quadam parte carceris et inhabitata constituitur, et altero utriusque pede ejusdem catenae duobus ramis constricto, noctem illam, dormire ob incommoditatem loci non permissi, pervigiles ac Deum laudantes transegerunt. Postridie autem amici, quos paucis illis diebus Ignatius sibi conciliaverat Salmanticae, et stragula et alia ad victum necessaria eo miserunt; et cum multi ad eum visendum confluerent, eis de virtutibus et vitiis pro more suo multa dicere pergebat. Alii etiam socii in carcerem sunt conjecti. Vicarius autem Episcopi, cognomine Frias, alios ab aliis sejungens, exercitia spiritualia, quae tradebat Ignatius, ab eo postulavit, et tribus vel quatuor aliis doctis viris, ea ostendit, ante quos eo deducto, non solum de his, quae in exercitiis continebantur, sed de Sanctissima Trinitate, de Incarnatione, Eucharistia, et aliis theologicis quaestionibus difficilibus multa ab eo interrogarunt. Ille autem se eruditum non esse praefatus, ac protestans, si qua in re minus bene sentiret, sensui sanctae Matris Ecclesiae se submittere, tam apposite nihilominus et ad rem, cunctis interrogatoribus respondit, ut non reprehendendi sed admirandi occasionem examinatores habuerint. Quaestionem etiam juris canonici proposuerunt; de qua, licet profiteretur se jurisperitorum ignorare sententias, egregie tamen respondit. Demum ut explicaret primum Decalogi praeceptum, prout solebat apud alios auditores, jussus, cum ea de re saepius tractasset, copiosius et tam recte disseruit, ut illi finem interrogandi sibi faciendum censerent. Auxit etiam Ignatio auctoritatem et probitatis existimationem, quod eum nocte quadam alii, qui in custodia detinebantur, eam effregissent et evasissent, solus ille cum sociis aperto carcere eggredi noluerat. Post 22 m ergo diem a custodia liberi dimissi sunt; sententiam tamen prius de ipso latam ei significarunt, quae innocentem quidem ipsum cum sociis, et bonam ipsorum doctrinam esse declarabat, et docere pro sua consuetudine permittebat; sed ne diffinirent quod esset peccatum mortale, quod veniale, quod ad cogitationes attinet, addebat. Et cum judicibus videretur non parvo honore Ignatium ab ipsis esse affectum, interrogaverunt an ea sententia placeret. Negavit Ignatius placere sibi. Tunc unus ex judicibus qui magis ei favebat: "¿Quid, inquit, tibi displicet in hac sententia? „ "Quia, inquit,

cum nihil falsum in scriptis vel dictis meis inveniatis, quod attinet ad discernendum mortale a veniali, mihi tamen ea in parte silentium imponitis„; et se potius Salmantica recessurum quam ut ei staret sententiae affirmavit; et ita id, licet dissuadentibus viris gravibus, qui Salmanticae retinere Ignatium cupiebant, fecit.

CAPUT SEXTUM

DE PROFECTIONE IGNATII PARISIOS, ET DE HIS QUAE IBI SUNT GESTA

Non displicebat Ignatio quod Compluti et Salmanticae in carceribus occasionem aliquam pro Christi honore, quem sitiebat, et animarum auxilio patiendi haberet; imo, quod in ipso erat, haec quantulacumque crucis participatio tam ei jucunda erat, ut cum aliqui pii viri, eum Salmanticae in carcere invisentes, compati se ipsi significarent, omnes carceres et catenas ejus urbis minus graves futuras, quam ipse paratus esset, imo optaret, pro Christi honore pati, affirmaret. Et ita nec procuratorem nec advocatum habere aut Compluti aut Salmanticae voluit; sed partim quod impediebatur ne libere, ut diximus, proximis juvandis vacaret, partim quod studiis dare operam seriam propter occupationes erga proximos non poterat, ad celebrem Universitatem Parisiensem ire, etiam dum in carcere inclusus esset, cogitaverat. Cum enim gallicam linguam non teneret, minus cum proximis ibi occupandus videbatur. Praeterea etiam in illa Academia, eo tempore satis florente, atque omnium nationum scholasticis abundanti, aliquos socios, ad Dei opus promovendum et proximos juvandos, se facile habiturum sperabat; et ita, postquam aliquandiu eggressus e carcere Salmanticae versatus est, sociis quatuor praedictis in Hispania relictis (quos si commoditas Parisiis se offerret, evocaturus eo erat) Barcinonam solus se contulit, inde iter in Galliam suscepturus.

Cum autem dissuaderent amici hanc profectionem quod bellum inter Imperatorem et Galliae regem etiam tunc gereretur, et in itinere hoc quibusdam gravissima pericula et incommoda accidissent, eum tamen a suo proposito minime re-

vocarunt. Praedicta vero Isabella Rosell et alii pii homines cum pecunia ipsum juvare vellent, per trapezitas eam Parisios mitti permisit, ipse vero pedes initio anni 1528 mensem Januarium itineri impendens, initio Februarii Lutetiam Parisiorum pervenit; et cum quiete vellet studiis dare operam, sine mendicitatis distractione, pecunia ex Hispania sibi transmissa ad sumptus necessarios uti coepit; et quia animadvertebat in tumultuario illo studio, ex aliorum consilio non admodum probando suscepto, nec in latina lingua, nec in aliis disciplinis, quibus simul et per quoddam compendium dederat operam, se solidam eruditionem consecutum esse, cum nihil imperfectum ei placeret, studia sua denuo a grammatica exorsus est, et ut exactius eam teneret, annum fere cum dimidio in Collegio Montis-Acuti eidem impendit, scilicet usque ad Octobrem anni 1529, quo cursum artium more illius Universitatis inchoavit. Inde autem sententia P. Ignatii fuit, cum aliorum curam habuit, et constitutionibus eam expressit, ut nostri prius solida fundamenta litterarum humaniorum jacerent quam ad alias superiores facultates ascenderent : et compendia in nostris non probavit, sed ut exacte et plene studiis operam darent. Serio autem ipse Philosophiae tres annos cum dimidio studuit (quo spatio temporis tunc cursus Parisiis absolvebatur) idque in Collegio Sanctae Barbarae ; nec parum in ea, licet inter multa et gravia impedimenta, diligentia et labore ipsius superata, profecit. Cujus testimonium, examen et promotio ad magisterium praebuerunt: ejus enim praeceptor M. Peña ad id urgebat, nec Ignatius detrectavit, ut eo testimonio sui profectus, cum opus esset, uti posset. Deinde in studium Theologiae usque ad finem anni 1535 incubuit, idque tam serio, ut ad lectiones antelucanas hiemis tempore cum magno incommodo, ad monasterium religiosorum Sancti Dominici accederet. Itaque, quamvis doctrina coelitus infusa altius ejus mentem penetraverat, et ita tenacius memoriae ipsius inhaesit, acquisita nihilominus eruditio ei non parum contulit.

Sed id notatu dignum est, quanto cum labore octo fere annos Parisiis in praedictis studiis perseveraverit, et quantum constantiae Dominus ad varia incommoda superanda praebuerit. Nam in primis cum paupertate certandum ei fuit; pecunia etenim, quae illi ex Hispania fuerat transmissa, citius quam

oportuerat eum destituit. Cum enim cuidam amico servandam bonam ejus partem dedisset, expendit eam ille in suos usus ; et ita repetenti Ignatio non illam reddere potuit , et ad mendicitatem ipsi familiarem redire coegit : et quidem in hospitali Sancti Jacobi (quod remotissimum erat ab Universitate) dormire ipsum oportebat, et bis quotidie veniebat ac redibat ad Collegium. Et quia fores hospitalis serius mane aperiebantur, et tempestive noctu claudebantur, ad lectiones mane jam inchoatas accedere et ante easdem absolutas vespere ad hospitale redire cogebatur. Accedebat ad hoc incommodum quod ad victum necessaria mendicando quaerenda ipsi erant : sic enim Domino placuit, et in paupertate et in patientia suum servum Ignatium exercere. Nec propterea illi amico succensebat, qui pecuniam ejus interverterat ; imo cum in Hispaniam ille profecturus, Rotomagum venisset, et antequam navigare inciperet, in morbum incidens, destitutus ab aliis humanis auxiliis esset, memor charitatis P. Ignatii, ei in qua necessitate simul cum vitae periculo versaretur, per litteras significavit. Ignatius itaque, itineri se committens, iter fere trium dierum (distat enim Rotomagum Parisiis fere triginta leucis) non solum nudis pedibus, sed sine ullo cibo et potu, itinere hoc confecto, amicum illum invisit, qui statim, Deo adjuvante, melius habere coepit, et charitate ac labore P. Ignatii pro medicina usus esse Dominus ad hominis illius auxilium visus est. Recreato igitur eo ac sublevato, et suis sociis in Hispania commendato, Parisios rediit. Sed cum videret tantum sibi temporis deperire in eundo ac redeundo ab hospitali, deliberavit herum aliquem in ipsa Universitate humilis Dei servus quaerere, ut pauperes aliqui scholastici habere soliti erant, qui postquam ministeria quaedam magistris et eorum discipulis exhibebant, tempus aliquod eis supererat, quod studiis impenderent : et jam sibi velut ideam quamdam in animo formaverat, ut in ipso magistro Christum, in discipulis vero, in hoc Petrum, in alio Joannem, in aliis alios apostolos consideraret : et multum consolationis in animo suo, dum eis ministrare se cogitabat, habere solitus erat. Quamvis tamen per carthusienses et religiosos Sancti Victoris et alios amicos hanc inserviendi commoditatem quaesivit, nunquam inveniri quisquam potuit qui ejus ministerio uti vellet.

Cum autem admonitus a quibusdam amicis esset quod hispani mercatores, qui in Belgio, Brugis et Antuerpiae, ac etiam Londini in Anglia, versabantur, scholasticis quibusdam eleemosynas largiri soliti essent, quibus in studiis possent sustentari ; hortatu quorumdam hoc iter in Belgium suscepit, quod semel cum bene successisset, secundo et tertio anno idem ab eo factum est : nec amplius necesse fuit hoc laboris assumere. Cum enim divina bonitas hanc gratiam Ignatio conferret, ut quocumque se verteret, animos eorum quibuscum agebat ad pietatem afficeret, et sibi etiam conciliaret, aliqui ex illis mercatoribus, qui copiosi et benigni erant, curam susceperunt necessarias eleemosynas Parisios singulis annis ei mittendi, quibus, simul cum aliis ex Hispania a piis hominibus transmissis, habuit unde commode substentari ipse, et alios etiam adjuvare posset. Non omittam quod cum Brugis a Ludovico Vives ad prandium fuisset invitatus, cui convivio et alii intererant, cum esset quadragesimae tempus, illata est disputatio de delectu ciborum in jejunio quadragesimali. Et cum Ludovicus sentire videretur cibos illos, partim quia illis non desint suae deliciae, et libenter eis homines vescantur, partim propter aromata, quae illis in locis in frequenti usu habentur, et alias ob causas non servire multum corporis castigationi aut temperantiae; cum observaret Ignatius dicta illa ecclesiasticae traditioni non favere, serio dicta Ludovici Vives impugnavit : " Tu, inquit, et alii qui lautius epulari possunt, forte magnum ex hac abstinentia auxilium ad finem, quem Ecclesia intendit, non invenies; sed hominum multitudo, cui Ecclesia debet consulere, nec tam laute reficitur, habet corporis castigandi et poenitentiae subeundae occasionem „ : et alia non pauca ad rem eamdem opportune dixit. Et ipse quidem Ludovicus Vives Ignatium sanctum hominem sibi videri et alicujus religionis auctorem fore postea dixit, ut Dr. Maluenda ei familiaris postea retulit. Sed Ignatius ipse, quae a Ludovico audierat minime probans, ut quae jejuniis Ecclesiae non favere nt, de spiritu ejus qualis esset dubitans, prohibuit postea ne in Societate nostra illius auctoris libri legerentur, simili ratione qua Erasmi libros, etiam nihil mali continentes, prohibuit, ut superius diximus.

Ex his difficultatibus, quas studiorum tempore in victu et

rebus vitae necessariis quaerendis Ignatius expertus est, hanc sententiam in animo suo statuit: expedire ut qui litteris darent operam de victu solliciti non essent; et ita in institutione Societatis, quamvis paupertatem in communi et in particulari in domibus retinendam censuisset, Collegia, in quibus nostri studiis operam darent, redditus ad eorum sustentationem habere debere sensit, et in Apostolicis litteris et constitutionibus Societatis id ita praescribi curavit.

Aliud impedimentum habuit ex devotionis affectu, a quo valide trahebatur, sed ut superius adnotatum est, remedium adhibuit ac moderationem, et ad tempus congruum orationem contraxit. Tria tamen non omittebat, quae ab initio mutationis vitae perutilia semper invenit: primum, ut conscientiam diligenter et quidem bis quotidie examinaret, nec solum defectus, sed etiam profectus observabat et inter se comparabat, ut quem progressum in via Domini fecisset posset deprehendere: alterum ut Missae Sacrificio quotidie (si fieri poterat) interesset: tertium ut singulis Dominicis diebus, praecedente confessione, communicaret; et hoc ipsum suis postea discipulis, et, cum Societati praefectus est, scholasticis nostris praescripsit; ac studia omnia sincere ad Dei honorem referre docuit; et quamvis non minus in eis sic susceptis quam in oratione rem gratam Deo fieri scripsit et docuit, suum tamen tempus quotidie orationi dandum existimavit, prout in 4.ª parte constitutionum habetur.

Aliud impedimentum ex adversa valetudine, quam laboribus et incommodis variis contraxerat, et quam coelum parisiense (parum ipsi salubre) auxerat, habuit. Et cum experientia disceret et orationis et studiorum profectum ea ratione impediri, diligenter deinde, cum aliis praepositus est, valetudinem eorum curavit, adeo ut in Collegiis etiam praefectum sanitatis, qui ad valetudinem collegialium tuendam, curam adhiberet, constitui, et singulis hebdomadis relaxationem aliquam honestam studiosis concedi voluit. Iis autem, qui in morbum inciderant, vel domi vel in Collegiis, nihil de necessariis et opportunis deesse patiebatur, licet ad id vel suppellectilia vendi, vel aes alienum conflari oporteret.

Occupationes spirituales erga proximos, antequam cursum inchoaret, illo sesquianno, quem humanioribus litteris impen-

dit, et post illum absolutum, magis exercuit : dum autem Philosophiae vacaret, eas intermittendas censuit, non tamen omnino; nam etiam tunc, cum studia id permittebant, colloqui cum quibusdam gravibus hominibus solitus erat, ut vel ipsos juvaret, vel eorum opera alios studiosos juvenes, quos ad Dei obsequium adducere nitebatur, promoveret; et inter alios cum Doctoribus Martiali, Vagli [1] et Moscoso, quibus etiam spiritualia exercitia tradidit, familiaritatem habuit. Et illud lepidi cum doctore Martiali Ignatio accidit. Cum in Philosophia ne Bachalaureus quidem adhuc esset Ignatius, Theologiae doctorem eum creare volebat, et hanc reddebat rationem: " quandoquidem tu me Doctorem doces, justum est ut et tu sis Doctor „, et ita serio de eo promovendo ad Doctoratum agebat; quamvis Ignatius id non permisit. Aliis etiam quibusdam operibus pietatis, quae sine dispendio lectionum tractari poterant, dabat operam; cujusmodi erat pauperibus scholasticis, honestam aliquam conditionem quaerendo, ut et ipsi studere possent, subvenire, ac consiliis et exhortationibus studiosos adjuvare: et inde accidebat ut multorum conciliaret benevolentiam; et ad aliquos ad perfectionis statum invitandos interim animum adjiciebat.

Quamdiu in hujusmodi tantum operibus versabatur, pacem cum omnibus, etiam si parum spirituales essent, retinebat. Sed antequam ingrederetur cursum artium et dum Theologiae vacaret, de multis studiosis juvenibus, et colloquiis et spiritualibus exercitiis bene mereri solitus erat, quorum aliquos ad perfectiora adduxit qui Religionem ingressi sunt. Et ita quindecim fere menses postquam Parisios pervenit, tempestas quaedam contra eum ibidem est exorta, et quidem hac occasione : quod quidam doctor, cognomine Peralta, qui postea fuit canonicus toletanus, et alius doctor cognomine Castrus burgensis, cum quibus familiariter egit statim ut Parisios venit, et tertius, qui Amator dicebatur, postquam spiritualia exercitia acceperunt, saecularibus rebus valedicere et institutum Ignatii sequi decreverunt. Abnegationis ergo causa, et praecipue ut affectum honoris conculcarent, Parisiis publice eleemosynam petere, et quidem in locis ubi cogniti erant, coeperunt: et ab ho-

---

1 *Valle* (Fluviá); *Vaglio* (Michel); *de Vallo* (Stewart-Rose).

rum amicis tragoedia praedicta contra Ignatium ortum habuit. Nam illi tres, etiam armata manu ab amicis ad Universitatem reducti fuerunt, et a suscepto vitae proposito destiterunt. Et ita secundus hic partus, quod ad Societatem attinebat, non evaluit, quamvis viri pii ac boni hi tres in posterum fuerint. Propter hos tamen non solum obtrectationes varias est passus Ignatius, sed et ad Inquisitorem delatus est; de quo cum ab amicis admoneretur, scilicet, coram Inquisitore litem ipsi motam esse; nihil ille commotus est, imo se admonenti ait: " sino ut agant quod coeperunt. „ Vocatus tandem est ad Doctorem Mattheum Ori, ordinis Sancti Dominici, qui Inquisitoris officio Parisiis fungebatur, et statim comparuit Ignatius, et si opus esset et ita vellet, se carcerem ingressurum dixit; nam si quid peccasset, se corrigi velle. Admiratus est Inquisitor hanc promptitudinem, sed nihil esse opus ut carcerem ingrederetur, dixit, cum nihil, quod alicujus esset momenti, ab adversariis delatum fuisset: et ita prima haec lis fuit extincta.

Sub finem autem studiorum, cum in Hispaniam Ignatius profecturus esset, ad eumdem Inquisitorem secundo delatus est, et quidem eo tempore, quo rex Franciscus, 1535, multos haereticos Parisiis comburi jusserat, cum sacramentarii sese prodere in eo regno ac potissimum Parisiis coepissent. Ex his autem non paucos, qui ad viam veritatis se reduci sinebant, Ignatius ad Inquisitorem adduxerat, ut ab eo absolverentur. Hoc ergo tempore a suis adversariis Ignatius, et potissimum propter exercitia spiritualia, quasi suspectae doctrinae reus apud Inquisitorem agebatur: ubique enim daemoni molesta erant, quod multos ex ejus manibus ereptos ad Dei servitium traducebant. Cum autem Inquisitor exercitiorum librum manuscriptum postulasset, non solum in eis nihil reprehendendum invenit, sed ad suum etiam usum exemplum eorum cum consensu Ignatii sibi descripsit; sicque adversarii a prosequenda causa destiterunt. Sed Ignatius, cum tempora illa suspecta esse animadverteret, et jam socios (de quibus infra) congregatos haberet, cumque ipsemet in Hispaniam esset profecturus, litem hanc pendentem sibi relinquendam non esse, nec supersedendum, sed ad sententiam usque procedendum sentiebat. Recusante autem Doctore Ori, quia nihil quod alicujus esset momenti ab adversariis allatum fuisset, instabat nihilominus precibus Ignatius et suis et

aliorum ut sententiam ferret; at cum ille ob rationem jam dictam in recusando perseveraret, hoc consilium Ignatius inivit: quemdam publicum notarium, et duos vel tres magistros, ut testes secum adducens, ad Inquisitorem venit, et ab eo testimonium publicum postulat, quo quid de ipso sentiat, testetur. Tunc multa in commendationem Ignatii Inquisitor dixit, quae notarius coram praedictis testibus descripsit, et ex eis instrumentum confecit.

Hujusmodi ergo controversiae in initio et fine studiorum fuerunt; nam media, ut diximus, habuit quietiora, quod ipse suis studiis potius quam aliis juvandis vacaret. Cum tamen ex condiscipulis in artium curriculo aliquos, bona indole praeditos, ad profectum in virtutibus ac spiritu excitaret, et dum illi devotioni vacant, minus assidui quam magister voluisset, in exercitationibus scholasticis essent; frustra admonito Ignatio, rem magister ille ad sui Collegii praesidem (primarium Parisiis vocant) defert, et ab hoc homine suam classem perturbari conqueritur. Primarius tunc erat Doctor Govea, Lusitanus, vir alioqui antiquae fidei et probitatis, sed cujus animus propter illum, quem superius diximus, Amatorem, exasperatus contra Ignatium fuerat, et ideo nimium credulus. Verbis magistri praedicti publicum supplicium de Ignatio sumere *(aulam* Parisiis vocant) decrevit: cum enim facinus aliquod insigne in Collegiis Parisiensibus perpetratur, in aulam cum magistris, cum toto Collegio conveniunt; deinde ordine suo, a primario et magistris, collegialibus spectantibus, reus denudatus, virgis caeditur acerbissime et ignominiose. Cum hoc supplicium sibi parari Ignatius intellexisset, quamvis carne repugnante, animo alacri, et propter Christum hoc et multo graviora ferre paratus, imo et cupidus, ad Collegium Sanctae Barbarae se confert. Sed cum, eo ingresso et foribus clausis, campanae pulsu evocati collegiales jam essent, venit in mentem Ignatio hanc ignominiam suam ad multos juvenes, qui ejus opera profecerant et ad perfectiora aspirabant, nocumenti plurimum esse allaturam: itaque Doctorem Goveam in cubiculo adhuc existentem adiens, se libenter, quod ad se attinet, supplicium illud subiturum ait, sed timere se ne spiritualis fructus et Dei honor detrimentum ex eo patiatur ; proinde ut videret ipse quid facto esset opus. Tunc bonus Doctor a Deo valide compunctus, Ignatium in au-

lam deducit, et coram omnibus, qui longe aliud exspectabant, genua coram Ignatio flectens, profusis etiam lacrymis, veniam ab eo postulat; et sanctum virum illum esse, ad suam mortificationem propensum, sed zelo honoris Dei ad ipsum alloquendum fuisse commotum, collegialibus declarat. Et exinde rebus Ignatii affectus in posterum adeo fuit, ut ipsemet Regi Portugalliae auctor fuerit aliquos Ignatii socios in Indiam mittendi, ut inferius dicetur.

CAPUT SEPTIMUM

DE SOCIIS AB IGNATIO PARISIIS CONGREGATIS, ET EJUS ATQUE ILLORUM IN ITALIAM ADVENTU

Quamvis studiis daret operam Ignatius, officiis et suavi ac simul pia familiaritate ingeniosos aliquos et eruditos juvenes ad pietatem allicere et ad perfectum Dei obsequium atque animarum auxilium eos comparare nitebatur. Ex ejus autem filiis, e quibus prima nostra Societas coaluit, primogenitus fuit Magister Petrus Faber, sabaudus, quem cum vidisset in latinis et graecis litteris et etiam in Philosophia prae caeteris eminere, adeo ut Magister ejus, cognomine Peña, cum de textu Aristotelis quidquam dubitasset, non habere quem consuleret nisi Petrum Fabrum, discipulum suum, fateretur (forte propter graecae linguae peritiam), hunc, inquam, alioqui pauperem, officiis charitatis Ignatius primo demeruit; et quia in eodem erat cubiculo cum ipso, ejusdem opera in repetendis lectionibus utebatur. Hunc ergo ad confessionem generalem totius vitae faciendam initio est exhortatus, et ut octavo quoque die confiteretur et communicaret, et conscientiam suam quotidie examinaret. Quarto demum anno, exercitia spiritualia eidem, jam artium cursu absoluto, proposuit, quibus exactissime cum operam dedisset, profunde admodum in sui ipsius et Dei cognitionem penetravit, et miram pacem est assecutus, cum prius velut fluctibus quibusdam ejus animus jactaretur. Et ita decrevit se totum Deo mancipare et Ignatii institutum sequi.

Erat ejusdem cubiculi et studii socius Magister Franciscus Xavier, nec minus familiaris Ignatio, sed in rebus spiritualibus

non ei admodum addictus, vir nobilis, natione navarrus. Hunc autem, cum artium cursum absolvisset et in quodam Collegio eumdem praelecturus esset, alio beneficii genere obstrinxit Ignatius, discipulos, qui ipsum legentem audirent, quaerendo et ad eum adducendo; sed postea, eodem fere tempore quo Faber, ad spiritualia exercitia et ipse adductus, Deo se consecrare et Ignatium sequi secundus constituit.

Venerat aliquanto prius ex Hispania Jacobus Laynez, qui Compluti artium curriculum emensus cum laude doctrinae non mediocri, et ad magisterium promotus fuerat, et partim ut litteris daret operam, partim ut Ignatium conveniret, de quo multa Compluti audierat, Parisios se contulerat; et ipso in hospitio, paulo postquam ex equo descendisset, incidit in eum Ignatius, et opportunis quibusdam consiliis, etiam ad res temporales pertinentibus, eum sibi non parum conciliavit. Ipse autem Laynez Magistrum Alphonsum Salmeronem ad Ignatium adduxit, qui etiam Compluti latinae et graecae linguae et Philosophiae operam dederat; et cum amicitia eidem Jacobo Laynez esset conjunctus, itineris in Galliam etiam socius fuit: uterque autem eodem fere tempore, quo duo praedicti, exercitiis a P. Ignatio susceptis, ejus institutum in Dei servitio sequi deliberarunt.

Circa idem tempus venit ex Hispania Nicolaus Bobadilla, qui etiam cursum philosophicum absolverat, et aliquid etiam ejus facultatis Vallisoleti legerat. Et cum Parisios ad studia persequenda venisset, et tenuis esset fortunae, ad Ignatium venit, a quo fama erat multos studiosos ad honestam conditionem inveniendam juvari. Providit ergo illi Ignatius, et curavit ut studendi in ea Universitate commoditatem haberet: et cum ipse etiam colloquis Ignatii adjutus et exercitiis excultus esset, nuncium rebus saecularibus remittere et Ignatium sequi et ipse statuit.

Magister Claudius Jajus postea ingressus est, et Magister Paschasius Broetius cum Magistro Joanne Codurio, et hi duo per Magistrum Fabrum, qui Sacerdos Parisiis effectus magnum sui odorem spargebat, Ignatio ultimis illis annis se adjunxerunt, quemadmodum et Magister Simon Rodericus, post quinque vel sex prius enumeratos, Ignatio adhaesit; qui antequam Ignatium cognosceret, vir desideriorum erat; et colloquiis

et familiaritate Ignatii adductus, ejusdem instituti rationem sequi decrevit. Praeter hos, qui socii in religionis institutione P. Ignatio postea fuerunt, alios etiam Dominus per Ignatium moverat, ut se totos divino obsequio manciparent, ex quibus alii quidem ad saecularia redierunt, alii in vitae integritate liberi tamen perseverarunt, alii varias religiones, franciscanorum, dominicanorum et carthusiensium sunt ingressi, et in eis cum optima aedificatione perseverarunt. Duo vel tres alii ipsum institutum Ignatii sequi constituerant, sed cum animadverterent nihil adhuc illi certo constitutum esse, quod ad vivendi modum attinet (quamvis enim Ignatius et socii divinis obsequiis et proximorum se mancipaverant, nihil dum de religione instituenda cogitaverant), hanc animi suspensionem non ferentes, religionem Sancti Francisci sunt ingressi duo saltem ex eis; et constat quod alter eorum magno cum fructu in ea est religione versatus. Tertius, cui Caceres cognomen fuit (quemadmodum illi jam dicto in Hispania) perfectionis propositum abjecit, nec tamen hoc saeculum, quod dilexit, eum admodum suaviter tractavit. Magis tamen mirandum videtur, et peculiari Dei providentiae adscribendum quod praedicti novem conservati fuerint, quam quod alii recesserint.

Ratio autem quam in eis conservandis Ignatius tenuit, haec fuit: In primis votum simplex omnes emiserunt se totos divinis obsequiis in perpetua paupertate dedicandi, et proximorum salutem procurandi, et ad condictum tempus Hierosolymam proficiscendi: quod si intra annum transire non potuissent, vel eo pervenientibus manere in Terra Sancta non licuisset, aut re ibi Domino commendata, se quod cupiebant de juvandis infidelibus et vita pro Christi honore impendenda consequi non posse invenissent, tunc demum se praesentaturos voverunt Summo Pontifici, Christi Vicario, ut illos eo mitteret et impenderet pro suo arbitrio, ubi ad Dei gloriam proximis prodesse magis possent; et haec quidem vota anno 1534, ipso die Assumptionis B. Virginis, in templo Sanctae Mariae Montis Martyrum emiserunt: et 1535 ac 1536, eodem die et loco, eadem renovarunt, quamvis primo non omnes: postremo ex his annis reliqui, qui jam ad Societatem accesserant, etiam interfuerunt.

Secunda ratio socios hos conservandi fuit mutua familiari-

tas et crebra horum cum illis communicatio. Nec enim eodem in loco habitabant, et nunc apud unum, nunc apud alium ex eis, mutua cum charitate cibum capere solebant, et alii alios in rebus spiritualibus et etiam temporalibus subveniebant, et ita fovebatur et augebatur inter ipsos in Christo dilectio. Collatio etiam in rebus litterariis non nihil juvabat, qui enim in quovis talento magis abundabat, alium eodem indigentem sublevabat.

Tertia erat ratio orationis mentalis ac meditationis usus, cui post exercitia spiritualia suscepta dediti omnes erant.

Quarta erat confessionis et communionis octavo quoque die frequentatio. His ergo rationibus, dum theologica studia absolvebant, in quibus plures eorum egregie profecerunt, animi sui propositum retinuerunt.

Nulla tamen ratio efficax perinde fuisse videtur, ut divinae Bonitatis electio et providentia, quae ad tantum opus hos juvenes simul cum Ignatio, velut futuri aedificii columnas esse voluit. Nam si humana ratio consideretur, mirandum prorsus videtur quod nec ipse Ignatius nec socii praedicti, qui se totos Dei obsequio consecraverant, ad ullam ex tam multis Religionibus animum applicaverint, cum tamen ipsi nullum certum institutum, ut diximus, animo praesumpsissent, nec de his quae postea successerunt, scilicet, instituenda nova Religione, quidquam in mentem eis venisset. Sed viros alioqui sensatos et eruditos Deus in praedicta suspensione animi retinebat, quod eorum ministerio ad hanc Societatem instituendam uti vellet; et spes praedicandi infidelibus, vel moriendi por Christi fide inter ipsos, inter rationes humanas ad suspensos eos retinendos maxime conferebat.

Vexabatur interim acerbissimis stomachi doloribus Ignatius, nec ullum remedium medici adhibere poterant, et ita eorumdem consilio in Hispaniam ad nativum aërem, quo valetudinem recuperaret, proficisci decrevit; ubi etiam multis offendiculo fuerat, aliquid aedificationis, sua scilicet in patria, praebere cupiebat; quorumdam etiam sociorum negotia conficere, et si quem ex primis sociis invenisset, ut oportebat dispositum, sibi adjungere cogitabat. Sic ergo cum sociis rem composuit, ut ipso die Conversionis Sancti Pauli, mense Januario anni 1537, Venetias proficiscerentur, ubi eumdem Igna-

tium, vita comite, erant inventuri. Cum autem Magistrum Petrum Fabrum caeteris tamquam patrem reliquisset, in autumno anni 1535 Parisiis profectus est, et quidem equo a sociis ei dato propter morbum usus, breviter itinere confecto, in provinciam Guipuzcoae pervenit.

Erat tunc domus Loyolae atque Oñaz Dominus nepos Ignatii, ex fratre, qui quamvis disposuerat aliquos in via ut ejus adventum explorarent, impedire tamen non potuit quin ipse ad hospitale pauperum in oppido Azpeitiae, cui domum Loyolae vicinam diximus, pergeret, nec consanguineorum ullis precibus aut lacrymis inde abduci potuit; imo postridie per oppidum egressus eleemosynas ostiatim mendicavit, quod etiam acerbe admodum Loyolae dominus ferebat, cum suae familiae id dedecori esse putaret. Frustra iidem consanguinei ne christianam doctrinam doceret, aut de ea praedicaret, impedire nitebantur; nec enim ipsum aut se decere id arbitrabantur, et auditores ipsum minime habiturum dicebant. Sed Ignatius, vel unico puero praesente, se non omissurum christianae doctrinae praedicationem affirmabat, quam cum esset aggressus, tanta auditorum confluxit multitudo (inter quos et ipse Loyolae dominus erat) ut cum Ecclesia Azpeitiae capax non esset, in campum egredi Ignatius ad praedicandum debuerit; et aliqui ut commodius audirent, arbores etiam conscendebant.

Cum igitur partim in Ecclesia concionando, partim extra illam doctrinam christianam proponendo, non solum satisfactionis et admirationis, sed etiam commotionis plurimum excitasset, fructus insignis ex ejus opera, Dei gratia cooperante, consecutus est: multi enim a statu peccati mortalis recesserunt et poenitentiae viam ingressi sunt; multae discordiae inter aliquos, qui inimicitias gerebant, compositae fuerunt; lex publice contra ludos lata est; et ad pauperum subventionem, ne mendicare cogerentur, necessaria prospici auctoritate publica curavit; abusum etiam quemdam valde perniciosum, qui latissime in ea provincia patebat, omnino abolere curavit. Cum enim pro more ejus regionis puellae aperto capite incedant, quod velare, donec maritis nubant, minime solent, consueverant nihilominus aliquae, vel sacerdotibus vel aliis viris in concubinatu adherentes, in illorum nomine caput velare; quod eo

accedere videbatur, ut concubinatus fere pro matrimonio haberetur: est ergo hic abusus sublatus. Constitutum etiam est ut ter quotidie campana ad orationem, mane, meridie et vesperi pulsaretur, et ut pro his qui in peccato mortali essent quotidie oraretur; et domus Loyolae curam ut haec non intermitterentur suscepit [1]; qua in domo, cum tandem exoratus divertisset, concubinam etiam cuidam in ea primario viro ademit, et ad vitam honeste ducendam mulierem adjuvit.

Et cum aliis pietatis operibus perfunctus in patria esset, unico fere mense in ea exacto, Pompejopolim in Regno Navarrae ad negotia Magistri Francisci Xavier conficienda discedere statuit. Et quamvis denuo cum consanguineis contendendum illi fuit circa modum itineris conficiendi, cum eum equitem et cum famulis deducere vellent; nihilominus quia jam convaluisse satis videbatur, paupertatis amator, pedibus iter voluit conficere; et equum quo vectus fuerat, hospitali reliquit, quem senescentem in memoriam Ignatii liberum in pascuis, quod reliquum erat vitae, ut postea audivimus, permiserunt. In Hispania non est commoratus diu Ignatius, nec publice concionatus, cum in Italiam properaret; privatim tamen hos atque illos pro suo more adjuvabat; et cum negotia sociorum Pompejopoli, Almazani et Toleti confecisset, parentibus eorum satisfaciendo, et ut ad viaticum peregrinationis Hierosolymitanae juvarent curando, Valentiam ivit et inde Barcinonam, unde nave vectus in Italiam solus pervenit. Ex primis enim quinque, quos in Hispania jam pridem reliquerat, et ex tribus aliis qui etiam Parisiis in Hispaniam redierant, nullus ad hanc peregrinationem Hierosolymitanam et Ignatii institutum sequendum paratus fuit.

Navigavit ergo et gravi tempestate jactatus, quae etiam navis armamenta confregerat, Genuam tandem pervenit, unde Bononiam pergens et in Apennino Monte extra viam errans, cum gravi periculo praecipitii, Bononiam, Deo juvante, pervenit; et cum sub ingressum ex quodam arcto ponte lapsu pedum in fossam decidisset, indeque coeno plenus egrederetur, aliis compatiendi, aliis etiam ridendi occasionem praebebat; et in toto hoc itinere, aliquando usque ad genua et supra

---

1 Vide in *Boletin de la Real Academia de la Historia*, t. XIX, pág. 553.

illa (cum tempus esset hyemale) per lutum ingredi oportebat. Itaque, cum alioqui molestia stomachi consueta laboraret, magna incommoda in hoc itinere eum perferre necesse fuit : et cum in vestibus lavandis a luto commoratus, post meridiem urbem ingrederetur, per totam illam mendicans, ne frustum quidem panis invenit. Sed cum hoc modo militem suum aliquandiu Dominus probasset, in Collegio hispanorum Bononiae fuit exceptus, et potuit vestes assiccare et refici. Decreverat ipse aliquantulum Bononiae studere, interim dum socii ex Gallia ad condictum tempus veniebant ; nam D.ª Isabella Rosell aliquid ei pecuniae Bononiam transmiserat : sed cum nebulas ejus urbis non ferret, Venetias progressus est, ubi socios expectavit.

At novem socii Parisiis relicti, 25 Januarii juxta praescriptum ordinem ab Ignatio profecturi, hoc tempus anteverтere propter bella Principum coacti sunt, et ita undecima Novembris anni 1536 Lutetia Parisiorum simul discesserunt, et toto eo et sequenti mense Decembri, magno cum incommodo propter hyemis asperitatem, iter fecerunt : et octava die Januarii sequentis anni 1537 Venetias pervenerunt. Iter autem per Lotharingiam et Germaniam tenuerunt, cum per Galliam bellorum tumultus liberum transitum non relinqueret. Sub tempus recedendi Magister Jacobus Laynez adversa valetudine laborabat, sed utcumque convaluit, ejus animi vigor vires, Deo juvante, corpori suppeditabat ; et constat quod cilicio ad corpus sub indusio indutus, laborem et itineris et temporis auxit. Omnes pedites et talaribus induti tunicis incedebant, et suos libros, praecipue manuscriptos, quos studiorum tempore collegerant, sacculis inclusos humeris portabant. Tres erant inter ipsos sacerdotes : Patres scilicet Faber, Claudius et Paschasius, qui quotidie vel celebrabant, vel simul cum sex aliis non sacerdotibus, aliquo ipsorum celebrante, postquam confessi fuissent, communicabant. Ante egressum ex hospitiis, et postquam ad ea pervenissent, aliquid temporis orationi et gratiarum actioni dabant ; mensa sobria admodum utebantur; in itinere vel de divinis rebus loquebantur, vel seorsum quisque meditabatur aut orabat. Cum aliquid inter ipsos constituendum erat, praemissa oratione et re proposita, eam partem sequebantur ad quam plurium sententia inclinaverat ; et hanc eam-

dem rationem deliberandi tenuerunt, donec superior anno 1541 sequenti inter eos est constitutus.

Quamvis autem experti non erant iter pedestre, et hyems illa satis in illis locis erat pluviis obnoxia, adeo ut quotidie dum per Gallias incederent plueret, et quamvis per Germaniam nivibus omnia plena invenissent; divina tamen protectione et auxilio a multis periculis et incommodis liberati, incolumes Venetias pervenerunt. Ipsi etiam milites et lutherani humanitatem eis exhibebant, et duces vel socios itineris non incommodos nostris se praebebant. Admirationi erant multis, cum novem numero et praedicto modo incedentes viderentur, et ut hoc tantum in particulari dicam, quidam alteri de illis percontanti, gallice dixit: "Ad aliquam provinciam reformandam isti tendunt„: et tam catholici quam haeretici consolationem et aedificationem eorum aspectu accipiebant: inter alios haereticus quidam concionator, cum ipsis conferens de suis dogmatibus, se superatum fatebatur; et in universum, tum exemplo, tum verbo, quocumque veniebant et occasionem de rebus divinis loquendi habebant, fructum aliquem capiebant.

CAPUT OCTAVUM

DE IIS QUAE VENETIIS ET IN ALIIS ITALIAE LOCIS AB EIS GESTA SUNT, DONEC A SPE EUNDI HIEROSOLYMAS FUERUNT EXCLUSI

Annum fere integrum Ignatius Venetiis versatus erat, antequam socii eo pervenirent, scilicet octava die Januarii praedicti anni 37, nec exiguo cum fructu. Ibi redeuntes ex peregrinatione Hierosolymitana P. Didacum de Eguia et Stephanum, ejus fratrem, viros in Navarrae regno nobiles et valde pios, in Societatem suam admisit. Quidam etiam Theologiae licentiatus, cognomine Hoces, eidem sese adjunxerat, qui prius quidem, ne sibi imponeret Ignatius, cum ad exercitia spiritualia accederet, non paucos libros secum intulerat, ut doctrinam sibi propositam examinaret. Sed ut erat simplicis et candidi animi vir, et divini servitii cupidus, in eisdem exercitiis non solum animadvertit ab Ignatio sibi cavendum non esse, sed ejus institutum omnino sequi instituit. Proposuerat

Venetis quibusdam nobilibus spiritualia exercitia idem Ignatius, et de multis aliis benemereri, prout solitus erat, ubique studebat. Hic etiam inter alios cum D. Joanne Petro Caraffa, tum sanguine, tum archiepiscopatu Theatino relicto, tum eruditione et aliis Dei donis valde illustri viro, qui cum aliis piis viris clericorum regularium ordinem (Theatinos ab ejusdem Joannis Petri archiepiscopatu vocatos) constituit (quorum institutum a Clemente VII, Pontifice maximo, approbatum fuerat) familiariter egit aliquando, et de rebus quibusdam ad novum Ordinem illum pertinentibus, eum ex charitate prudenter admonuerat ; sed non admodum libenter quae suggessisset audita fuerunt ; et quamvis nulli unquam Ignatius retulit quae illi cum praedicto D. Joanne Petro Caraffa accidissent, facile tamen ex ejus verbis intelligi poterat non levis fuisse momenti. Quidquid illud sit quod inter ipsos actum fuit, exinde ortum habuit quod nonnulli suspicabantur et dicebant ipsum scilicet Joannem Petrum Caraffam, postea Cardinalem Theatinum ac eumdem Pontificem Paulum IV, non admodum erga Ignatium affectum fuisse, quamvis illum semper, etiam dum Pontifex esset, magno honore prosequeretur. Passus etiam Venetiis fuerat Ignatius contradictionem a daemone, qui valde ipsi et ejus exercitiis infestus erat, quod ex ejus faucibus animas eripere nitebatur, excitatam.

Fugitivum ipsum esse ex Hispania et Gallia calumniabantur, et cum res ad Legatum Pontificis, Episcopum scilicet Verallum, postea Cardinalem, esset delata, ipsemet Ignatius Legatum ursit ut, inquisitione prius habita, sententiam ferret : nec enim (quum jam Societas esset congregata) rem dissimulandam esse, aut silentio involvendam putabat ; et ita a Verallo sententia lata est, quae et innocentiae testimonium et commendationem Ignatii continebat ; et jam inde ab eo tempore Doctor Gaspar de Doctis, qui auditoris officio apud Legatum fungebatur, affici et favere rebus Societatis nostrae coepit.

Sic ergo res se habebant Ignatii, cum ineunte Januario, ut diximus, anni 1537, socii Venetias pervenerunt, et magna consolatione invicem alii ab aliis affecti sunt : et de profectione Hierosolymitana agi coeptum est. Prius autem Romam ire ad facultatem et benedictionem Pontificis petendam oportebat, sed nondum idoneum tempus ad romanam profectionem erat ; ideo

usque ad proximum ver in duo hospitalia Venetiarum, ut pauperes interim aegrotantes juvarent, divisi sunt. Quinque eorum apud Sanctos Joannem et Paulum, totidem apud hospitale incurabilium suam operam illis impenderunt. P. Petrus Faber cum bacchalaureo Hoces in confessionibus pauperum audiendis potissimum occupabatur; reliqui in corporalibus misericordiae functionibus: et tam strenue suum officium fecerunt, ut plurimos annos bonus eorum odor Venetiis duraverit. Praecipue autem Magistri Francisci Xavier fervor, et charitas, et sui ipsius victoria eminuit, adeo ut cum ad cujusdam morbo gallico laborantis plagas nausearet, ne erga proximum et carnem suam ea de causa minus amanter se haberet, et nauseam ipsam superaret, pustulum vel quid hujusmodi ex ulcere ejus in os proprium immisit et deglutivit. Inde etiam ejus charitas erga leprosos et contagiosis morbis infectos reliquo vitae tempore peculiaris admodum extitit. In hoc ministerio a suo adventu usque ad mediam quadragesimam perseverarunt; tunc autem Romam profecti sunt. Sed Ignatius Venetiis substitit, quod suspicabatur fieri posse ut sua praesentia quibusdam parum esset Romae grata et sociis noceret. Inter quos erat Doctor Ortiz, qui Parisiis recedens quo tempore secundam illam tragoediam ibi excitatam esse contra Ignatium diximus, amicis commendatum reliquerat, ut Ignatii doctrinam diligenter excuterent.

Recesserunt ergo Romam versus in plures partes divisi, terni scilicet, et semper galli cum hispanis mixti et unum ex Sacerdotibus in suo comitatu habentes, nec solum pedites, sed ex mendicato viventes iter confecerunt; et accidit aliquando magna cum pluvia viginti octo aut triginta milliaria conficere, nudis pedibus aquas, quae aliquando ad pectus usque ascendebant, transeuntes; et cibus interdum erat modicus panis mendicatus cum aqua; et jejunabant nihilominus, quia tempus erat quadragesimae. Et hilares et psalmos cantantes, et quotidie Confessionis et Communionis sacramento refecti, peculiarem Domini providentiam, tam in incommodis ferendis quam in rebus necessariis suo tempore obtinendis, experiebantur. Cum enim non male omnino induti essent, et sacculos cum suis scriptis ferrent, ubi pecuniae eos ferre homines credebant, illi etiam ipsi [qui id credebant] eleemosynam non denegabant;

ut accidit cum semel fluvium cymba transmissuri essent, nec unde naulum solverent haberent; quidam enim vir bonus dixit: "Video quod non vultis aureos vestros commutare, ideo pro vobis ego volo solvere." Cum autem quidam sacerdos, qui de ipsorum numero non erat sed ipsis se adjunxerat, sacrum celebraret, et contra nostrorum consuetudinem in fine eleemosynam postulasset, ad fluvii proximi transmittendi naulum [solvendum] pauculos obolos, nostris aegre ferentibus, accepit. At cum templum egressi ad flumen nostri pergerent, tantum eleemosynae illis sponte oblatum est, quantum ad fluvium trajiciendum opus erat: et ita oboli quos ille sacerdos in Missa emendicaverat, soli superfuerunt; quibus ei redditis, occasionem ipsum admonendi ut in Dei providentia spem constituendo, in Missa, quod parum decebat, non mendicaret, habuerunt. Et simul atque fluvium trajecerunt, quidam vir bonus omnes mensa sua excepit: inter aquas autem, et itineris, et penuriae labores, non solum sanitatem Deus conservavit, sed Magister Joannes Codurius qui prius male habebat ex pedum aegritudine, convaluit.

Cum Romam pervenissent (quod nudis pedibus P. Jacobus Laynez ingressus est), et Doctorem Ortizium aliqui ex eis essent allocuti, non solum adversarius ipsis non fuit, ut quidam suspicabantur, sed cognita ipsorum sinceritate ex primis congressibus, omnem eis humanitatem et charitatis subsidia exhibuit. Missus is fuerat a Carolo V ad Pontificem ob negotium matrimonii Catherinae, reginae Angliae, quam rex Henricus repudiaverat. Is ergo praedictos Ignatii socios ad summum Pontificem Paulum III adducendos, et ad pedum oscula admittendos curavit: et cum in more haberet Pontifex ut inter prandendum disputantes, praesertim theologos, audiret, primo illo die quo nostri ad ejus conspectum deducti fuerant, disputantes eos audire voluit; et peculiari animi consolatione se affectum, eis auditis, ostendit, et intellecto eorum desiderio ac voto Hierosolymas eundi, facultatem ac benedictionem benigne eis dedit, cum eleemosyna sexaginta aureorum. Alii autem ejus curiae viri, ac praecipue hispani, alios 150 aureos ad iter hierosolymitanum adjunxerunt, quos tamen ipsi Romae attingere noluerunt, sed per trapezitam totam eam summan 210 aureorum Venetias miserunt. A Cardinali etiam tituli Sancto-

rum Quatuor, Summo Poenitentiario, facultatem obtinuerunt ut sine beneficio vel patrimonio ad titulum paupertatis voluntariae et sufficientis doctrinae possent ad sacros ordines promoveri.

Venetias ergo socii cum rediissent, et de profectione hierosolymitana, cujus tempus jam imminebat, agerent, Deo aliquid melius providente, eo anno accidit ut nulla navis cum peregrinis ad Terram Sanctam transiret; quod sane multis retro annis non acciderat, nec sequentibus accidit. Et humana quidem causa haec fuit; quod Veneti id temporis cum summo Pontifice et Carolo V Imperatore arma contra regem Turcharum Solymanum sumpserant; sed Divina Sapientia hos decem vel undecim viros qui Ipsius obsequio se totos devoverant, ad aliud opus insignius, quodque latius pateret ad Ipsius cultum et animarum auxilium, reservabat. Explicaverant in suo voto, Parisiis non semel emisso (ut diximus), quod si intra unum annum Hierosolymas transire non possent, non amplius eo voto tenerentur, sed ad pedes Summi Pontificis ut Christi Vicarii se conferrent, ut ab ipso quovis gentium ipsi videretur, mitterentur; et ita nulla dispensatione voti postulata nec itinere confecto, praedicta ratione liberi fuerunt. Expectandus tamen erat annus, ab eo tempore, quo Venetias venerant, computandus juxta praedicti voti tenorem, et ita in dominio Venetorum sibi manendum esse usque ad praedictum tempus constituerunt.

Ad Hospitalium ergo ministeria, usque ad mensis Junii finem, cum magna aedificatione redierunt. Interim dum se ad sacerdotium praeparabant, die Sancti Joannis Baptistae juxta facultatem acceptam Romae ad ordines sacros tum Ignatius, tum reliqui sex, qui sacerdotes non erant, promoti sunt; prius tamen in manibus Legati Sedis Apostolicae Veralli votum paupertatis perpetuae et castitatis emiserant ut ad titulum paupertatis promoveri possent, et quemadmodum Cardinalis Sanctorum Quatuor facultatem gratis dederat. Ita juxta illam Arbensis Episcopus gratis omnino sacros ordinis contulit, idque tanta cum animi sui consolatione, ut talem se numquam sensisse in conferendis ordinibus testaretur. Nec statim tamen ministerium hospitalium reliquerunt, sed cum in eo usque ad julii mensis finem perseverassent, et animadverterent tempus

sibi non superesse, quantum satis esse videbatur, ut se ad Misae sacrificium Domino offerendum praepararent, hoc inierunt consilium ut quod reliquum erat hujus anni variis in locis ditionis venetae exigerent, ubi sibi ipsis per orationem et meditationem magis vacarent, et in eleemosynis emendicandis et concionibus cum exiguo vel nullo studio in plateis ad populum habendis, propriae mortificationi in primis, deinde etiam proximorum utilitati, quoad ejus fieri posset, operam darent, et his humilitatis et charitatis functionibus ad primitias suscepti ordinis Deo offerendas se praepararent. Beatus ergo Ignatius cum Patribus Fabro et Laynez Vincentiam, PP. Franciscus Xavier et Salmeron Montem Celesium, PP. Codurius et Hocius Tarvisium, PP. Claudius et Simon Bassanum, et demum PP. Paschasius et Bobadilla Veronam profecti sunt. Cum ergo P. Ignatius cum sociis Vincentiam venisset, in domo quadam deserta prope urbem, quae et fenestris et portis carebat, hospitium sibi delegerunt, et nonnihil straminis lectum eis praebebat ; victum ex mendicato Faber et Laynez quotidie bis urbem ingressi emendicabant, et quidem initio vix tantum panis quantum sustentationi eorum sufficeret afferebant. Sedebat ad sarcinas Ignatius, et coqui officio, si quid erat quod coqueretur, fungebatur. Et licebat eis abunde patientiam exercere et orationi vacare quadraginta diebus quos ibi exegerunt, cum alioqui valetudinarii fere omnes essent.

Cum autem P. Joannes Coduri Vincentiam etiam novus hospes advenisset, decreverunt omnes simul qui quatuor jam erant, in variis urbis locis concionari ; et quamvis linguae italicae satis essent eo tempore imperiti, ea ut poterant suos conceptus explicabant, et civitas non verba sed spiritum et salutarem doctrinam considerans, et proficere, et eisdem affici, et ita meliuscule nostros tractare coepit ; et opportune; nam et P. Ignatius et P. Laynez febricitare coeperant. Qui aliis in locis versabantur, dum his similia et agere et pati pergunt, P. Simon Bassani in tam gravem morbum inciderat, ut ad mortem vicinam res tendere videretur. Renunciatur ergo Ignatio adhuc valetudinario, imo et febricitanti licet leviter, ut si vivum vellet videre Simonem, ad eum Bassanum properaret. Relicto igitur in hospitali P. Laynez Vincentiae, et posthabita suae valetudinis cura, Bassanum ire Ignatius constituit, et ad-

juncto socio P. Fabro, tam alacriter postridie triginta milliaria Bassanum usque confecit, ut vix Faber eum praeeuntem consequi posset. Dum autem erat in ipso itinere, Simonem Deo commendans, edoctus est ab Ipso quod moriturus non esset Simon ex eo morbo ; et ita id P. Fabro socio renunciavit, qui haec retulit. Erat Simon in heremitorio quodam extra Bassanum sub titulo Sancti Viti, quod heremita quidam, Frater Antonius nomine, qui magnae existimationis et multis Dei donis praeditus, licet non litteris, habebatur. Et hoc heremitorium temporis successu Societati applicatum, et ab ipsa demum capuccinis donatum fuit. Simul atque igitur ad Simonem accessit Ignatius, et jam ad extrema redactum salutavit, et in Domino complexus est, statim ipse melius habere coepit, et, ut creditum est tam ab ipso Simone quam a Fabro, placuit Domino ejus vitam orationibus ac desideriis Ignatii donare. In eodem heremitorio accidit ut vir quidam spiritualis (ipsum fratrem Antonium hunc fuisse creditur, quia ejus nomem nostri non retulerunt) in suscipionem veniret quod quidam ex nostris qui ibidem erat (hunc autem vel Ignatium vel Fabrum fuisse creditur) imperfectus esset ; forte quod aliqua exteriora vir austerus in eo adnotasset, quae ipsi liberiora videbantur; sed cum vir praedictus oraret, et magno affectu devotionis mens ejus Deo adhaereret, fuit illi in spiritu ostensus ille, de cujus imperfectione non bene sentiebat, cum animo et zelo apostolico : et hoc quidam ex nostris qui multo post tempore in eodem heremitorio fuit, intellexit et retulit.

Cum igitur praedicti Patres aliquandiu se praeparassent, omnes Vincentiam venerunt, ut ibi prima sacrificia Deo offerrent ; et cum prius aegre admodum tres ex nostris, ut diximus, se ibi sustentarent, tunc undecim congregati abundanter necessaria in ea urbe inveniebant, vel eis offerebantur. Alii ergo, praeter Ignatium, suas primitias Deo obtulerunt (nam ipse distulit ut Romae, diuturna praeparatione praemissa, ad praesepe Domini in templo Sanctae Mariae Majoris Sacrificium hoc offerret). Congregati etiam ad id fuerant ut quid de profectione Hierosolymitana agendum esset, deliberarent. Exclusi ergo a spe illius, et anno quo ex voto tenebantur transacto, se liberos esse cernentes, decreverunt per varias urbes ac praecipue Universitates Italiae sese dividere, ut aliquot menses ad-

huc in eis exigerent, antequam Romam convenirent, et Pontificis arbitrio, quod ad missiones attinet, se subjicerent. Id etiàm in animo habebant, ut in Universitatibus praedictis, dum pietatis functionibus vacant, viderent num aliquos socios sui instituti Dominus ipsis vellet adjungere. Ipse ergo Ignatius cum Fabro et Laynez Romam recta venit, Paschasius et Simon Senas, Xavier et Salmeron Bononiam, Claudius et Bobadilla Ferrariam, Codurius et Hozius Patavium venerunt ; et omnes quidem cum fructu in praedictis locis versati sunt, sed qui Patavium venerant, prius aliquid patiendi quam agendi locum habuerunt. Nam suffraganeus Episcopi zelo (ut credendum est) bono, sed parum perspectos habens hos Dei servos, statim eos in carcerem et quidem in vincula ferrea conjiciendos curavit, ubi noctem unam cum summa laetitia uterque (sed nominatim Hozius) transegerunt. Postridie tamen suffraganeus, suspicionibus luce veritatis dissipatis, non solum liberos eos dimisit, sed omni favore opportuno ad juvandas animas eos instruxit; et ita illi, et exhortationibus et audiendis confessionibus multis tam nobilium quam plebeiorum ad se confluentium ab aurora usque ad vesperam vacabant. Et per eos placuit Domino multorum animas juvare.

Sed in morbum incidens bacchalaureus Hozius, demum ad Dominum migravit, et consummatus in brevi, suorum laborum praemium mature admodum a Domino accepit; et cum vir esset aspectu parum venusto, et colore subnigro, tanta pulchritudo in ejus vultu post mortem apparuit, ut P. Joanni Codurio, ejus socio, ipsum intuenti, velut angeli vultus videretur, et vix ejus aspectu satiari posset. Cum autem eodem tempore quo ejus mors accidit, P. Ignatius ad Montem Cassinum (qua occasione paulo post dicetur) venisset, et eum, de quo acceperat quod aegrotaret, Domino commendaret, de ejusdem morte a Domino certior factus, et de beatitudine ipsi collata, fuit; et cum deinde ad sacrificium Missae offerendum accederet, ipso in initio, cum in confessione generali diceret: "Confiteor etc., et omnibus sanctis„ admiranda visio mentalis sanctorum est ei oblata, inter quos animam Hozii magno decore fulgentem, Deo revelante, agnovit; et tanta spirituali consolatione ejus animus fuit perfusus, ut aliquandiu a devotionis lacrymis se non potuerit, non uno sed multis diebus, continere.

Ferrariae, PP. Claudius et Bobadilla confessionibus praecipue et piis etiam exhortationibus pauperum ministerio in hospitali vacabant, et dux Hercules eos aliquoties audivit, et alteri eorum peccata confessus est, et de ejus manu communicavit; suam etiam operam in omnibus obtulit, et inter caetera, si Hierosolymas proficiscerentur, omnes expensas necessarias se facturum promisit. Sed cum haec profectio, ut diximus, cessasset, hac ducis liberalitate frui nostros non oportuit; imo eleemosynam illam 210 aureorum ad hanc peregrinationem Romae curatam, ei amico, qui eam procuraverat, Venetiis remittendam nostri censuerunt, ut ipse in pios usus eam converteret. Nec enim illa uti nostri voluerunt ad alium usum quam ipsis donata fuerat. Ipse etiam dux cum contradictionem contra nostros excitatam audisset, suo testimonio et litteris ad suum legatum in curia romana et ad alios missis, quam bene de Societate sentiret quamque ei afficeretur ostendit.

Bononiae, tum in plateis praedicando, auditoribus pileo advocatis, tum etiam confessionibus assidue audiendis et christiana doctrina docenda, optimum odorem, qui plurimos annos duravit et instituendi ibidem Collegii occasio fuit, sparserunt.

Eadem autem Senis a nostris acta fuerunt; sed in pauperum ministerio et puerorum institutione potissimum utilem et gratam operam ei civitati navarunt.

Romae ex eo tempore nostri habitare caeperunt, nec inde Societas recessit. Initio autem, ex praescripto Pontificis, cujus obsequiis se nostri offerebant, PP. Faber et Laynez in academia, quam *Sapientiam* vocant, prior Scripturam sacram, posterior scholasticam Theologiam docuit; Ignatius vero pietatis operibus variis eodem tempore vacabat; nec omittam quod cum Romae appropinquarent, et ad templum quoddam Ignatius orationis gratia divertisset, singulari quadam a Domino illustratione et spirituali consolatione fuit affectus. Toto quidem eo tempore quo se post Sacerdotium ad primum sacrum praeparabat, eximiam a Domino devotionem ac spiritualem visitationem acceperat (quod studiorum tempore minus crebra et vehemens in ipso fuerat); sed in praedicto templo prope urbem, Patrem aeternum Christo Societatem commendantem et quasi in manus ejus tradentem in spiritu vidit: ipse autem Christus Dominus, qui crucem ferre videbatur, benignum vultum Igna-

tio ostendens, "Ego inquit, vobis propitius ero„; et ita confirmata est P. Ignatii sententia de nomine Jesu nostrae Societati imponendo, quam prius tenuerat, ut sequenti capite dicetur, eo quod dignatus esset Dominus Jesus ejus protectionem suscipere peculiarem. Compluribus et quidem gravibus viris exercitia spiritualia Romae proposuit, inter quos fuit Lactantius Ptolomeus, Doctor Ignatius Lopez medicus, et etiam Cardinalis Contarenus, vir eruditione, pietate atque auctoritate clarus, qui magistrum affectuum se invenisse Patrem Ignatium agnoscebat, et sua ipse manu exercitia spiritualia descripsit. Cum autem Doctorem Ortizium prius colloquiis spiritualibus sibi devinxisset, ut eidem exercitia spiritualia commodius proponeret, ne occupationes et amicorum familiaritas eum impediret, ad Montem Cassinum cum eo se contulit, ubi egregie praedictus Doctor in eis profecit, et perpetuam, dum vixit, benevolentiam ac beneficentiam Societati exhibuit, quamvis propter corpus obesum et ad labores Societatis parum idoneum, eam ingressus non est. In reditu autem a Monte Cassino obvium habuit Franciscum Stradam, qui Neapolim ad conditionem aliquam militarem quaerendam pergebat, cum a familia Cardinalis Theatini cum aliis hispanis dimissus esset, in qua P. Ignatio notus fuerat; et ita secum illum Romam reduxit, ubi omnino Societati se dedit; quod et alii quidam juvenes bonae indolis Romae fecerunt.

Anno 1538 post quadragesimam jam omnes socii Romam convenerant, et domum quamdam prope monasterium Sanctissimae Trinitatis, quam propter Dei amorem civis Romanus, Quirinus Garzonius, eis habitandam dederat, aliquandiu tenuerunt, ubi ex mendicato vivebant; et pene omnes eodem tempore in diversis Ecclesiis concionari Romae coeperunt. Ignatius hispanice in templo Sanctae Mariae Montis Serrati, prope Curiam Sabellam, P. Faber apud Sanctum Laurentium in Damaso italice, sicut et alii, scilicet Claudius apud Sanctum Ludovicum (et quidem is cum satisfactione non mediocri, quemadmodum et Laynez apud Sanctum Salvatorem in Lauro) et Salmeron apud Sanctam Luciam, Simon apud Sanctum Angelum, Bobadilla apud Sanctum Celsum; et praeterquam quod quisque in animi sui abnegatione proficiebat, dum fere omnes in italica lingua concionari nitebantur, fructus etiam spiri-

tualis, et major Societatis notitia inde sequebatur. Ignatio multi magnae auctoritatis viri et magna cum aedificatione assidui aderant.

Audivi ego a Doctore Ortizio quod se felicem ducebat quod nullam ejus concionem amisisset. Doctor Arce, etiam theologus, dicebat neminem se audivisse concionantem tam viriliter quam Ignatium, qui velut *potestatem habens*, etc., eo fungi officio videbatur. Doctrina etiam christiana doceri coepta est, et aliqui ludimagistri suos scholasticos, ut christianam doctrinam audirent, ad nostros adducebant. Multi etiam crebro confiteri et communicare coeperunt, quod ad illud usque tempus inusitatum erat; sed nostrorum exhortationes et exempla paulatim homines invitarunt.

Adjuvit etiam Ignatius multa praeclara pietatis opera, quae paulatim Romae coaluerunt, ut puerorum orphanorum, puellarum derelictarum, conversarum, quas Sanctae Marthae vocant, et catechumenorum; de quibus aliqua inferius dicentur.

Eo anno, scilicet, 1538, et primis mensibus sequentis, magna annonae penuria, cum alia Italiae loca, tum Romam ipsam premebat, et multi pauperes mortui fame et frigore in publicis viis inveniebantur. Domum tunc habebat Societas prope turrim (quam vulgo *de la Marangola* vocant) ad quam pauperes aliquos ex his, quos desertos in viis inveniebant, adducere nostri coeperant, et ex eleemosynis, quas sibi postulabant, cum eis partiebantur; lectulos etiam providere hujusmodi pauperibus domi conabantur; sed hoc pietatis opus eo paulatim progressum est, ut ad centum, et deinde ad ducentos et trecentos et fere ad quater centum numerus eorum ascenderet, quibus praeter tectum et ignem, quotquot lectos habere potuerunt, in usum debiliorum providerunt; pro robustioribus stramina praeparaverunt.

Deinde ordinate et quantum satis erat, cibus singulis dabatur, et ne spirituale etiam deesset auxilium, in magna quadam aula congregatis, quidam ex nostris christianae doctrinae cibo eos reficiebat; et usque adeo piorum ac primariorum hominum devotio ad hoc opus charitatis promovendum creverat, ut non solum eleemosynam ad hos pauperes alendos praeberent, sed ipsimet aliquando noctu cum facibus, quas propriis

manibus ferebant, domum nostram veniebant, ut hoc charitatis opus, quod pauperibus impendebatur, viderent; et fuit qui, cum ad manum non haberet aliud quod daret, suis vestibus se exuens, in eleemosynam eas dedit; et hoc opus eo usque fuit continuatum, donec in hospitalibus ratio inita admittendi et alendi hujusmodi pauperes fuit; et ultra tria hominum millia eorum, qui paupertate premebantur, in hujusmodi locis sustentata fuerunt, donec anno 39 collectis frugibus, caritas annonae sese remisit. Nec id solum Ignatii pietas et industria curavit; sed pene res eo adducta fuerat ut ageretur serio de ratione aliqua invenienda ad pauperes in posterum alendos, quamvis quorumdam humana prudentia, ne hoc pium opus stabiliretur, impedivit. Alias etiam multas eleemosynas privatis hominibus fieri Ignatius curavit, cum illi saepius pecuniarum summae non modicae dispensandae pauperibus darentur, quamvis eo videretur intentio eorum ferri, qui pecuniam dabant, ut domus nostra ex parte sublevaretur; sincerius id fore existimans, ne unum quidem obolum domi relinquebat, sed universas hujusmodi summas externis pauperibus dividebat.

In hospitalibus etiam tam spiritualia quam corporalia auxilia aegrotantibus impendebantur; nam ex his qui domi cum P. Ignatio manebant, tam ex sociis antiquioribus quam ex aliis, qui se nostris adjungere incipiebant, aliqui aegrotantibus pauperibus externa ministeria impendebant, aliqui autem et concionabantur et eorum confessiones audiebant; in monasteriis etiam variis monialium, fructum spiritualem ex hujusmodi ministeriis capiebant; sed in privatis hominibus sacramentorum et spiritualium exercitiorum fructus uberior et solidior erat.

Et inter caeteros, qui hoc tempore hac ratione a Domino vocati fuerunt, Petrus Codacius fuit, vir copiosus in ecclesiasticis redditibus et honoratus, qui Laudensis natione et Sacerdos, se totum Deo impendere, et ad ejus honorem Societatem, in Marthae potissimum ministeriis, juvare constituit; et ita non solum nostros sustentandi ex mendicatis eleemosynis curam suscepit, sed Ecclesiae nostris Romae obtinendae et domus aedificandae auctor fuit. Quamvis et colloquiis spiritualibus et confessionibus audiendis, de proximis ipse benemereri non omittebat; sed illud ut beneficium non exiguum nostri agno-

verunt, quod omnem mendicandi sollicitudinem patres illi in ipsum rejicientes, spiritualibus functionibus magis expediti ac liberi vacare poterant [1].

CAPUT NONUM

DE TEMPESTATE CONTRA NOSTROS ROMAE EXORTA, ET DE NOMINE SOCIETATIS, AC DELIBERATIONE RELIGIONIS INSTITUENDAE

Cum Satanas nostrorum conatibus invideret, et forte Societatem hanc multo ulterius progressuram suspicaretur, Deo etiam per contradictionem Ignatium et socios exercere, et veritatem illustriorem reddere volente, tempestas contra eos Romae gravissima ab hispanis hominibus, qui in Romana Curia non mediocrem auctoritatem et gratiam eo tempore habebant, est exorta. Occasio vero haec fuit. Cum quidam ex nostris concionatorem Ordinis Sancti Agustini, qui et ipse Frater Augustinus Pedemontanus dicebatur, audissent, et aliqua, quae haeresim sapiebant, adnotassent, et eum privatim ac fraterne admonuissent, nec tamen ille, quae male dixerat, retractaret vel interpretaretur (erat enim tunc occultus, sed postea manifeste se lutheranum ostendit); decreverunt in variis locis (in quibus ipsi concionabantur) doctrinam contrariam erroribus illius concionatoris praedicare. Hic accidit, ut quidam cognomine Mudarra, qui erga illum augustinianum afficiebatur, et alii quidam curiales primarii, ejusdem auditores, molestissime id ferentes, inciperent de Ignatio et sociis calumnias varias comminisci, et in Romana Curia seminare. Dice-

---

1 Quae hucusque narravit Polancus, confirmari, amplificari, elucidari possunt iis, quae in processibus Beatificationis et Canonizationis Sancti Ignatii, Manresano praesertim et Barcinonensi, continentur. Plura enim ex iis metere adhuc poterit diligens investigator, praeter ea quae habent Orlandinus in *Historia Societatis*, lib. I; Pine *in Actis Sanctorum, mense Julio, de Sancto Ignatio*, et alii, etiam recentiores, qui vitam Ignatii scripserunt. Nec praetermittenda sunt *Acta quaedam P. N. Ignatii de Loyola a* P. Ludovico Consalvo *ex ejusdem ore Sancti excepta, Memoriale* B. P. Petri Fabri, *Commentarius, de origine et progressu Societatis,* P. Simonis Rodericii, et *Epistola* P. Jacobi Laynez Bononiae data 17.ª Junii, 1547. — Consuli etiam possunt non sine fructu ea, quae speciatim de *Ignatii in Hispaniam profectione* operose, ut ait Menchaca, disputat Possinus in *Indiculo exegetico ad novas Epistolas Sancti Francisci Xaverii.*

bant enim Ignatium de haeresi variis in locis damnatum fuisse, et multis facinoribus infamem ; ad Gubernatorem etiam informandum, submiserunt postea quemdam Michaëlem, qui Parisiis et in Italia nostris satis conjunctus fuerat, et quoniam idoneus ad Societatem non videbatur, admissus in illam non erat. Viri praedicti in litibus ac negotiis gerendis satis erant exercitati, et favore magnatum abundabant : utrumque autem tenerae tunc plantulae Societatis deerat. Eo demum res progressa est, ut homines a nostris fugerent, tamquam ab hominibus ex Gallia, Hispania et Venetiis fugitivis ac perditis ; et in illis ipsis locis et provinciis seminabatur quod Romae tales nostri habebantur. Visum est ergo Ignatio et sociis rem hanc judicio decernendam esse ac declarandam, quod tamen adversarii non tentaverant eo usque ; et ante ipsum Gubernatorem urbis (qui tunc Episcopus Conversinus erat) causam commiserunt : sed cum ante eumdem aliquoties praedictus Michaël comparuisset, et nostris praesentibus, a Gubernatore fuisset auditus, illius malitiam is facile deprehendit et ut calumniatorem damnavit, et exilio mulctavit, quamvis Ignatius apud eumdem Gubernatorem intercederet, ut ei noxa condonaretur. Sic etiam alios adversarios ursit Ignatius ut ante Gubernatorem et ipsi vocati fuerint, ut quid de Ignatio et sociis sentirent, deponerent. Sed illi, qui callidi homines et litibus assueti erant, cum Michaëlem damnatum vidissent, bene se sentire de Ignatio et sociis, quod ad vitam et doctrinam attinet ac pietatis opera, testati sunt, et hujusmodi laudibus silentium imponere huic causae magna cum industria et favore nitebantur. Nam et coram Cardinali Neapolitano idem testati erant, et alios in Societatem bene affectos in suam sententiam trahebant. Sed quamvis et Cardinalis praedictus, et Gubernator et alii praelati, imo et socii, hoc silentio imposito, desistendum esse a lite censebant, Ignatius in futurum Societati prospiciens, cum infamiam et Romae et multis aliis in locis sparsam esse intelligeret quod nostri fugitivi essent et facinerosi, hoc silentium in grave praejudicium tunc nascentis Societatis fore existimavit ; et cum apud alios favorem obtinere non posset, decrevit Summum Pontificem, qui tunc Frascatae prope antiquum Tusculum erat, adire, quem eodem quo pervenerat die est allocutus, et latina oratione totius vitae suae decursum, contradi-

ctiones et carceres breviter declaravit; ac supplicavit ut famae ipsius ac sociorum consuleret, et Gubernatori juberet ut per sententiam veritatem declararet; nam ea ratione infamia, quae spargebatur Romae, nostros doctrinam sanam non habere, per sententiam hujusmodi dissiparetur. Audivit Pontifex benigne Ignatium et laudavit ejus et sociorum tam bene applicata ad Dei honorem et commune bonum ingenia, et quod petebat fieri jussit. Gubernator itaque, quantumvis favore adversarii pugnarent, ad sententiam pronunciandam processit: et antequam eam pronunciaret, divina quadam peculiari Providentia accidisse videtur, ut qui in disjunctissimis Hispaniae, Galliae et Italiae locis, ac in diversis temporibus, causarum P. Ignatii judices extiterant, Romae eo tempore alii alia occasione versarentur, cum de ipso et sociis Gubernator ex Pontificis praescripto sententiam laturus erat. Qui enim Compluti Archiepiscopi Vicarius fuerat, Doctor Figueroa, ab Imperatore Neapolim missus ad gravia negotia, inde in Hispaniam rediens (ubi ad dignitatem Praesidis Regii Consilii praefectus est) Romae tunc erat. Doctor etiam Matthaeus Ori et haereticae pravitatis in Gallia Inquisitor, ante quem diximus bis P. Ignatium Parisiis delatum fuisse, Romam venerat, quemadmodum et Doctor Gaspar de Doctis, qui Nuncii Apostolici Vicarius seu judex ordinarius erat, cum Venetiis praedictae tragoediae contra Ignatium exortae fuerunt; et omnes hi apud Gubernatorem, antequam ferret sententiam, legitime sua testimonia deposuerunt. Venerant etiam ex variis provinciis ac locis, ubi versata fuerat Societas, publica et magnae auctoritatis testimonia. Romae itidem ore tenus viri graves et omni exceptione majores quid de Ignatio et ejus sociis sentirent testati sunt. Et ita sententiam pronunciavit Gubernator, qua damnat calumniatores Societatis, et ejus non solum innocentiam, sed vitae, doctrinae et bonorum operum, et nominatim exercitiorum spiritualium approbationem luculentam continet. Et ita detractionum atque infamiae injustae nubila radio veritatis ac publici hujus testimonii dissipata sunt, et auctoritate judicis apostolici convicta; et quod Satan ad opprimendam Societatem in ipso ejus exordio comminiscebatur, ad ejus bonum odorem et existimationem augendam Deus convertit.

Cum Romae hoc anno 1538, ineunte vere, nostri convene-

runt, nondum in animo proposuerant congregationem aliquam perpetuam seu Religionem instituere; sed seipsos et alios, si quos Dominus ipsis adjunxisset, divinis obsequiis ad animarum auxilium impendere, postquam Hierosolymas transire non potuerant, et magnum ostium eis, tum in Italia ac variis ejus urbibus ac provinciis tum extra illam aperiebatur, quandoquidem ex bono odore Romae sparso multi ad eorum operam requirendam moverentur, quibus Summus Pontifex gratificari, et nostros in varia loca mittere velle videbatur. Tunc ergo cogitare omnes coeperunt hanc Dei voluntatem fore ut inter se societatem perpetuam inirent, quae, ipsis morientibus, pergeret in eodem ministerio Deo servire, et numero etiam hominum augeretur, qui Deo juxta institutam ab ipsis vitae rationem sequi vellent. Ante igitur quam in varia loca dividerentur, qui ex diversis nationibus uno spiritu et vocatione conjuncti a Domino fuerant, agere coeperunt de vivendi formula, quam tenere oporteret. Et quia initio variae quorumdam erant sententiae, omnes tempus aliquod orationi impendendum esse, et Missae sacrificia offerenda, et praemissa consideratione diligenti exquirendam esse Dei voluntatem decreverunt. Et, si fecissent quod in ipsis erat, inspiraturum sibi esse Deum quod ad ipsius honorem, quodque magis gratum suae Divinae Majestati futurum esset confidebant. Singulis autem noctibus conveniebant, et quae quisque cogitaverat in medium proponebat, ut quod pluribus suffragiis ac rationibus niteretur, id omnes sequerentur.

In primis ergo id quaesitum fuit, an congregatio, aliquo unionis vinculo confirmata, esset ineunda, ut quandoquidem omnes votum emiserant Summo Pontifici obediendi circa missiones, alii aliorum notitiam et curam haberent necne; et constitutum est congregationem ineundam, et stabili unione confirmandam videri, quam in personis nationum tam diversarum Deus inchoaverat, ut sic coalescens Societas majores haberet ad Dei servitium vires.

Secundo fuit propositum (quod difficultatem majorem prae se ferebat) an qui jam emisissent perpetuum castitatis et paupertatis votum in manibus Legati Apostolici Veralli, tertium addere obedientiae alicui de ipsorum numero praestandae deberent, ut perfectius et majori cum merito Dei voluntatem et

Ejus in terris Vicarii implere possent. Et cum pluribus noctibus ea de re ultro citroque actum esset, et a singulis rationes in utramque partem essent allatae, demum obedientiam alicui ex ipsorum numero praestandam esse (si tamen in iis, sicut etiam in sequentibus, approbatio et confirmatio Sedis Apostolicae accessisset) statuerunt.

Ad eumdem modum, hoc ipso anno 1538 ad finem tendente, reliqua inter se tractarunt, quae in Litteris Apostolicis a Summo Pontifice Paulo III anno 1540 datis, et in veteribus quibusdam constitutionibus, quae postea in meliorem ordinem a P. Ignatio redactae (multis etiam additis) fuerunt, continentur; cujusmodi sunt quae de paupertate domorum, de probationibus, de Collegiis admittendis et reliqua. Et quia protrahebatur haec tractatio, et interim aliquos ex nostris Summus Pontifex extra urbem mittebat; qui recedebant ex Italia, suffragia sua manentibus in ea relinquebant, ut de iis, quae ad universam Societatem pertinent, ipsi, quae opportuna viderentur, aut omnes aut saltem qui Romae possent congregari, diffinirent; et ita quibusdam etiam ad varia Italiae loca recedentibus, P. Ignatio cum aliis, qui Romae residebant, sua et ipsi suffragia reliquerunt [1].

Et ita constituta est illa formula quae in praedictis Apostolicis Litteris inserta est, quam nostri Summo Pontifici per seipsos praesentare constituerant; sed quia ille Roma recessit sub autumnum anni 1539, ne cogerentur ejus reditum exspectare, per Cardinalem Contarenum eam Pontifici proposuerunt. Pontifex autem, considerata formula praedicta, non solum eam verbo approbavit; sed etiam quasi spiritu quodam prophetico (cum Pontifex esset) dixit congregationem hanc multum ad reformationem Ecclesiae profuturam, et alia, quibus quam bene sentiret de hoc Instituto ad Dei gloriam et servitium significabat. Et haec tertia die Septembris Tybure acta, ex litteris ipsius Cardinalis Contareni constant [2]: quia tamen quod viva voce fuerat a Pontifice approbatum, Litteris Apostolicis erat

---

1 De quibus hic sermo est, videri possunt cuncta ad calcem operis *Constitutiones Societatis Jesu latinae et hispanicae,* Matriti, 1892, a pag. 297, *Appendix prima, monumenta continens S. P. Ignatii et aliorum primorum Patrum ad Societatis Constitutiones pertinentia.*

2 Epistolam Cardinalis Contarini vide in *Cartas de San Ignacio,* t. I, pag. 433.

declarandum ac stabiliendum, quibusdam hoc negotium a Pontifice commissum est, inter quos erat Bartholomaeus Cardinalis Guidaccionius, cui cum supplicatio, a Summo Pontifice subscribenda, fuisset oblata, nova difficultas, et quidem non levis, in hoc ministro Pontificis est inventa, quia negotium confirmationis fere integrum annum, vel eo amplius, extraxit: vir quidem ille bonus ac pius erat, et in juris peritia exercitatus: sed e multitudine religionum non bene sentiebat, et contra eam librum scripserat. Pater autem Ignatius, daemonis fraudem agnoscens, expugnandum esse illum Cardinalem orationibus ac sacrificiis censuit, quae (ut in illa paucitate sacerdotum) liberaliter huic negotio applicari curavit, nam supra duo millia Missarum ad ejus directionem Deo oblata fuerunt [1]; quibus praecipue (additis etiam rationibus) commotus fuit praedictus Cardinalis Guidaccionius, simul cum aliis, qui huic negotio adversabantur, ut illud potius promovere studerent; et hoc consilio tamquam prudenti usi sunt, ut erigeretur quidem et approbaretur Societas, sed numero professorum ad sexaginta limitato, ut interim progressus ejus et fructus observaretur; et ita 26 Septembris a Summo Pontifice supplicatio signata est, ut Litterae Apostolicae praedicti anni 1540 testantur; quae tamen numeri limitatio anno 1543, 14 Martii, remota fuit, ut ex secundis Litteris Apostolicis constat, et suo loco videbitur.

De nomine autem hoc constat: nomen *Societatis Jesu*, antequam Ignatius et primi Romam venirent, desumptum ab eis jam fuisse. Cum enim inter se agerent quid responsuri essent de se, si quis eos interrogasset quaenam illa esset congregatio, quae ex decem vel paulo pluribus constabat (si Hozium, et Didacum ac Stephanum de Eguia in Navarram profectos numeremus), coeperunt orare et cogitare quod nomen ipsis magis conveniret; et cum considerassent quod inter se nullum caput haberent praeter Jesum Christum, cui soli servire optabant, visum illis est ut Ejus nomen sibi imponerent, quem pro capite habebant, et Societas Jesu ipsorum Congregatio vocaretur. Cum autem Ignatius, Romae vicinus, visionem illam, de qua

---

1 De his consule *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, t. I, pag. 111, et *litteras S. Francisci Xaverii ad PP. Jaium et Laynez*, Ulyssipone datas 18.ª Martii 1541.

superius mentio facta est, qua Pater Aeternus Societatem Filio commendabat, et Filius protectionem ejus suscipiebat, vidisset, verisimile est hanc sententiam de nomine Societatis Jesu altius animo Ignatii impressam fuisse; et cum postea de perpetua congregatione, quae religio esset, ac de formula Instituti ageretur, idem nomen Societatis Jesu sibi retinendum censuerunt; et Summo Pontifici id proponentibus simul cum formula, ab eodem auctoritate Apostolica fuit approbatum. Quamvis autem omnibus haec nominis appellatio placuerit, P. Ignatium fuisse illum, a quo nomen hoc fuit sociis propositum verisimile est; cum enim ejus discipuli ac instituti sectatores ab Ignatio *ignatiani* dicerentur (hispanice ab Iñigo *iñiguistas)*, humilis Pater, qui in hujus Societatis institutione omnia Christo et nihil sibi tribuebat, non a se sed a Jesu Christo illam sumere nomen optavit. Constat autem eumdem Ignatium, quod ad nomen hoc attinet, multas illustrationes ac mentales motiones ab Ipso, cujus nomen sumebat, habuisse, tamque multa signa approbationis hujus nominis a Deo accepisse, ut ego ipse ab Ignatio audierim quod contra Dei voluntatem se facturum, atque Ipsum offensum iri, si dubitasset quod hoc nomen conveniebat; et cum illi a non paucis et dictum et scriptum fuisset de hujus nominis mutatione, eo quod aliqui dicerent nos id vindicare nobis ac nostrae Societati, quod omnibus christianis commune esse oportebat, et alia hujusmodi; tam constans fuit in nomine hoc retinendo, ut audierim etiam ego ab ipso, si universi socii simul relinquendum vel mutandum hoc nomen judicassent, et omnes alii homines, quibus ipse credere sub poena peccati non teneretur, se illis nunquam assensurum; et quoniam in constitutionibus id tunc habebatur ut, uno dissentiente, nihil fieret quamdiu ipse viveret, hoc nomen minime mutatum iri. Quibus autem Ignatii consuetudo (sic) et humilitas nota fuit, hujusmodi stabilitatem vel potius securitatem, quae nullius rationibus vel auctoritati humanae cederet, non ab ipso haberi solitam nisi in rebus, quas superiori lumine cognovisset, satis intelligebant. Nam in talibus inferiori lumini rationis non cedendum esse merito arbitrabatur. Et ita nostros quidem et cogitasse et contulisse inter se multa de hoc nomine verisimile est, sed tamen Ignatio a Deo fuisse nomen hoc revelatum, vel certe a Deo confirmatum, satis constare ex

dictis potest, quamvis expresse ab eo id auditum non sit. Non autem eo modo dicta est Societas Jesu quasi socios ipsius Jesu se nostri praesumerent, sed potius militari modo, quo dicitur Societas alicujus sub quo militat. Et haec de nomine Societatis et de prima Instituti ipsius formula sint dicta.

Quae hic desiderantur ad annum usque 1549, separato volumine in 4.° folio continentur.

Ita ad calcem folii 16 manus alia ab amanuensis manu, qui caetera exaraverat.

Volumen autem separatum, heic inserendum, sittyba olim coopertum fuisse videtur, cujus anterior pars exstat adhuc, et sub recenti chartaceo tegmine servata quasi primum folium totius codicis est et hunc in prima pagina titulum habet:

CHRONICON SOCIETAT. JESU

ab anno 1537

Ad annum Dni. 1549

AUCTORE PRE

POLANCO

Haec praeinserenda sunt Tomo primo historiae Societatis, post historiam scil., vitae P. N. Ignatii, quae illius tomi initio habetur.

G

XXXVIII, 2.

Littera G et numeri XXXVIII, 2 ordinem veteris collocationis in Archivio designant. Totus codex compactus est et tegmine chartaceo coopertus, in cujus dorso legitur recenti manu appositus hic titulus :

P. POLANCO

Chronicon.

S. J.

1537-1549

Constat paginis tredecim supra ter centum, quarum priores, ad trigesimam primam usque, ipsius Patris Polanco manu sunt de-

scriptae, quae in reliquis quaedam pauca emendavit. Nulla est materiei per libros aut per capita distinctio, nec nos talem distinctionem inducere sumus ausi ; sed quoniam paragraphi, quas exaravit ipse Polancus, numeris designatae sunt, reliquas numeris designare non inutile visum est.

Ea denique, quae in primis hujus libri paginis continentur, cum non aliud reapse sint, ut lectori facile patebit, nisi compendiosa rerum in praecedenti libro *De vita S. Ignatii* enarratarum iteratio, quo facilius a caeteris distinguantur, typis haud ita magnis ac reliqua exprimemus.

HJS

CHRONICON SOCIETATIS JESU

AB ANNO 1537 [1]

1. Ignatius a Loyola, nobilissimis parentibus ortus est, anno Domini 1491 [2], in provincia Cantabriae Guipuzcoa, et in aulicis ac militaribus studiis adolescentia et juventutis parte consumpta, post 26.[m] aetatis suae annum ad perfectae vitae institutum serio aspirare coepit. Et cum praeclaris Dei donis illustratus, partim in maximis poenitentiae sponte assumptae laboribus, partim in contradictionum et persecutionum variis molestiis, partim in studiis litterarum Barcinonae, Compluti, Salmanticae ac demum Parisiis exercitatione, partim in pietatis ac charitatis in proximos functionibus fere 20 annos exegisset, cum sociis quos Domino Parisiis genuerat, decrevit Venetias se conferre sub initium anni 1537: ut eodem anno in navi peregrinorum Hierosolymam se conferrent juxta voti sui rationem.

2. Cum autem ipse praecessisset Ignatius et ante navigationem hanc variis pietatis operibus in quibusdam Hispaniae locis et Venetiis esset perfunctus, die tandem octava Januarii anni 1537, Petrus Faber, Franciscus Xavier, Jacobus Laynez, Claudius Jaius, Paschasius Broet, Alphonsus Salmeron, Simon Rodericius, Joannes Coduri et Nicolaus Bobadilla, ad ipsum Venetias pervenerunt, cum die 15 Novembris Parisiis essent profecti. Et cum aliqui eorum Romam venissent ut facultatem a Summo Pontifice obtinerent ad

---

1 Hoc Polanci opusculum, multis annis ante ab eo inchoatum, absolutum videtur temporibus Everardi Mercuriani, jam Praepositi Generalis, ut planissimum est ex anno 1548, p. 223 (mss.), cujus Praepositi mentio fit. Ejus autem tempore ex Sicilia visitanda reversus diem suum Polancus obiit. (Nota in ora paginae primae apposita.)

2 Sic clare et quidem manu ipsius Patris Polanco. Vide notam 1[am.] in pag. 10.[a] supra; ubi conjiciendo asseruimus Polancum, qui *prius* in hac sententia fuit, scil., natum Ignatium fuisse anno 1491, mentem *postea* mutasse. Nec vana est conjectura; nam, ut ipse ait Polancus, pag. 7.[a], librum illum *De vita P. Ignatii*, foliis sexdecim comprehensum, scripsit *ultimo;* hoc est, postquam hoc *Chronicon* et reliquas historiae partes composuerat.

transmarinam peregrinationem, et cum eadem ac larga Sedis Apostolicae benedictione rediissent, in nosocomiorum ministerio, et aliis charitatis functionibus tempus navigationis exspectabant [1].

3. Accidit autem (Deo aliquid melius providente) ut eo anno Veneti, bellum cum rege Turcarum gerere incipientes, nullam cum peregrinis navem Hierosolymam mitterent (quod nullis retro annis, sed nec sequentibus accidit), unde Ignatius cum sociis ab ea profectione sunt prohibiti. Cum autem ipsorum votum hujusmodi esset ut per annum integrum navigationem istam curarent eo animo ut, sanctis illis locis visitatis, deinde quid cum infidelibus ad Dei gloriam fieri posset tentarent; quod si non id possent efficere, ut liberi quidem essent ab voto, sed Summum Pontificem consulerent, ut tamquam Christi Vicarius eos mitteret quocumque ad majus Dei obsequium mittendos censeret; dum annus jam coeptus expletur, ordinibus sacris initiati sunt septem ex illis (nam tres Sacerdotes jam erant), facultate a Sede Apostolica accepta, in cujus Legati apud Venetos manibus paupertatis et castitatis perpetuae vota emiserunt. Et cum totum illum annum in variis Venetorum, Ferrariae, Bononiae et aliis urbibus, partim in concionando, partim in aliis pietatis operibus exegissent, Romam tandem post quadragesimam anni sequentis 1538 omnes congregati sunt [2].

4. Hoc ipso anno simul in variis urbis locis concionari coeperunt, catechismum pueros ac rudes docere, confessiones audire, per Exercitia spiritualia multos etiam viros graves juvare. Cum etiam valida fames pauperes Romae vexaret, pauperes usque ad 300 et 400 domi suae accepere, quibus necessaria a ditioribus cum summa aedificatione adquisita ministrabant, donec exemplo et verbo primarios viros moverunt, ut fere 3.000 pauperes alerent, donec caritas annonae se remitteret. Induci coepit sacramentorum confessionis et communionis frequentia; verbum Dei ex eo tempore et consequentibus primis annis coepit extra quadragesimam et adventum populo proponi; orphanis pueris et puellis, miserabilibus virginibus et mulieribus, quae a turpi vitae genere se colligebant, catechumenis etiam, qui se a Judaismo et secta Mahometi ad Christum convertebant, prospici coeptum est. Et eodem Ignatio in primis promo-

---

1 Facultatis seu permissionis hujus instrumentum reperies in opere *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro,* t. I, pág. 1-3.

2 Injunxerat Sociis singulis Ignatius ut ex locis, quos concionibus aliisque piis operibus excoluerant, publica instrumenta, magistratuum auctoritate firmata, habere curarent, quibus quo quisque se gessiset modo certum fieret. Praeter ea, quae jam edita sunt in opere *Acta Sanctorum, mensis Julii die trigesima prima, Commentario praevio de Sancto Ignatio,* § XXIX, nn. 300-307, exstat aliud, nondum editum, Gubernatoris, communitatis et capituli populi Senensis de Patribus Alphonso Salmerone et Paschasio Broet. Consuli etiam debet narratiuncula cui titulus: *Relazione et principio del Collegio di Siena havuta da Mtro. Lorenzo Aldobrandini;* necnon Patris Francisci Palmii opusculum, libro *Recuerdos* insertum, de principiis Collegii Bononiensis.

vente, certa hospitalia vel monasteria his pietatis operibus sunt creata, quae Romae et ad ejus exemplum in plurimis aliis civitatibus visuntur.

5. Occasione concionum, quibus doctrinam confutabant hi patres cujusdam concionatoris, qui occulte Lutheri dogmata Romae seminabat (postea palam id fecit Frater Augustinus Pedemontanus nomine), magnis contradictionum motibus coepit exigua haec Societas et hominum favore tunc destituta exagitari; et cum daemon per calumnias diffamatorias tunc nascentem ejus existimationem et fructum extinguere niteretur, Ignatius Paulum III Summum Pontificem adiit et contra magnatum quorumdam, qui id impediebant, studia, ut per sententiam res decerneretur obtinuit; et peculiari providentia Dei datum est quod eo tempore, quo ejus causa dicenda erat, qui judices ipsius Compluti, Parisiis et Venetiis exstiterant, Romae, variis occasionibus eo adducti, tunc versarentur et de innocentia Ignatii testimonium dicerent. Itaque quod ad obscurandum, imo ignominia notandum, Ignatium cum sociis Satan excogitaverat, id in virtutis et integritatis testimonium illustre per sententiam Romae latam 18 Novembris 1538 Dominus convertit.

6. Antequam Romam pervenirent, necdum de constituenda perpetua societate cogitantes, cum illi decem sine capite essent, inter se egerunt, quo nomine suam illam congregationem appellarent; et cum nullum caput, vel praepositum haberent, praeter Jesum Christum, post orationem et considerationem, hoc nomen *Societatis Jesu* sibi delegerunt; quod quidem sic patris Ignatii menti impressum erat et illustrationibus divinis infixum, ut si ab alio quam qui posset eum obligare ad peccatum, aliquae rationes ad mutationem adferrentur, nullum esse momentum habituras affirmaret. Et omnino eidem patri (qui auctor nominis sociis fuit) divinitus creditur revelatum.

7. Eodem anno 1538, cum adhuc Romae hi Patres versarentur, et viderent ostium ipsis aperiri in dies majus ad Dei obsequium et proximorum auxilium, juxta vocationem quam ab initio omnes in se ipsis senserant, cogitare coeperunt, quod non esset fortassis voluntas Dei ut omnes in Terram Sanctam transirent, nec quod coeptum opus, per eos tantum qui tunc congregati erant, nec tantum ad ipsorum vitam, duraret; unde nemine discrepante, expedire ad Dei gloriam et animarum aedificationem censuerunt, ut Societas stabili vinculo firmaretur, ut alios admittere, si quos Dominus moveret similibus hujus Instituti desideriis, et perpetuo conservari posset. Deinde, quod difficilius, uni ex ipsorum numero ab aliis praestandam esse obedientiam constituerunt. Sic demum alia, quae majoris momenti erant, orationibus et sacrificiis praemissis, eodem anno 1538 sunt ab eis decreta, salva in omnibus Sedis Apostolicae auctoritate, cujus censurae omnia erant proponenda. Interim tamen, cum immineret discessus quorumdam ex eis ab Urbe, dum magnae auctoritatis viri ad varia pietatis opera ipsos a Summo Pontifice petunt

et obtinent; qui recessuri erant, primum Ignatio statuendi quod ad hujus vocationis formulam et constitutiones pertineret, cum reliquis qui Romae manebant, et suis nominibus petendi confirmationem Societatis a Summo Pontifice, facultatem reliquerunt. Et ita post Paschatis ferias, P. Claudius Brixiam, PP. Faber et Laynez Parmam, P. Bobadilla in Calabriam discedentes magno cum fructu ubique versari coeperunt, et eorum loco aliqui egregiae indolis juvenes sunt P. Ignatio adjuncti.

8. Aliquot ergo mensibus post haec, formula nostri Instituti, quae primis Litteris Apostolicis continetur, per Cardinalem Contarenum, Paulo III, Summo Pontifici, 3 Septembris anni 1539 Tyburi fuit exhibita, et tota verbo tenus ab eodem fuit approbata et non parum laudata, ut ex litteris praedicti Cardinalis constat. Sed cum supplicatio, quibus ea formula comprehenditur signanda esset, Cardinali Guidacciono, pro ipsius officii ratione, videnda fuit commissa. Qui cum contra religionum pluralitatem scripsisset, et huic novae non assentiretur, sacrificiis plurimis et orationibus expugnatus, postquam integrum annum rem extraxisset, internis impulsibus ac motionibus rationes suas ipse superans, viam excogitavit hanc: ut approbaretur quidem Societas ut religio; sed tantum ad sexaginta personas admittere posset, donec tempus ipsum quid Ecclesiae expediret doceret; et ita prima confirmatio 26 Septembris anno Domini 1540, cum restrictione praedicta, egressa est.

ANNUS 1539

9. Anno 1539 cum in multis piis operibus et discordiarum reconciliationibus nostri Patres strenuam in Domino operam navarent, et viros quosdam graves (inter quos fuit Cardinalis Contarenus et Doctor Ortizius) spiritualibus exercitiis excolerent, magnus sane spargebatur odor de Ignatio et Sociis, unde ex eis duo expetiti fuerunt qui Senas ad insigne quoddam monasterium reformandum se conferrent. Missi sunt P. Paschasius et P. Simon, quorum ministerio et praecipue P. Paschasii (qui ibidem diutius haesit), divina bonitas mirum in modum praedictum monasterium universum ad sanctam et professione ipsius dignam conversationem revocavit. Alii etiam ejus civitatis homines eorum opera multum in spiritu profecerunt.

10. Inter eos, qui id temporis nostris adhaeserant, fuit Pater Franciscus Strada, qui cum Roma Neapolim discederet, in P. Ignatium a Monte Cassino redeuntem (ubi D. Ortizium spiritualibus exercitiis adjuverat) incidit, et Christi militiae nomen

dedit, rediensque Romam et aliquandiu inter nos versatus, cum viginti esset annos fere natus, comes adjunctus est PP. Paschasio et Simoni, cum Senas mitterentur. Et quamvis tantum latinas litteras in scholis didicisset, sic colloquis piis et vitae exemplo senenses commoverat, ut non ipsi solum ex ejus sermone familiari proficerent, sed, rumore latius serpente, Montispolitiani cives variis litteris eum ad se vocarent; quo cum se contulisset eodem anno 1539, quidam senenses eum secuti, spiritualibus Exercitiis adjuti et confessionibus generalibus cum insigni fructu factis, eorum, qui ad se Stradam vocaverant, animos magis accenderunt. Unde non tantum spiritualibus exercitationibus privatim multi (et inter eos aliqui doctores) exculti sunt, sed juvenem, qui nec italicam linguam plene sciret, nec scientiis operam dedisset, ad Evangelia publice legenda, deinde etiam ad conciones habendas, quamvis multum resistentem, devota quadam importunitate compulerunt; id autem tanta cum frequentia et commotione omnis generis hominum et tanto cum fructu factum est, ut de reformatione vitae et morum serio et a viris et a foeminis ageretur; in summa inopia pauperibus subventum est: confraternitates ad puerorum et puellarum miserabilium institutionem et ad alia pietatis opera sunt erectae; sacramentorum Confessionis et Communionis frequentia introducta; et demum digitus Dei in omnibus rebus eo magis fuit conspicuus, quo ipsius providentiae debilius esse instrumentum cernebatur [1].

11. Eodem anno 39, cum prospicere vellet divina Bonitas nascenti Societati de victu, et habitatione et rebus aliis necessariis, sine impedimento spiritualium occupationum in alma Urbe, vocavit ad nostrum Institutum P. Petrum Codacium, virum in romana Curia diu versatum et notum, natione Longobardum ex urbe Laude; qui cum, redditibus ecclesiasticis (quibus abundabat) relictis, in Ignatii Societatem et conductiam domum esset admissus, egregiam, illis initiis et multis annis sequentibus, romanae imo et universali Societati operam navavit. Nam praeterquam quod primus procurator fuit, qui

---

1 V. litteras Francisci de Strada ad Sanctum Ignatium datas Montepolitiano, mense Junio, 5 Julii, mense Novembri, 1539, et Senis 5 Septembris ejusdem anni; item Testimonio dei Priori e Gonfaloniere del popolo di Montepolitiano alli molto Ven. in Xpto. Jhu. li fratelli. de la Compagnia de' preti peregrini, Romae, datum XXVI Aug. 1539.

pro tota domo romana sustentanda eleemosynas conquisivit, situm a P. Ignatio electum obtinuit, et domum, qua utimur, ex eisdem eleemosynis aedificavit, et Instituti nostri Litteras Apostolicas sollicite curavit, et in aliis multis pietatis operibus se strenue exercuit.

12. Eodem anno sub tempus autumni cum Cardinali Sancti Angeli missi sunt Parmam PP. Petrus Faber et Jacobus Laynez, et primum quidem per lectiones sacras auctoritatem apud graviores et eruditiores sibi conciliarunt, et sitim concionum excitarunt; secutae sunt deinde conciones, quae mirum in modum omnes sexus et gradus hominum commoverunt et ad vitae reformationem inflammarunt. Messem demum per sacramentum poenitentiae profestis diebus, imo et noctibus, illi Patres colligebant: coeperunt et Exercitia spiritualia viris quibusdam et selectis foeminis dari, et qui se exercuerant, aliis eadem proponebant; adeo ut centum eodem tempore exercerentur et quidem cum fructu singulari. Et praeter Parochos multos et alios sacerdotes, qui acceptam instructionem spiritualem aliis communicabant, non pauci optimae spei juvenes ad Societatis Institutum a Domino sunt vocati. Inter quos fuit P. Hieronymus Domenech, tunc juvenis et canonicus Valentinus, qui cum Parma transiret, in ipso hospitio in Patres praedictos incidit, et ad Exercitia spiritualia adductus, Societatem ingredi statuit, et eisdem Exercitiis plurimos singulari cum fructu juvare statim coepit. Fuit et P. Paulus de Achilles, jam tunc sacerdos, et qui confessarii officio et in tradendis Exercitiis spiritualibus strenue laborare coepit. Secuti sunt deinde Elpidius Ugoletus et Baptista Viola [1].

ANNUS 1540

13. Ineunte anno 1540, iisdem Patribus in Parmensi vinea laborantibus, per confessiones generales et frequentiam Sacramenti Poenitentiae et Eucharistiae eo inductam, et exercitiorum latius patentem communicationem, dum alii in aliorum utilitatem, quod experti erant, reponunt, et per doctrinae chri-

1 Epistola Patris Salmeron, nomine totius Societatis scripta, ad dominum Joannem Laynez, patrem Jacobi Laynez, 25 Septembris 1539: et Beati Petri Fabri ad PP. Petrum Codacium et Franciscum Xaverium, 4 Decembris 1539.

stianae institutionem, quam multi Sacerdotes, a nostris edocti, et scholarum magistri, plebem in civitate et in pagis vicinis et suos discipulos docent; fructum spiritualem valde auxit Dominus, et tota civitas per conciones et praedicta pietatis opera ad reformationem vitae aspirabat. Monasteria etiam monialium duo per conciones disposita et per spiritualia Exercitia et confessiones generales miram in vita religiosa mutationem fecerunt, in instituti sui observationem et perfectionis studium egregie proficiendo. Et quamvis concionatores sub finem quadragesimae in hanc frequentationem Sacramentorum confessionis et communionis (ut tunc novam) inveherentur, nihil omnino proficiebant; cum is Parmae et in decem vel duodecim pagis circum jacentibus (in quorum nonnullis P. Laynez vel una concione populos commovebat, et confessionibus audiendis vacabat interdum) fructus et vitae in melius mutatio cerneretur in plurimis, qui crebro communicabant, sive in vita, sive in morte, ut experientia ipsa concionatores, nostris tacentibus, confutaret [1].

14. Postmodum, relicta Parma, Placentiam se contulit P. Laynez; ibi eisdem modis plurimos Christo lucrifecit. Et quidem primarios viros non paucos, tam ecclesiasticos quam saeculares, concionibus commotos, Exercitiis spiritualibus excoluit, et generalibus eorum confessionibus auditis, ad meliorem vitae frugem revocavit. Ter in hebdomada Matthaei Evangelium praelegit: ad nostrae Societatis Institutum aliquos ibidem Christi milites conscripsit: et in festo Innocentium, cum inde Regium sancta eum obedientia revocasset, ultimam ibi concionem habuit et cum multorum lacrymis; eos denique, qui Sacramenta frequentare coeperant, viris religiosis commendans, magni fructus initio non sine sensu doloris relicto, recessit. Et tantum sub finem hujus anni corpori necessaria, praescribente Patre Ignatio, admittere ex eleemosynis ultro oblatis coeperat; nam prius amore paupertatis, et ut gratis daret, quod gratis acceperat, et de mendicato viveret, magnam tam ipse quam P. Faber, etiam in rebus necessariis penuriam passi fuerant [2].

---

1 Faber Patribus Codacio et Xaverio, Parmae, 25 Martii; Laynez Ignatio et Codacio, ibidem, 2 Junii 1540.

2 Laynez Ignatio et Codacio, Placentiae, 16 Septembris 1540.

15. Ineunte vere hujus anni 1540, P. Claudius Jaius Balneum-regium, minus bidui itinere Roma distans, missus est. Cum initio nec canonicis nec civitati (quae magnis dissidis laborabat) gratus esse ipsius adventus videretur, tamen, ubi dominica in Ramis palmarum concionari coepisset et suae missionis rationem reddidisset, experimento didicit, quod post semen verbi Dei jactum, ipse Dominus illud fructificare facit. Coepit ergo auditorium in dies crescere et magistratus ipse civitatis adesse, et ad confessionem tam multi accedebant, ut non tantum usque ad mediam noctem in Ecclesia poenitentes essent audiendi, sed et mane etiam intra domum homines inveniebantur, qui per muros ingressi fuerant, ut possent ipsorum confessiones audiri; et post Pascha etiam eisdem serio danda opera fuit. Inter discordes et inimicitiis inter se concertantes, saeculares et ecclesiasticos, pax inita est, et alii ab aliis humiliter veniam petendo et mutuis amplexibus concordiam firmando, ad communionem sacram (a qua complures annos quidam abstinuerant) accesserunt. Pueri etiam et alii rudes, per christianae doctrinae explicationem, magnum in pietate progressum fecerunt [1].

16. Eodem anno Claudius, Brixiam missus ad zizaniam extirpandam, quam aliqui Satanae operarii superseminaverant, per conciones et alia charitatis ministeria magno cum fructu civium emendationi incubuit. Eodem et Franciscus Strada, valedicendo Montis Politiani civibus, sub hujus anni initium missus fuerat, qui, in hospitali domo divertens, suis concionibus, frequentissimo auditorum concursu, totam urbem ad insolitam et magnam devotionem conmovere coeperat; et supra centum juvenes Dei servitio se consecrare omnino statuerunt; et cum vitae exemplo et conversatione ac praedicatione mirum in modum ei civitati placeret, eum diligenter detinere nitebantur. In oppidum quoddam deductus decem milliaribus Brixia distans, sub initium Septembris, terque concionatus, tantopere corda illorum hominum commovit, ut qui alios concionatores irridere interdum soliti erant, quamdiu Stradam audiebant, a lacrymis se continere non possent; et quum ex primoribus

---

1 Epistola, quam Patris Claudii Jaii nomine scripsit ejus socius, Antonius, Balneoregii, Aprili 1540, ad Patres Ignatium de Loyola et Petrum Codacium.

populi aliqui mutuis inimicitiis arderent, unoque occiso, de multis aliis timeretur, sic emolliti sunt verbo Dei et compuncti, ut cum lacrymis ex intimo corde invicem sint reconciliati; cumque duodecim ex eis ad domum, ubi Strada divertebat, se contulissent, eodem sequestri, tanta cum aedificatione pacem firmarunt, ut pulsatis campanis concilii oppidanorum, eorum consules Stradae publice gratias agerent [1].

17. Anno 1539, P. Bobadilla in Regnum Neapolitanum missus fuerat; et ibi pietatis operibus operam navabat, cum Romam evocatus est anno quadragesimo, ut in Indiam mitteretur cum P. Simone; sed cum multis laboribus confectus et afflictae valetudinis videretur P. Ignatio, omissa illa peregrinatione, in Calabriam et potissimum ad Bisignani dioecesim juvandam missus est; et ibidem in autumno ejusdem anni, partim legendo, partim praedicando, partim confessionis et communionis Sacramenta ministrando, discordes in pacem revocando, et auctoritate Episcopi munitus dioecesim visitando, perutilem et clero et populis operam impendit. Nec minus gratus quam proficuus eis fuit labor; cum enim litteris Societatis Romam vocaretur, id aegre admodum ferentes illi homines, a Summo Pontifice saltem ut aliquandiu apud se haerere eum juberet impetraverunt [2].

18. Inter eos, qui ante confirmationem Societatis, illi se adjunxerunt, fuit vir puritatis et charitatis admirandae, Didacus de Eguia, navarrus, jam ab ineunte aetate perfectionis evangelicae studiosus. Is postquam Hierosolymis rediit cum fratre Stephano de Eguia, natu majore (simplicitatis, innocentiae et probitatis similitudine vere germano) P. Ignatio adhaesit et ejus confessarius fuit. Postea autem, quoniam aliqui juvenes ad Societatis Institutum aspirantes, litterarum eruditione adhuc satis non erant exculti, visum est P. Ignatio eos Parisios mittendos esse, ut ibidem litteris darent operam, et se ad Societatis functiones, doctrina instructiores redderent, antequam ad professionem admitterentur. Iis ergo praeficitur P. Didacus et, ineunte vere anni 1540, Parisios cum eis profectus est; et dum illi in studia incumbunt, ipse Didacus magno animi fervore,

---

1 Strada Ignatio et Xaverio, 3 Febr.; Faber Codacio et Xaverio, 7 Aprilis; idem Ignatio, Parmae, 16 Apr. et 1 Sept.; Jaius Ignatio, Brixiae, 27 Nov. 40.

2 Bobadilla Ignatio et Codacio, Bisignani, 11 Oct. et 25 Nov. 40.

juvandis per Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae proximis, et praecipue scholasticis, invigilabat : cumque exemplo et conversatione scholastici nostri ad id ipsum non parum conferrent, coeperunt aliqui octavo quoque die, nostros imitando, confiteri et apud carthusienses communicare [1].

19. In aestate hujus anni 1540, Parma evocatus est Romam Hieronymus Domenech, qui paupertatis et mortificationis cupidus, cum peregrinando Montempolitianum pervenisset, in aegritudinem incidit. Prius tamen Exercitia spiritualia quibusdam magno cum fructu ibidem tradidit, et numerum eorum, qui octavo quoque die Sacramenta frequentabant per exhortationem Francisci Stradae, augendum curavit. Sed cum Romam tandem pervenisset, eodem anno Parisios cum aliis missus, ad festum Sancti Andreae eo perducti, nostris qui ibidem exstabant se conjunxerunt; et paucis post diebus P. Paulus de Achillis cum Antonio socio eosdem est consecutus.

20. Cum partim ex bono Societatis odore, qui ad Portugalliam pervenerat, partim ex Goveani Doctoris Parisiensis suggestione serenissimus Portugalliae Rex, Joannes III, nostros Sacerdotes, ad Indiae Orientalis sibi subditae populos ad Christi fidem adducendos et in ea instituendos, fore sibi perutiles judicasset, per legatum suum D. Petrum Mazcareñas, a Summo Pontifice Paulo III duos tandem ex eis, quos P. Ignatius delegisset, ad se mitti obtinuit. Et prior quidem delectus ad hanc missionem est P. Simon Roderici, unus ex primis decem, qui ardentibus desideriis Christi nomen inter infideles dilatandi accensus pridem fuerat; et Senis revocatus, primo vere anni 1540, febri quartana laborans, navim in Urbe Vetere conscendens, paucis diebus ad Ulyssipone portum pervenit. Quem extra urbem aliquot dies quiescentem in quadam praedicti oratoris domo, Rex alloqui cupiens, ac morae impatiens, vel sanum vel aegrotantem, civitatem ingredi jubet ut ejus afflicta valetudo melius curari posset; et ad se evocatum coram Regina, conjuge sua, humanissime accipit, et ejus colloquio cum sua consolatione et aedificatione diu fruens, hospitio exci-

---

1 De familia Patrum d'Eguia, et de eorum tum ante tum post ingressum in Societatem gestis plura invenies in opere: *Historia de la Ciudad de Estella y su merindad, en Navarra*, compuesta por D. Francisco de Eguía y Beaumont, vecino de dicha ciudad de Estella, en el año de 1644.

pi et sollicitam valetudinis ejus curam haberi jubet. Sed cum Simon ut ex mendicato vivere sibi permitteretur instaret, Rex tandem acquievit, et ita eleemosynis, aliquandiu (licet quartana premeretur) vixit. Et partim confessionibus audiendis, partim Exercitiis spiritualibus tradendis, partim piis aliis operibus ad animarum salutem spectantibus, perutilem Regiae curiae et civitati operam navare coepit.

21. Fuit quidem secundo loco electus P. Nicolaus Bobadilla, sed propter aegritudinem (ut dictum est) cum non videretur ad tam laboriosam missionem destinandus, nec opinanti P. Francisco Xaverio, pridie quam deberet proficisci, significavit P. Ignatius hanc provinciam ipsi esse subeundam; quod quidem nuncium ipsi, multum diuque gentilium conversionem sitienti, laetissimum accidit. Postridie ergo cum ipso oratore et familia ejus iter ingressus, et frequenter ad Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta eos adducens, et in officio christianae pietatis continens, tribus mensibus tandem Ulyssiponam pervenerunt. Duo hic non silentio praetermittenda accidere; alterum est quod unus ex primoribus familiae legati, cum fluvium magnum vado se transire posse speraret, aliis dissuadentibus, illum ingressus ac ejus impetu abreptus et delatus, orante P. Francisco cum aliis, quasi ex morte ipsa emersit et evasit. Alterum est quod cum P. Simonem Ulyssipone, eo ipso die febrim quartanam expectantem, esset amplexus, tanta laetitia hominem perfudit, ut, omnino quartana exclusa, liberum Simonem reliquerit [1].

22. Cum post triduum uterque ad Regem vocatus esset, coram Regina de rebus ad Societatem pertinentibus, ac praecipue de persecutionibus sociorum, multa (quae gratis admodum illorum principum animis audiebantur et approbabantur) dixerunt. Commendavit deinde Rex eis juvenum nobilium institutionem, quos octavo quoque die veneris confiteri volebat, ut aetate crescentes, bonam pie vivendi consuetudinem retinerent. Et supra centum nobiles adolescentes ex curia, et alios plures maturioris aetatis, tam ex nobilitate quam ex aliis statibus, sacramento Poenitentiae cum singulari fructu sic ad meliora

---

1 Xaverius Ignatio, Bononiae, 31 Martii; idem Patribus et fratribus Societatis. Ulyssipone, 3 Julii, 40.—Petrus Mascarenhas Ignatio, Bononiae, 27 Martii, 40.

evexerunt, ut, quoniam spiritualem ex variis pietatis operibus utilitatem experiebantur, jam de missione Indiae relinquenda et eis in Portugallia retinendis quidam agerent. Perseverarunt autem in mendicitate aliquandiu, donec occupationibus spiritualibus quotidie magis urgentibus, ut tempus, quod mendicando consumebant, audiendis confessionibus impenderetur, a Rege victum admittere coeperunt, duobus tantum diebus in hebdomada ad mendicandum reservatis, ne hujus submissionis obliviscerentur. Quod autem ex mendicato colligebant, ad quoddam pauperum xenodochium deferre soliti erant.

23. Cum prospera cuncta et cum aedificatione succederent et sani essent corpore, P. Franciscus interim sibi deesse persecutiones conquerens, spe illarum, quas in India esset passurus, se solabatur: diu enim sine illis vivere non esse fideliter Christo militare affirmabat. Alii quatuor ad eorum Societatem accesserunt, unde sex numero jam erant. Et Infantis Henrici, summi Inquisitoris, rogatu, eos, qui in carcere Inquisitionis detinebantur, quotidie invisebant et exhortationibus et instructionibus ad bene cognoscenda peccata et de eis dolendum adjuvabant. De primariis interim curiae viris et illustrioribus benemereri in dies magis per sacramentorum administrationem et Exercitia spiritualia pergebant. Et cum Regi nostrum Institutum valde placeret, collegiorum tamen erectio ab eo in primis probabatur; et quia Litteras Apostolicas approbationis nostrae Societatis nondum constabat esse expeditas, omnem suam operam, et Imperatoris, ac Regis Galliae litteras, si opus esset, offerebat. Deo tamen propitio, jam eo tempore fuerant expeditae; itaque de uno Collegio fundando ac scholasticis Societatis petendis agere coepit [1].

24. Eodem anno 1540 per P. Antonium de Araoz, coepit Societas etiam in Hispaniae regnis innotescere. Is anno praecedente cum Romam et animo et habitu saeculari venisset, Patrem Ignatium, cui sanguine conjunctus erat, officii gratia invisit. Sed ad spiritualia Exercitia adductus, sic in illis profecit, ut cum miro mundi contemptu, Societatis Institutum sequi decreverit; et in iis, quae ad orationem et ad sui abnegationem

---

1 Xaverius Ignatio Ulyssipone, 26 Julii, 40, et Patribus et fratribus Societatis, ut supra.

et victoriam pertinebant, strenue se ipsum aliquandiu Romae exercens, in Hispaniam (ad quaedam negotia expedienda) navigavit. Et cum duabus saevis tempestatibus jactatus, Barcinonem appulisset, et apud amicos, quibus olim Ignatius notus fuerat, approbatam esse vitam et doctrinam ipsius a Summo Pontifice [rumor] percrebuisset (nondum tamen per Litteras Apostolicas id factum fuerat), mirus ad eum concursus, ut certo id scirent, mira congratulatio plurimorum est consecuta. Urgebant etiam ut Araoz, adhuc tyro et qui concionandi munus nunquam attigerat, eis concionaretur; quod tentavit, et quidem tanta cum commotione animorum ut multi ei se paratos ad omnia, quae ipsis injungeret, offerrent. Sed praescribendo eis quaedam ad bene vitam instituendam documenta, cum eorum constantiam non posset probare, et multos ad Societatem suis facultatibus juvandam, si eo se conferret, relinquendo, in Castellam est progressus. Et cum in oppido Vallisoleti, et Burgis, et etiam coram Infantibus (quae Imperatoris Caroli V filiae erant) magno cum fructu esset concionatus, et foeminas quasdam, natione turchas, ad Christi fidem amplectendam adduxisset, in Cantabriam pervenit; et in compluribus ejus oppidis et praecipue provinciae Guipuzcoanae (cujus linguam ut sibi vernaculam tenebat), verbo Dei nondum sacerdos instare coepit. Et cum Vergarae generalis conventus provinciae celebraretur, ab eodem ut sibi concionaretur instanter invitatus, tam vehementer in vitia publica est invectus, et sic animos ad vitam christianis dignam inflammavit, ut supra sexaginta, partim concubinarios, partim usurarios, gubernator ibidem et Tolosae in carcerem conjecerit, et lites et inimicitiae multae sint compositae. Et cum in Azpeitiam inde venisset, ex villis et oppidis quatuor et amplius hominum millia ad eum audiendum confluxerunt, adeo ut suggestu in campo posito, etiam tecta vicinarum domorum et arbores auditores conscenderent. Magno demum fructu ex ampla messe collecto, suisque rebus in Hispania expeditis, Romam sequenti anno rediit [1].

25. Eodem anno 1540 sub autumnum, quum Wormatiae

---

1 P. Antonius de Araoz Ignatio, Caesaraugustae, 30 Octobris 39, et Vergarae, 4 Julii 40.

convenissent protestantes cum catholicis, et Illustrissimus Cardinalis Moronus ut Sedis Apostolicae legatus adesset, Doctorque Ortizius cum aliis a Summo Pontifice eo missus fuisset, Societatis homines germanis etiam innotescere coeperunt. Parma enim missus est P. Petrus Faber, qui quamvis cum sectariis agere non permitteretur, multos insignes viros tam ex curia Caesarea, quam alios, et inter caeteros ipsum legatum, confessionibus juvando et spiritualibus Exercitiis quosdam excolendo, bonus Christi odor ibi fuit. Et magnos dilectionis Germaniae radios et spei de ea aliquando per Societatis ministerium juvanda, se in corde frequenter sentire affirmat [1].

ANNUS 1541

26. Dum divina Bonitas per paucos hos Patres in variis Italiae, Galliae, Hispaniae, Portugalliae et Germaniae locis, quasi semina quaedam fructus uberrimi postea colligendi jacit, Romae P. Ignatius clavum quidem hujus naviculae regebat; sed ut Pater qui omnes in spiritu genuerat, et cujus prudentiae et charitati omnes plurimum deferebant, non quasi ullam legitimam haberet potestatem. Jam quidem Septembri mense 1540 Societas auctoritate Apostolica confirmata fuerat; sed eo anno nullus dum erat praepositus constitutus; et cum Constitutiones praecipuae jam essent post multas orationes et sacrificia ab eo concinnatae, tum ad eas subscribendas, tum ad praepositum Societati eligendum, sparsos per Italiam socios evocat. Aderant ipsi P. Joannes Codurius et P. Alphonsus Salmeron in Romana vinea excolenda pro tenuitate virium occupati. Senis venit P. Paschasius, Brixia P. Jaius, Parma Pater Laynez, postquam in quodam monialium monasterio et cathedrali Regii ecclesia concionando fructum aliquem animarum collegerat, et quidem aliquos secum tyrones Romam adduxit. Quatuor reliquos vel distantia locorum vel Pontificis auctoritas detinuit; qui tamen per scripta propriae manus, sententiis eorum qui Romae advenerant, quod ad Constitutiones attinet, subscripserunt. Ad electionem tamen Praepositi, qui in Portugallia et Germania erant, clausa suffragia sua scripto transmi-

---

1 Faber Ignatio, Wormatiae, 27 Decembris 40.

serunt. Subscriptis ergo a sex praesentibus constitutionibus praedictis, triduoque ad electionem Praepositi Domino commendandam et considerandam absumpto ; eo elapso, unusquisque ex eis suum suffragium scriptum et obsignatum in arcam intulit. Omnibus autem post tres alios dies convenientibus et suffragia aperientibus, P. Ignatius communi consensu in Praepositum eligi inventus est. Illo tamen curam hanc pro sua humilitate detrectante, et ut denuo rem commendarent exhortante, post tres alios dies eumdem Patres, qui aderant, elegerunt, et Ignatio ad suum confessarium (qui id temporis erat quidam Frater Theodosius, ordinis Minorum) rem rejiciente, ab ipso admonitus, ne Spiritui Sancto resisteret, officium tandem admisit, et constituit ut die Veneris proximo post Pascha, anni 1541, qui fuit 22 Aprilis, septem urbis ecclesias simul inviserent, et in divi Pauli templo suam omnes professionem facerent. Unde cum ibi Missam celebraret Ignatius, ante communionem, suam professionem emisit ; deinde ad quinque socios sacrum audientes conversus, ante communionem et ipsi sua vota sollemnia in manibus ipsius P. Ignatii, alta voce et sigillatim nuncuparunt, deinde communicarunt. Et absoluto sacro se invicem ad altare, in quo corpora B. Petri et Pauli jacent, amplexando et reliquas Ecclesias perlustrando, magna animorum consolatione perfusi domum redierunt.

27. Quamvis autem alii alio sint missi ex his patribus, Romae tamen, praeter P. Ignatium (qui ad doctrinam christianam docendam juxta professionem suam reliquos exemplo praeire voluit et per dies quadraginta in templo, cum auditorum magno fructu, eam explicavit), mansit ea aestate P. Laynez confessionibus audiendis et concionibus occupatus ; et inter caeteros serenissima Parmae ducissa Margareta Austriae, Caroli imperatoris filia, cum domo sua, opera ejus in rebus spiritualibus multum utebatur. Exercitiis etiam spiritualibus aliquos ad consilia Christi et Institutum Societatis adduxit, inter quos fuit Franciscus Turrianus, juvenis honesto loco Burgis natus, cujus ego (ut contubernalis et amici) exemplum in Exercitiis hujusmodi secutus eadem aestate, qua ipse obiit, Societatem ingressus sum. Et eodem anno P. Andreas Frusius praestanti ingenio et eruditione vir, sed praestantior etiam pietate, fuit admissus. Aderat et P. Joannes Codurius et PP. Paschasius

et Salmeron, et fere duodecim alii, partim Sacerdotes, partim laici, qui huic militiae Christi Romae eo anno et praecedente nomen dederant; et quamvis conductitiam domum habitarent, jam tamen templum proprium habebant, quo ad confessiones excipiendas et lectiones doctrinae christianae, et conciones etiam (licet angusto et parum commodo) utebantur. Et foris aliis multis pietatis operibus cum aedificatione operam dabant. Obiit autem eodem anno unus ex decem primis, P. Codurius, quarto calendas Septembris; qui primus post P. Ignatium professionem emiserat; et ita primus ex professa Societate coelum ingressus pie creditur, cum vitae integritas et in proximis juvandis charitas, et mortis ipsius sanctitas id testentur.

28. Hoc anno 1541 cum Romae aliquot hebdomadas post professionem mansisset, Faventiam P. Claudius Jaius missus est, qui Sacramentorum Confessionis et Communionis octavo quoque die sumendae, piam et salutarem consuetudinem induxit; idque sanctae vitae exemplo, ac familiaribus colloquiis et privatis exhortationibus, et ipso ministerio hujusmodi Sacramentorum effecit. Aegrotantes etiam plurimos tum in nosocomio, tum in privatis domibus consolatus est. Sed lectionibus, quibus fidei christianae articulos post vespertinum officium in cathedrali Ecclesia declarabat, et concionibus ad populum frequentissime habitis, fructus uberior est collectus. Et tanta fuit eorum, qui ei confiteri cupiebant, multitudo, ut sicut a sede ad suggestum ascendere, ita a suggestu ad sedem confessionibus audiendis destinatam descendere, et labores supra vires continuos ferre cogeretur. Qui autem ad frequenter communicandum sunt adducti, ex corpore suo quemdam doctorem advocatum pauperum, alium procuratorem eorumdem in litibus, alium (qui primus erat inter medicos) ad pauperes curandos (et quidem omnes gratis) elegerunt. Alii vero suam operam in juvandis medicis, alii in orphanis pueris colligendis ac vestiendis, alii demum ad alia pietatis opera prompto animo se obtulerunt. Crescebat conversarum foeminarum et numerus et pietas, pax inter complures dissidentes conciliabatur, et demum spiritualis fructus crescebat in dies, cum de profectione sua in Germaniam ex Summi Pontificis obedientia nuncium accepit. Quo sub hujus anni finem (Bononiae aliquandiu haerens cum fructu, dum socium expectat) se contulit.

29. Erat quidem P. Faber Wormatiae, et inde Spiram ac demum Ratisbonam se contulit cum Caroli V curia; et sine ullis concionibus, sed solum Sacramentorum poenitentiae et eucharistiae ministerio et colloquiis privatis, ac potissimum Exercitiis spiritualibus tradendis tantum profecit, ut viri etiam auctoritate, dignitate, doctrina et nobilitate praestantes, tam Germani quam Itali et Hispani, serio de vitae mutatione egerint. Et ex ipsis quidam alios per easdem exercitationes spirituales juvabant. Inter reliquos ferventem in primis se exhibebat Cochleus, qui cum gaudere se diceret quod magistri circa affectus invenirentur, et cum Ratisbonae spiritualibus esset Exercitiis adjutus, alios atque alios Germanos vel ad Fabrum exercendos adducebat, vel ipsemet exercebat. Additque ipse Faber, neminem qui confessus ei fuisset, vel exercitia spiritualia ab ipso tradita gustasset, retrocessisse aut benevolentiam erga ipsum amisisse. Et tantam fructificandi occasionem se habuisse fatetur. Norimbergam (quae civitas tota lutherana tunc erat [1]) ad juvandum florentinum quemdam, qui jam loquendi facultatem amiserat, vocatus, curavit tamen in lucidis intervallis ut contritionem signis ostenderet; qui cum obiisset, quemdam ex ejus familiaribus sic Faber timore concussit, ut ad catholicam religionem redire et ab ipso Fabro per sacramentum Confessionis expiari (quod septem jam annis intermiserat) postulaverit. Quod cum factum esset, duo alii mercatores ejus exemplum sunt imitati. Duo etiam mauri, ipsius catechumeni baptismum acceperunt. Sed licet ibi messis esset amplissima, ex sanctae obedientiae decreto, 27 Julii Ratisbonae profectus cum D. Ortizio in Hispaniam; unde in ejus locum P. Claudius in Germaniam missus est [2].

30. In Gallia interim P. Hieronymus Domenech non in otio versabatur (nam P. Didacus [3] Romam rediit), qui spiritualia Exercitia quibusdam proposuerat, qui statim in alios singularem fructum, quem ipsi coeperant, refundebant. Inter hos primus fuit P. Jacobus Miron, qui cum Parisiis magnum in

---

1 Ex litteris Bobadillae, datis anno 1543, colligitur quod Norimbergae omnes ecclesiae catholicae erant, una tantum lutherana. *(Nota ad oram paginae hic apposita.)*

2 Faber Ignatio et Codacio, Wormatiae, 1 et 10 Januarii; Spirae, 25 et 27 ejusdem mensis; et 5 et 26 Februarii; Ratisbonae, 12 et 24 Martii 41.

3 De Eguia.

studiis progressum fecisset et eadem consummare statuisset, in P. Hieronymum incidens, et Societatis militiae dans nomen, ferventi charitate (inter humilitatis et mortificationis consuetas occupationes), tres gallos simul, eisdem meditationibus, quibus ipse profecerat, exercebat; ex quibus unus, qui apostata fuerat, non solum ad religiosum Institutum rediit, sed aliquos ab haeresi, qua infecti erant, revocavit. Mira etiam vitae mutatio in aliis quibusdam, per haec eadem media facta est et ostium aperiri in dies magis coepit. Doctor Picardus, inter concionatores parisienses insignis, usque adeo nostris affici coepit, ut, si tibiae claudae infirmitas non obstitisset, se Institutum nostrum secuturum esse significaret. Celebris etiam Doctor de Cornibus apud Franciscanos, res nostras, quae ab aliis oppugnabantur, defendebat [1].

31. Ineunte hoc ipso anno 1541, cum in dies bonus odor Francisci Xaverii, et Simonis Rodericii, ac sociorum, qui se eis adjunxerant, et fructus etiam augeretur, serio Rex Joannes de Collegio Societatis Conimbricae instituendo, et domo alia Ulyssipone et de retinendis nostris patribus ad eorum erectionem et regni sui utilitatem cogitare coepit, et scholasticos Societatis ad se mitti postulare. Quod cum per nostros (qui Pontificis in Indiam missionem ferventibus desideriis erant amplexi) P. Ignatio innotuisset, rem totam ad Paulum III Summum Pontificem ille deferri voluit. Quo faciente liberam potestatem regi Portugalliae, ut eorum Patrum opera, ubi expedire videret, uteretur, scripsit quidem Ignatius nostris Pontificis concessionem, ut regis voluntati, sine timore recedendi a priore obedientia parerent, interim tamen suam sententiam adscripsit; ut scilicet P. Franciscus in Indiam progrederetur, P. Simon in Portugallia subsisteret, et messem in eo regno paratam colligere pergeret, et in eodem Societatis propagationem, per collegium Conimbricae instituendum, curaret; sic enim juxta Regis mentem plures ex eo velut Seminario in Indiam mitti posse. Amplexus ergo Rex Ignatii sententiam Simonem retinet, Franciscum vero Xaverium septima Aprilis ejusdem anni 1541 cum duobus sociis, scilicet P. Paulo, italo (quem Roma secum

---

1 Vide *Memorial del B. P. Pedro Fabro*, n. 119 in *Cartas y otros escritos*, t. II, et STEWART ROSE, *St. Ignatius and the early Jesuits*, pag. 387.

adduxerat) et Francisco Mansilla, lusitano, in Indiam mittit. Proficiscebatur novus Pro-rex Martinus Alphonsus de Sosa cum classe, quae eo anno in eas regiones mittebatur, cui rex serio admodum nostros commendavit. Quadraginta vero dies in ora maritima Africae, quae Guinea dicitur, sine vento haeserunt, et tempestatibus aliis jactati, tandem ad portum oppidi Mozambique, ultra Caput Bonae-Spei, pervenerunt. Ibi, dum pro more classis reficitur, ut in Indias trajiciat, aegrotos permultos e navibus eductos sub cura sua susceperunt, et eos ad sanitatem recuperandam, vel ad migrandum ex hac vita per sacramentorum ministerium et per alia pietatis opera Franciscus (licet et ipse aegrotaret) adjuvit; et inde testatur spem se concipere, quod Christus ipsos respiciet, quia profecto cognoscunt omnia ea sibi deesse, quae ad fidei ipsius propagandae officium pertinent. Concionabatur ibidem, cum poterat; quod singulis dominicis diebus, dum navigarent, effecerat [1].

32. Manserunt cum P. Simone, P. Gonsalvus et [2] in jure canonico eruditus, et ut concionari et confessiones audire commodius possent, dedit illis Rex Ulyssipone divi Antonii monasterium cum suo templo, a quo moniales in alium locum ipsis commodiorem translatae fuerant. Et post Romanam (quae omnium mater fuit) haec prima Societatis domus exstitit. Cum autem P. Ignatius Parisiis discedere, et in Portugalliam se conferre jussisset aliquos ex scholasticis, qui ibi versabantur, Jacobus Miron, P. Pontius, Franciscus de Rojas, et Sbrandus, Ulyssiponam pervenerunt tertia die Octobris. Missus est etiam Roma P. Cyprianus cum Martino Pezzano, Francisco de Villanova, Stephano Baroello et Jacobo Romano; et ita, accedentibus tribus aliis, qui ex aula in Societatem sunt admissi, et fructus spiritualis crescere coepit, et formam religiosae disciplinae jam numerosior domus prae se ferebat. Erat

---

1 Ignatius Fabro, 20 Septembris 41; Xaverius Patribus et fratribus Societatis, Ulyssipone 18 Martii; idem Jaio et Laynez, 18 Martii 41; et Societati, Goae, 18 Septembris 42.

2 Spatium hoc vacuum reliquit Polancus. Manus alia, quae videtur Sacchini, addidit post *Gonsalvus* cognomen *Vaz;* sed perperam; nam qui primus Societatem in Portugallia ingressus est, non Vaz sed Medeiros fuit, ut recte in hoc loco habet Orlandini. Secundus fuit Bernardinus Scalzo, qui nomen suum mutavit in Bernardinum a Regibus ex quo die Epiphaniae anni 1542 domum Sancti Antonii adiit cum Simone et Gonsalvo. (Consule TELLEZ, *Chronica da Companhia de Jesus em Portugal,* lib. I.)

ea propensio hominum, tam nobilium quam religiosorum, erga Societatis homines, et ea de ipsis existimatio, ut quidquid ab eis proficisceretur, tamquam de manu Domini admitterent et sibi persuaderi sinerent [1].

33. Interea P. Faber ex Germania discedens tribusque mensibus cum Doctore Ortizio Matritum perveniens, bonus Christi odor ubique fuit. Et Caesaraugustae, Medinacoeli, Torrigis, Sigunti, Compluti et Matriti Societatis notitiam viris primariis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, et inter caeteros Archiepiscopo Toletano, dedit, qui omnem Societati in sua dioecesi favorem obtulit. Et in oppidum de Galapagar se conferens, doctrinam christianam pueros docere a prandio coepit, et tantum fructum provenire ex ea animadvertit, ut eatenus se nunquam intellexisse fateatur, quam magni sit momenti opus illud rudes docendi, quod nostra professio a nobis exigit. Concionibus etiam, et confessionibus audiendis, et spiritualibus Exercitiis tradendis, operam dedit. Quae quamvis cum fructu non poenitendo fierent, et in Hispania magnum ostium Societati apertum affirmet, in Germaniam nihilominus, ubi major operariorum penuria urgebat et arctior hominum necessitas, per obedientiam est revocatus, quo sub sequentis anni ver primum pervenit [2].

34. Hoc ipso anno 1541 cum Summo Pontifici significatum esset in regno Hiberniae (quod Ecclesiae quidem Romanae subditum sed regibus Angliae commendatum est) homines quidem esse catholicos, sed propter Henrici VIII tyrannidem, qui ab Ecclesiae catholicae unione et obedientia recesserat, non esse qui parvulis panem frangeret; ut ex auctoritate Sedis Apostolicae dispensationum necessariarum, aliarumque spiritualium gratiarum beneficium impertiretur, duos ex nostra Societate eo mittere statuit. Patres ergo Paschasium et Salmeronem sub autumnum hujus anni, cum amplissimis Nunciorum Apostolicorum privilegiis et facultatibus, more tamen apostolico sine sacculo et pera, eo misit, ut, si fieri posset, in insulam illam penetrarent et de ea gente bene mereri studerent. Adjunxit se illis Franciscus Zapata, scriptor Apostolicus, quem

---

1 Ignatius Fabro, 20 Septembris 41; Simon Rodericius Ignatio et Codacio, 15 Maii 41.

2 Faber Ignatio et Codacio, Matriti, 27 Octobris; Galapagar, 4, 17 et 30 Novembris 41, et Barcinone, 1 Martii 42.

cum Deus ad statum perfectiorem vocaret, voluit hos Patres comitando et itineris expensas faciendo, vitae religiosae tyrocinium deponere; et ita longissimo terrae marisque et in primis periculoso itineri, duce sancta obedientia, se commiserunt [1].

35. Rediens Romam sub autumni initium Antonius Araoz, Aemilianum de Loyola, Ignatii nepotem, et Martinum de Sancta-Cruce secum adduxit; sed Aemilianus aulam secuturus non Societatem venerat. Ad Exercitia spiritualia nihilominus adductus, mutavit sententiam et Christo in Societate servire serio coepit. Antonius autem Araoz et Romae concionatus est, et Neapolim (id petente Cardinali Sanctae-Crucis, qui Papa Marcellus II postea fuit) ad fructum aliquem in hominibus qui ad suam Abbatiam, *Capellae* nuncupatam, pertinebant, et alia pia opera in ipsa civitate curanda, profectus, verbum Dei utiliter admodum praedicavit, adeo ut post multos annos suavis odor et concionum et conversationis ejus in multis inveniretur. Rediit etiam Romam Franciscus Strada et eodem anno Parisios studii gratia missus est.

ANNUS 1542

36. Anno 1542 ineunte, tribus jam in domibus firma habitatione versabatur Societas; scilicet Romae sub Ignatio; Parisiis (ubi tamen propria non erat domus sed in Collegium Longobardorum sese receperant nostri) sub Hieronymo Domenech, et Ulyssipone sub Simone Rodericio; caeteri in missionibus vineam Domini colebant. Sed Romae, praeter consueta ministeria, quae in auxilium animarum et piorum operum subsidium fiebant (et in oculis Sedis Apostolicae et omnium in almam urbem ex variis nationibus confluentium, quasi candela super candelabrum posita lucebant), sollicitus erat Ignatius de iis, quae ad commune bonum Societatis ipsius et reipublicae christianae pertinebant. Unde cum in Germania Summus Pontifex nostrorum opera uti vellet, praeter Petrum Fabrum et Claudium Jaium (de quibus supra), etiam Nicolaum Bobadilla ex Calabria (ubi utiliter laborabat) evocatum, postquam Romae professionem fecisset, eodem misit; itaque in Septentrionalibus

---

1 Ignatius Fabro, 20 Septembris 1541.

locis, ex novem sociis professis, quinque jam (computatis Paschasio et Salmerone) versabantur. Sed in Galliam etiam, ad congregationem Parisiensem aliquos Aprili mense submisit; inter quos puer adhuc Petrus de Ribadeneyra, qui ante confirmationem Societatis admissus fuerat, pedes sicut et caeteri, profectus est. Simulque tres in Portugalliam, scilicet Martinum Sanctae-Crucis, cum Guilielmo Codurio, Joannis defuncti fratre, et alio quodam, ad fundamenta jacienda Conimbricensis Collegii, simul cum aliis, qui Ulyssipone substiterant, destinavit. Hos etiam duo itali, in Indiam ad P. Franciscum Xaverium profecturi, scilicet Antonius Criminalis (post aliquot annos martyr Domini) et Nicolaus Lancilottus sunt comitati [1].

37. Eodem mense Aprili anni 1542, in Pataviniensi universitate, quarta domus Societatis initium habuit. Cum enim Pater Ignatius Andream Frusium et me, studiorum absolvendorum gratia, eo destinasset, et Hieronymus Otellus, jam tunc eruditus et valde pius juvenis, nobis statim adhaesisset, et Stephanus Baroellus, ex Lusitania rediens, additus nobis fuisset, firmam ibi habitationem (quamvis primo anno in conductitia domo) habere coepimus: ubi praeter id quod studiis impendebatur temporis, Andreae Frusii, jam Sacerdotis, sancto exemplo et opera non pauci juvari in spiritu coeperunt [2].

38. Qui profecti erant anno superiori Nuncii Apostolici in Hiberniam, cum, post multa et maris et anglorum pericula, in Scotiam et inde in Hiberniam, secundo die quadragesimae trajecissent, triginta et quatuor ibidem dies tantum versati sunt. Ea enim vastitas in rebus tam ad Religionem christianam, quam ad politicam vivendi formam, pertinentibus, ibi deprehensa est; ea trepidatio principum saecularium, qui a Rege Henrico, ad se admittendum ut supremum in spiritualibus et temporalibus post Christum caput, citati erant; ut nec Nuncios videre aut alloqui, minus utique securitatem eis polliceri, ne ad reditum quidem, vellent ; cumque etiam eo tempore, quo ibi manserunt, ab uno in alium locum fugiendum eis fuerit, ut ex manibus quorumdam anglorum, qui, pretio oblato, eos capere nitebantur, evaderent, et qui eos excipere ausi essent, in ma-

---

1 Ignatius Sociis in Italia dispersis, 1 Junii; Polancus Laynio, 18 Maii 42.
2 Ignatius Simoni Rodericio, 18 Martii, et Sociis in Italia dispersis, 1 Junii 42.

nifestum vitae et fortunarum discrimen, ut laesae majestatis rei, se conjicerent, visum illis est in Domino diutius ea in insula manendum non esse; cum praesertim in mandatis id accepissent, ut si, vel in ingrediendo vel in manendo, securos se non esse intelligerent, in Italiam redirent. Paucis ergo illis diebus, quibusdam viris Confessionis et Communionis Sacramenta, singulari eorum consolatione et fructu, ministrarunt, et indulgentiam plenariam sunt impertiti, ac cum quibusdam dispensandi facultatem gratis vel modica expensa, quae in reparationem templorum, vel viduarum aut virginum pauperum subventionem et alia pia opera converteretur, exercuerunt; et tandem summa hominum admiratione et aedificatione, magno sui desiderio relicto, et patientia egregie probata, cum nec cibi, nec potus, nec lecti, nec securitatis ulla suppeteret commoditas, in Scotiam redierunt. Cumque de rege adeundo et negotio Religionis catholicae in ejus regno promovendo agere coepissent, et per factionem multorum nobilium et potentium, qui a fide sincera discesserant, ostium sibi praecludi ad profectum ejus gentis viderent, in Galliam trajicientes, et Dieppam, Normanniae portum, appellentes, Parisios pervenerunt. Ibi novas litteras in formam Brevis, quibus sibi Nunciorum Apostolicorum officium in regno Scotiae demandabatur, accipiunt. Sed cum, prudenti consilio, prius Summum Pontificem esse admonendum de statu religionis in regno censuissent, quam legationis hujus novae munere fungerentur, ex Urbe responsum acceperunt, ut Scotia omissa, in Italiam redirent. Relicto ergo inter nostros Parisiis Francisco Zapata, ut studiis daret operam, pedestri itineri humiles Nuncii se dedunt, et tanquam exploratores Lugduni in carcerem conjecti, deinde a Cardinalibus Turnonensi et Gaditano [1] agniti, et liberi dimissi, ac equis donati, Romam redierunt.

39. Qui in Germania missi sunt, non uno in loco versabantur; P. Claudius Ratisbonae omnem movebat lapidem ut fructum aliquem in honorem Domini ferret. Episcopum invisens sui officii crebro admonebat; Canonicorum congregationem ad optima quaeque hortabatur. Hunc et illum, privatis in domi-

---

1 Sic; clarius et melius Orlandini: *Nicolao Gaddio*, seu potius *de Gaddi*. De tota hac Hibernica missione vide nova quaedam in HOGAN *Ibernia Ignatiana*.

bus, etiam saecularibus, per colloquia privata et per spiritualia Exercitia juvare studebat ; apud Senatum etiam egregiam exhortationem habuit. Semen verbi Dei aliquando terram bonam, quae fructum referret, inveniebat ; sed cum haereticum concionatorem, qui civibus erat carissimus, summa cum diligentia suggestu privare niteretur, cumque reformationis nomen ecclesiasticis multis esset odiosum, et Claudium ejus auctorem existimarent, in summa offensione multorum, imo in inimicitiam etiam quorumdam incurrit. Et cum undique crux et pericula imminerent, mirum quanta animi consolatione suum operarium Christus perfunderet. Et minitantibus quibusdam, quod in Danubium essent ipsum projecturi, respondit, quod tam facile per aquam in coelum ire quam terram poterat. Tentabant alii hominem veneno de medio tollere, alii ex urbe relegare ; multi tamen catholici et boni viri, et inter alios Episcopus, eum amabant, et quod se malis strenue opponebat laetabantur. Et vitae suae exemplo et sancta conversatione, privatisque colloquis, non poenitendum, in patientia, fructum afferebat. Suscepit Septembri mense Pauli epistolam ad Galatas satis frequenti omnium ordinum ac statuum auditorio explicare, quam avide admodum audire perseverarunt, et ne eam pro more aliorum, intermitteret Novembri mense propter vindemiam, multi ex primariis petiverunt et impetraverunt [1].

40. Interea P. Bobadilla Oeniponti, ubi Ferdinandus, Romanorum Rex, tunc agebat, et ejus filii, in ministerio sacramentorum Confessionis et Eucharistiae, licet corpore infirmus, et in colloquiis cum primariis multis viris se exercebat. Viennam deinde cum curia migrasset, regem Ferdinandum est alloquutus, et cum animi laetitia ab eo exceptus, et ut prolixe secum ageret de rebus ad pietatem pertinentibus invitatus ; non admissa apud Nuncium habitatione commodissima, in hospitali pauperum domo maluit divertere. Et cum magno principum virorum favore, partim concionibus publicis, partim confessionibus, partim lectionibus epistolae ad Romanos, partim catechumenis, ex turcarum vel judaeorum perfidia ad Christi fidem accedentibus, instruendis, partim spiritualibus negotiis cum rege tractandis (a quo etiam pro nostris Ratis-

---

1 Jaius Ignatio, Ratisbonae, 10 Augusti 42.

bonae periclitantibus regium favorem obtinuit) occupabatur [1].

41. At P. Faber, qui duos secum ex Hispania sacerdotes adduxerat, ut Societatis institutum sequerentur, cum, per Sabaudiam transiens, semel in quodam oppido (cujus necessitas gravis cum invitaverat) cum fructu praedicasset, ne visa quidem patria, prope quam iter erat faciendum, Spiram magnis itineribus pervenit. Ibi autem messis illum copiosa excepit; et cessante, quae in initio perstrepebat, cleri obmurmuratione, populi vero erga eum devotione crescente, fructum Domino consuetis ministeriis colligere studebat. Concionatorem quemdam suspectum, eleemosynas conferens in ejus monasterium, et cum eo de rebus in quibus conveniebant (non de aliis) colloquens, sibi devinxit. Spem majorem se concepisse de reformatione Germaniae testatur, quod clerum minus dissolutum, et plebem ad res ecclesiasticas propensiorem, et opera pietatis majori cum fructu exercitari, catholicis majorem fidem adhiberi, Praelatis majorem obedientiam videat; Episcopum Spirensem crescere in reformandae suae dioecesis desideriis, vicarium vero (qui Exercitiis spiritualibus anno praecedente instructus fuerat) vel officium se relicturum, vel concubinarios reformandos esse, affirmabat. Suos vero socios postquam in spiritualibus exacte exercuit, cum in peregrinationem more Societatis misisset, egregie probati et cum magna accessione spiritualis profectus, ad eum redierunt. Alter eorum cum magna pericula latronum, bestiarum silvestrium, pestis, famis, defectus somni et alios labores tulisset, fructum peregrinationis sic extollebat, ut propter omnia creata, se illam omissam nolle, adseveraret. Ad Archiepiscopum moguntinum se etiam contulit, et de iis, quae ad religionem pertinent, cum illo nonnulla gravia conferens, quaedam, quae ad rem admodum faciebant, sunt constituta. In monasterio carmelitarum quemdam monachum in spiritualibus exercuit, et ab haeresi revocavit eum Dominus; et dum pacem cum omnibus servare curat, etiam rumores et erga se malevolentiam hominum extinxit [2].

---

1 Bobadilla Codacio, Oeniponti, 1 Maii; idem Codacio et Laynio, Viennae, 24 et 28 Junii 42.

2 Faber Ignatio, Barcinone, 1 Martii; Lugduni, 22 ejusdem mensis; Spirae, 16 et 27 Aprilis, 24 Augusti, et 28 Septembris; Moguntiae, 7 Novembris et 22 Decembris 42; idem Patribus Societatis Romae degentibus, Aschaffenburgi, 5 Januarii 43.

42. Hoc anno 1542 nostri, qui sexdecim numero Parisiis versabantur, et studiis simulque pietatis operibus vacabant, bona ex parte sparsi sunt. Cum enim Franciscus, Galliae Rex, bellum Carolo V imperatori movere constituisset, Julio mense edictum in Universitate parisiensi promulgatum est ut, scilicet, quicumque Carolo subditi essent, intra octo dies sub poena mortis et confiscationis bonorum ex ejus regno egrederentur. Cum autem primus praeses Parlamenti a scholasticis consultus, et Cardinales etiam Borbonius et Medonius [1], nihil securitatis nec dilationis pollicerentur, relictis aliis quibus per edictum Parisiis manere licebat, cum septem fratribus hispanis P. Hieronymus Domenech, pedes et propere admodum in Belgas profectus, cum id temporis exercitus Martini Ros [2], qui auspiciis Francisci regis militabat, Lovanium invadere diceretur, suos Brusellas deduxit. Sed exercitu abscedente, Lovanium sub autumni initium nostri convenerunt; et studia philosophiae Parisiis coepta persequentes, collegio Lovaniensi principium dederunt [3].

43. Quum hoc ipso anno 1542 P. Laynez, ad promovenda quaedam pietatis opera, Venetias, ipsius reipublicae rogatu, missus a Summo Pontifice fuisset, in pluribus locis conciones et quidem aliquando bis in eodem die habuit. Sacra etiam lectione Evangelium S. Joannis ter in hebdomada interpretabatur, cui frequens admodum et ex nobilitate et ex plebe mixtum auditorium aderat. Et in eis, tum concionibus, tum praecipue lectione, contra haereses, quae pullulare ibi coeperant, disputans, uberiorem fructum colligebat. Parata interim auctoritate majore, concionari apud Sanctum Joannem et Paulum est aggressus, cujus laboris latius etiam, in profectu multorum interno, et eleemosynis ac piorum locorum subventionibus, patuit utilitas. Sed quos verbum Dei movebat, ut progressus majores in spiritu facerent, exceptae eorum confessiones (inter quas multae generales erant) efficiebant. Cum quibusdam, qui magis idonei videbantur, per spiritualia Exercitia majorem solidioremque fructum curabat. Fuerunt qui per

---

1 Antonius de Medon.

2 Martinus van Rosem.

3 Vita *Mss.* Patris Cornelii Wischaven; Joannes Hieronymus Domenech Ignatio Antuerpiae, 7 Augusti 42.

ea et per colloquia familiaria ab haeresum peste sanati, Ecclesiae catholicae redditi sunt. Alii consilia Christi sunt secuti; et sic in dies, in amplissima illa civitate, bonus Societatis odor spargebatur. Sed et Andreas Lipomanus (qui fere ab initio domi suae Patrem Laynez hospitio exceperat) ad res nostras propensior redditus, de collegiis Patavii et Venetiis instituendis, et cogitare, et cum eodem P. Laynez, agere coepit [1].

44. Sub initium hujus anni, cum P. Araoz ipso die quinquagesimae professionem in manibus P. Ignatii, primus post decem (qui Romae eam emiserant vel scripto comprehensam transmiserant) fecisset, in Hispaniam remissus, primoque vere Januam, pedes pro more Societatis, perveniens, inde Barcinonam trajecit. Ubi ei, et P. Didaco de Eguia, ipsius socio, tam copiosa se messis obtulit, ut vix minimae ejus parti colligendae pares essent. Episcopus, Pro-rex et Pro-regina, Dux Cardonae et ejus uxor, et Admirallus regni Neapolitani [2] magnam erga Societatem benevolentiam prae se ferebant. Nobilissimos aliquos viros in spiritualibus meditationibus exercuit, cum insigni vitae mutatione. Unus eorum fuit Admirallus, qui cum domi suae salutantium importunis officiis interrumperetur, in aliam se transtulit, in qua Pro-rex dicebat velle se fungi janitoris officio, ne tam sanctum opus impediretur. Confessionibus audiendis, nec dies neque noctes sufficiebant, imo aliquando Missae Sacrificio locum non relinquebant. Concionabatur, rogatus, variis in locis frequentissimo auditorio, et cum recusasset magnam vim pecuniae sibi oblatam, populo summae aedificationi fuit. Inter aliquos nobiles, inimicitias exercentes, pacem conciliare nitebatur. Et quidam Baro, alterius factionis caput, eo adductus est, ut si uxori obligatus non fuisset, Romam (quo rursus vocabatur Araoz) ad inserviendum culinae nostrae, se venturum affirmaret [3]. Cum multis spiritualia Exercitia traderentur, et illi rem divinam esse affirmarent, tam multi ea petebant, ut decem instructores eis satisfacturi omnino non essent. Cum lacrymis plurimorum ab ea civitate avulsus (quae cum Pontifice, de eo ad se remittendo, per litte-

1 Laynez Ignatio, Venetiis, 5 Augusti 42.
2 Bernardinus de Mendoza.
3 Vide CIENFUEGOS, *Vida del grande S. Francisco de Borja*, lib. II, cap. XV.

ras egit) et triremem cum socio conscendens, cum turcis et mauris quibusdam et aliis ad remigium damnatis, non inutiliter tempus navigationis expendentes, in Italiam pervenit, et sub anni finem Romam ingressus est [1].

45. Hoc ipso anno cum Franciscus de Villanova, Roma missus in Portugalliam, adhuc valetudine laboraret, et ob aëris mutationem Complutum venisset, et litteris dare operam coepisset, viris gravissimis ejus spiritualia colloquia et Exercitia spiritualia multum contulerunt; et quamvis biennio fere sine sociis fuit, habitatio tamen nostrorum in ea Universitate ab eo ortum habuit. At in Portugallia cum Ulyssipone operariorum numerus crevisset, fructus etiam latius in dies patens crescebat. Maxima nobilitatis pars ad divi Antonii templum tam frequenter, confitendi et communicandi gratia, accedebat, ut octavo quoque die, vel qui rarius singulis id mensibus factitarent. Nec in curia Regis jam novum videbatur, quod in consuetudinem versum erat. Propter spiritualium Exercitiorum usum multi profecerunt, et aliqui in Societatem se admitti petentes, id obtinuerunt. Quinque sarracenos, qui ex Mauritania ut Christi religionem susciperent, et duos judaeos, Rex nostris instituendos domi commisit. Inter sarracenos, unus erat, qui propter nobilitatem, in pretio apud suos magno fuerat. Demum cum scholasticos duodecim, partim Roma et Parisiis missos, partim ibidem admissos, Simon in aede divi Antonii aliquandiu retinuisset, jussu Regis tandem eos Conimbriam (ubi Rex insignem universitatem erexerat, et Collegium nostrorum ei addere constituerat) mense Junio deduxit. Et conductitiam domum inhabitandam eis tradens, ac situm Collegio erigendo opportunum (prout Rex injunxerat) considerans, de bibliotheca et rebus necessariis ex benignitate regia nostros instructos relinquens, Ulyssiponem rediit. Haec ergo Conimbricensis Collegii primordia fuerunt, quod habitatio Societatis quinta fuit; et in dies crevit magis, donec ad eam perveniret magnitudinem, quam modo videmus. Lovaniensis (de qua supra) habitatio sexta in ordine fuit, Augusto mense ejusdem anni inchoata. Evorae quidem aliam instituere domum vel Collegium Rex cogitabat, et ejus concionator, ut situm et formam aedificii

---

1 Araoz Ignatio, Barcinone, 6 et 10 Julii, 25 Septembris, 2 et 23 Octobris 42.

construendi inspiceret, eo profectus prius fuerat ; sed aliquandiu illius operis exsecutio dilata est [1].

46. P. Franciscus Xaverius cum classe Pro-regis in Indiam pervenit sexta die Maii anno Domini 1542, cum in itinere, quod sex mensibus fere confici solet, plus quam integrum annum consumpsissent. Sed id in causa fuit, quod in oppido atque arce portugallensium, quod Mozambique dicitur, classis hyemare et sex menses haerere coacta est ; quo tempore, licet aegrotantium, qui plurimi, et morientium, qui 80 fuere, multitudo satis negotii facesseret P. Francisco, qui eorum curam cum sociis susceperat, concionandi tamen officium dominicis diebus (prout navigationis reliquo tempore fecerat) non omisit; et praesente Pro-rege cum admodum frequenti auditorio, id ita fecit, ut in confessionibus praedicationis fructum colligeret. Cum profecturus esset ex Mozambique in Indiam, nongentas leucas inde distantem, Pro-rex, et multos aegrotantes ibi relinqueret, rogavit Franciscus ut sociis curam eorum committeret, ipse vero secum veniret. Quod et fecit, et prope Melindem cum Pro-rege navigans, rex illius urbis, ad navim officii gratia (amicus enim lusitanorum erat) venit ; et quoniam in ea urbe mercatores lusitani saepe versantur, pro morientibus christianis quasi coemeterium extra eam habent, et pulchram crucem lapideam et inauratam ibi constituerant ; et cum quemdam in navi mortuum sepelire vellet, magna laetitia affectus est, crucem quasi victricem, inter tot sarracenorum millia, conspiciens. Probabant autem infideles illi maxime pietatem, quam christiani in defunctos exercent. Quidam autem ex primariis ejus civitatis percontabatur illum an christiani frequentes ad orandum in sua templa convenirent ; et conquerebatur quod, cum in ea civitate 17 essent loca orationi designata (*mezquitas* sarraceni vocabant) tantum apud eos devotio refriguisset ut, desertis aliis, ad duas vel tres tantum pauci quidam convenirent : et cum peccatis ille hoc adscriberet, aliam esse causam Franciscus asseruit, quod scilicet Deo infidelium orationes minime placerent. Quidam erat ibidem sarracenus ex iis, quos Cazizes [2], quasi doctores inter nos,

---

1 Ignatius sociis per Italiam dispersis, 1 Junii; Rodericius Ignatio, anno 42.

2 *Kacis*, mot arabe, signifie vieillard ou ancien ; dans un sens chrétien, il veut dire

vocant, qui affirmabat, si Mahometus intra biennium non veniret ad eos consolandos, se non amplius ei crediturum. Inde in insulam Cocotoram, quae fere 30 in ambitu leucas habet, classis appulit. Sterilis ea erat, nec triticum, nec oryzam, nec milium, imo nec fructus ullos habens, sed pecora, ex quorum lacte victitant, et palmas, ex quorum casicis panem conficiunt. Gloriantur se christianos esse, et a Sancto Thoma apostolo institutos. In singulis oppidis Cazizem unum habent, quasi apud nos parochum. Sed cum inter illos nec libri, nec legendi, nec scribendi peritia ulla sit, tamen memoriter orationes quasdam tenent; et quater in die, scilicet media nocte, mane, post meridiem, et sub vesperam, ad sua templa conveniunt, et bacillorum ictibus (ut nos in hebdomada sancta) suos vocant et orationes pronuntiant, quas ipsimet non intelligunt; chaldaici idiomatis esse videbantur. Bis eo se contulit Franciscus, et quia baptismi nullam notitiam habebant, multos pueros baptizavit; quorum parentes ea de re magnopere laeti, et de sua paupertate, quod habebant, hilari animo offerentes, rogaverunt Franciscum ut apud se maneret, omnesque se baptismum accepturos promittebant. Cum autem ipse, tam paratam messem videns, vellet ibi manere, Pro-rex, qui timebat ne turcae (qui saepe eo se conferunt) captum eum alio abducerent, id non permisit; fecundiorem alibi partem vineae Domini promittens. Interfuit vespertino officio, in quo horam integram, crebro incensum adolendo, et semper tamen aliquid orando impendunt. Duplicem singulis annis quadragesimam jejunio arctissimo (cum nec lacte, nec carne, nec piscibus, jejunantes utantur) celebrant. Et Cazizes dicti uxores more graecorum ducunt. Cum tandem sexta Maii (ut dictum est) in Indiam pervenisset, maxima navi et ditissima prope portum pereunte, ferme omnes homines incolumes evaserunt [1].

47. Goam perveniens, in xenodochio aegrotantium confessiones audire et sanctum Eucharistiae sacramentum impertiri

---

évêque ou prêtre. (Nous devons cette note et plusieurs autres à notre digne et savant ami, M. Dubeux, professeur à l'École des langues orientales.) PAGÉS, *Lettres de Saint François Xavier*, t. I, pag. 54. — MENCHACA scribit *Cacis*, *Cacices*. Quid Xaverius scripserit nescimus; quamvis enim in ejus litteris hispanice editis legamus *Caciques*, verbum hoc non ex hispana aut lusitana, quam scripsit Xaverius epistola, sed ex latina versione desumptum suspicamur.

1 Xaverius Societati Romam, Goae, 18 Septembris, 43.

coepit. Sanos matutinis horis ad se confluentes audiebat. Post meridiem ad publicam custodiam se conferebat, ut ibi detentos (praemissa instructione ad generalem confessionem recte instituendam) sacramento Poenitentiae expurgaret. Quo pio opere absoluto, prope xenodochium, heremitorium quoddam B. Virgini dicatum, ad pueros docendos orationes consuetas, decalogum, et apostolorum symbolum, accessit. Superabat tercentum numerus eorum, qui cum singulari fructu conveniebant: voluit autem Episcopus ut in aliis ecclesiis idem fieret. In eodem hospitali, cum magna Goensium aedificatione manens, diebus dominicis et festis in heremitorio praedicto concionabatur. Et a prandio christianis ab infidelitate conversis (qui tam frequentes conveniebant, ut ecclesia eos non capere posset), unum fidei articulum singulis concionibus declarabat; quibus absolutis, orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum et decem praecepta eos docebat. Diebus dominicis extra urbem ad hospitale leprosorum et elephantia laborantium (Sancti Lazari vocatum) ibat ut Missae sacrificium celebraret; et omnes, qui in illa domo versabantur, Confessionis et Communionis sacramento reficiebat ac recreabat. Et cum etiam verbum Dei eisdem praedicasset, sibi amicissimos relinquens, a Pro-rege in regionem quamdam (ducentis leucis inde distantem, caput Comorim vocant) missus est. Regio haec nullas lusitanorum habitationes habet, quod mira sterilitate et paupertate laborat. Ante octo annos multi christianam Religionem acceperant, sed praeter nomen christianorum nihil aliud, quod ad fidem pertineat, habere videbantur; cum nec esset qui Missae sacrificium apud eos diceret, nec qui ea, quae credenda, agenda vel oranda sunt, christianos doceret. Cum ergo tres ejus linguae homines Goae a pueritia institutos, et ex eis duos ad Evangelii ordinem promotos, secum duceret, statim ac ad eos pagos veniebat, in primis omnes eorum pueros, qui nondum Baptismi sacramentum acceperant (quorum erat ingens multitudo) sacro fonte baptismi abluit, qui nec officii quidem dicendi, nec cibum capiendi, nec dormiendi, locum relinquebant, dum urgent opportune et importune ut eos doceat quae Christi sunt, adeo ut fateatur se tunc cognoscere coepisse, quod talium est regnum Dei; cumque tam piam petitionem non sibi videretur nisi impie rejicere, coepit eos docere se signare cruce in confessione

Patris et Filii et Spiritus Sancti, deinde symbolum apostolorum, postmodum Ave Maria; dum eos docet, magna in eis ingenia, si non deessent qui ea excolerent in Christo, deprehendit. Cum autem in vicum quemdam gentilium, in quo nullus erat christianus, pervenisset (dum enim vicini populi converterentur, id recusavit ille, quod subditus esset domino cuidam gentili, cui talis religionis mutatio non placebat), accidit, ut mulier quaedam jam triduum partus doloribus teneretur, et de ejus vita spes omnis esset abjecta ; ad ejus domum cum uno e sociis se contulit, et coepit confidenter invocare Christi nomen, nihil cogitans quod terra aliena esse videretur, cum Domini sit terra et plenitudo ejus; incoepit ergo symbolum recitare, quod ejus socius vernacula lingua ei declaraverat, unde fidei articulos mulier credidit; et cum ab ea peteret Franciscus an vellet esse christiana, se velle affirmavit; tum Evangeliis recitatis eam baptizavit; et absoluto baptismo, statim peperit, quae in Christo crediderat et speraverat. Postmodum maritum ejus, filios et filias, inter quos erat infans, qui fuit eodem die natus, cum reliquis domesticis baptizavit; cum autem et fama percrebuisset per oppidum, adivit primarios ejus incolas et in Dei nomine eos hortatus est, ut in Jesum Christum, filium ejus, crederent, in quo uno oportet nos salvos fieri. Cum autem illi sint sub facultate sui principis, et christianam Religionem admittere non auderent, convenit Franciscus quemdam illius principis alumnum, qui ad redditus domini sui recuperandos eo venerat; ille, quamvis rem valde bonam esse diceret christianum esse, et oppidanis facultatem daret eam religionem profitendi, noluit tamen ipse bonum consilium sequi, quod aliis proponebat. Primores tamen hujus loci viri baptismum, cum suis domibus, susceperunt; et tunc demum ad reliquum vulgus se convertens, et natu majores et minores baptizavit. Inde pergens Jutucorinum (qui locus ex praecipuis est illius maritimae regionis) ab ejus incolis amanter, cum sociis, exceptus est. Ex piscatione victitant ; sed cum sarraceni eos vexarent, et navigia eorum abstulissent, Pro-rex, qui magno affectu charitatis novos hos christianos prosequitur, classem instruxit et sarracenos istos consecutus, ac plurimis eorum occisis, et reliquis in fugam versis, omnia navigia eis eripuit, et quae christianis ademerant, eisdem restituit; aliis autem pauperibus,

qui navigia non habebant (ex quibus tamen ipsi victum sibi parant), ea dedit, quae a sarracenis coeperat. Ea victoria ne vestigium quidem sarracenorum in tota illa regione relictum fuit; et cum primores inter ipsos periissent, reliqui ne mutire quidem audent. Cum autem Pro-rex hos christianos, quos in Christo genuit, pro filiis habeat, de eis transferendis in quamdam insulam, et rege christiano illis imponendo, qui in justitia eos contineat, cogitare coepit.

Admonet idem P. Franciscus coeptum esse Goae aedificari Collegium cum suo templo ad puerorum institutionem, ut quae ibi didicerint christianae Religionis documenta, suis in provinciis vernaculo idiomate docere possint; et ad eos regendos docendosque operam Societatis nostrae desiderari [1].

ANNUS 1543

48. Anno Domini 1543 ineunte, Romae, praeter consueta et Instituto nostro germana ministeria, concionandi, sacramenta Confessionis et Communionis ministrandi, catechismum docendi, spiritualia Exercitia tradendi, inter discordes pacem conciliandi, et alia hujusmodi pietatis opera exercendi, erga catechumenos charitas eminuit. Domi quidem nostrae quamplures, ex judaismo ad Christi religionem conversi, et ali et institui solebant. Sed cum opera aliquorum ex his jam Christo renatis, qui inter judaeos clari habebantur, alii subinde atque alii ad Christum accederent, et impetrata, per Ignatium, Summi Pontificis concessione, ut qui ex judaeis converterentur suis bonis temporalibus (ut prius) minime privarentur, major hujusmodi hominum numerus accessurus ad fidem crederetur, nec domus nostra tam multis instituendis, et ad tempus hospitio excipiendis sine gravi incommodo posset sufficere, de domo propria catechumenis instituenda agere Ignatius coepit; et hoc anno pium id opus inchoatum, et sinagogis Italiae, pro ipsarum facultate, aliquid contribuentibus, sub Julio III dotatum

---

1 Xaverius Ignatio, 21 et 23 Octobris 42. Ad res hoc anno gestas declarandas faciunt etiam sequentia: Ignatii supplicatio ad Cardinalem Sanctorum Quatuor, de absolvendo sacerdote quodam ab irregularitatibus, 19 Julii; litterae Marchionissae de Pescara ad Ignatium, de Patre Araoz, Viterbi datae 21 Januarii; et Henrici, Portugalliae Principis, Ignatio, de Inquisitionis sacro tribunali in Lusitania, 29 Maii, 42.

est. Orphanorum etiam puerorum domus, et alia puellarum, adjuvante P. Ignatio, fuit erecta ; sicut et virginum, quas miserabiles vocant, et opus est in urbe pernobile. Sed et sanctum illud decretum Innocentii III: " Cum infirmitas corporalis „, ut per Litteras Apostolicas Pauli III instauraretur (in desuetudinem enim abierat) curatum est. Ut scilicet aegrotantes, corporis medici non invisere pergerent, nisi prius animae medici per confessionem infirmum a peccatis expiarent [1].

49. Quod ad universam attinet Societatem, cum multos divina Bonitas ad ipsius institutum vocaret, et in dies latius ejus ministerio, ad animas ubique juvandas uti dignaretur, Summo Pontifici fuit propositum ut, restrictione illa numeri (quam ad probationem sapienter initio fecerat) ablata, libere nostrum vitae institutum confirmaret et quosvis ad eam admittendi, qui a Deo vocati viderentur, facultatem praeberet. Fecit id libenter in plena signatura fe. re. Paulus III, et hujus confirmationis Litterae Apostolicae sub plumbo, 12 die datae, ex ejus decreto sunt expeditae. Hoc etiam anno, praeter Ecclesiam Sanctae Mariae de Strada, quae sub finem anni quadragesimi Societati data fuerat, Ecclesia Sancti Andreae della Frata (quae fere deserta erat, et ideo ut templum ibi esse desineret Pontifex statuerat) quae situm percommodum, utpote conjunctum horto Sanctae Mariae, habebat, Societati addita fuit ; et eodem anno habitatio domus nostrae professae aedificari ex eleemosynis coepta est [2].

50. Postquam Romae aliquandiu versatus est P. Paschasius, ex Hibernia rediens, Fulginum, Episcopo per Cardinalem Sanctae Crucis id postulante, ex obedientiae praescripto se conferens, pietatis operibus vacare coepit, et cum multos turpiter in concubinatu sordescere intelligeret, seorsim hunc et illum appellans, duodecim ab eo peccato removit, inter quos quinque conjugati erant, et aliqui duodecim annos prava foeminarum consuetudine irretiti. Ex quibus cum una eidem confiteri vellet, negavit, nisi prius illa se substraxisset ab ea domo in qua peccaverat, eam se admissurum ; concessit illa

---

1 Ignatius Xaverio, 24 Julii 43 ; missa haec fuit epistola, aliquo addito, 3 Januarii sequentis anni 1544. — Legisperitorum judicium de renovatione Decretalis *Cum infirmitas corporalis*, Romae, 30 Martii, 43.

2 Sociis in Hispania degentibus, Romae, ex commisione P. Mtri. Ignatii, 43.

et se velut ab angelo de coelo misso separari ab ea domo, ubi tredecim annos Deum offendisset, affirmabat. Quidam etiam Sacerdos, qui, relicto clericali habitu, et saeculari assumpto, ex quodam mechanico officio cum concubina victum publice quaerebat, reprehensus et fraterne commonitus, et foeminam dimisit, et ad statum et habitum sacerdotalem, absolutione et dispensatione curata, rediit. Docuit etiam pueros, adjunctis aliis personis, christianam Doctrinam triginta dies. Cum autem idem Cardinalis Sanctae Crucis (postea Marcellus II Pontifex) ab Ignatio per litteras petiisset, ut aliquis de Societate Montem Politianum (quae ipsi patria est) ad populum illum juvandum mitteretur, idem Paschasius eo se contulit, et Doctrinam christianam pueros per triginta dies docuit, et multorum utriusque sexus confessiones cum fructu audivit, et spiritualibus meditationibus non paucos excoluit, ex quibus unus, qui Theologiae Parisiis operam dederat, et voto se ad ingressum in Sancti Francisci ordinem obstrinxerat (a quo sine causa legitima absolvi se curaverat) ut in eumdem ordinem, juxta voti promissionem, ingrederetur adductus est. Per idem fere tempus, Cardinali Morono petente, P. Salmeron Mutinam missus, cum ibi aliquot menses in vinea Domini laborasset, et contra sectarios ibi zizaniam seminantes strenue praedicasset, a P. Ignatio revocatus est. Curatum est etiam ab eodem Ignatio, ut decretum illud medicorum, de quo supra, in Mutinensi dioecesi, opera ejusdam Cardinalis, qui Mutinensis Episcopus erat, observaretur [1].

51. Interim P. Laynez Venetiis coeptum opus Domini prosequebatur, et aliqui juvenes ejus instructione et admonitione, a sectariorum erroribus ad sanam mentem redeuntes, alios ad hoc ipsum adducebant. Aliqui etiam libros vel errorum vel superstitionum comburendos afferebant; multis in monasteriis, gravium virorum rogatu, qui sanguine conjunctas moniales ibi habebant, concionatus est. Nec sacramentorum Confessionis et Communionis, aut Exercitiorum spiritualium occupationes defuerunt. Et quamvis ante carnis privium relaxari vulgus

---

1 Sociis in Hispania, ut n. 49; Broetus Ignatio, Fuligni, 6 Januarii 43; Cardinalis Sanctae Crucis Ignatio, de Patribus Salmerone et Broet, Velitris, 13 Septembris; Ignatius Cardinali Sanctae Crucis, de profectione Patris Broet Fulignum et Salmeronis Ferrariam, 16 Aprilis, 43.

plus aequo soleat, ad lectiones tamen suas potius crescere auditorum numerum, quam minui videbat. In concionibus aedificationem auxit, quum oblatam sibi pecuniam pro more recusavit, et e suggestu gratias egit, et ne quid simile offerrent admonuit, cum sibi Deus alia ratione de necessariis rebus provideret. In quadragesima frequens habuit auditorium, et spiritualis fructus, Deo praestante, augmentum pollicebatur. Cum autem Andreas Lipomanus, piorum omnium operum studiosissimus, Patri Laynez habitationem domus, quam Patavii habebat cum suo templo, prioratus scilicet Lambertarum (vulgo fratrum Alemanorum dicitur) obtulisset, ut nos, qui Patavii tunc in conductitia adhuc domo versabamur, cum majori commoditate et quiete religiosa studiis operam daremus, et alios quatuor aut quinque submitti ex urbe peteret, quibus ipse necessaria suppeditaturum recipiebat; in hujus anni aestate, ad praedictum prioratum commigravimus; et Patre Laynez Patavium etiam eodem anno veniente, et Collegii formam ea domus habere, et per ejus lectiones et conciones spiritualis fructus, cum odore bono Societatis, augeri coepit. Et paulatim sacramentorum Confessionis et Communionis frequentatio, etiam inter multos viros primarios inducta est [1].

52. Erat Ratisbonae initio hujus anni 1543 P. Claudius Jaius, et per primae hebdomadae Exercitia spiritualia, usque ad confessionen generalem, tam religiosos et saeculares sacerdotes, quam alios laicos juvare nitebatur, et utilis hic labor non paucis fuit; inter quos unus, qui a religione defecerat, ut ad eam rediret adductus fuit. Aliquos magna diligentia revocare ab erroribus conatus, expertus est quam sit illud B. Joannis consilium amplectendum, *haereticum hominem post unam et alteram correctionem devita; quia subversus est*. Sed in duobus ex his admirandum Dei judicium apparuit. Alter enim saecularis doctor, qui Senatui persuaserat communionem sub utraque specie esse accipiendam, acerbissimo dolore per duas horas cruciatus, statim est extinctus; alter, franciscanus professione, ab ecclesia malignantium in pastorem receptus et uxorem ducens, intra quindecim dies, et quidem in ea parte corporis gra-

---

1 Laynez Ignatio, Venetiis, 5 et 26 Augusti, 2 Septembris, 7 Decembris; idem Paschasio Broet, 11 Decembris 42; idem Ignatio, 11 et 25 Januarii, et 9 Februarii 43.

vissime tortus, qua votum castitatis violaverat, horrenda morte sublatus est. Adiit Episcopum Ratisbonensem Claudius (qui extra urbem erat) ut ad reformationem aliquorum malorum, ex quibus alia gravissima imminebant, hortaretur, et ut jubilaeum, quod tunc emanaverat a Sede Apostolica, promulgari faceret; quod et obtinuit. Nam aliqui Claudio familiarem promulgationem praevenientes, et post jejunia, eleemosynas et confessionem, coram omni populo in templo communicantes, exemplo suo rem cum aedificatione magna promulgarunt. Videnda fuit Ducis Bavariae, Guilielmi, in religione constantia, qui cum pessum ire Ratisbonae religionem catholicam videret, sub capitis poena suis prohibuit subditis, ne eam civitatem ingrederentur, donec resipiscerent; et cum ab adversariis fidei bellum ipsi imminere diceretur, citius, inquit ille, vitae, patriae, status dispendium faceremus, quam patiamur populum nostrum ad lutheranismum declinare. Cum autem Ratisbona transiret Nuncius Apostolicus, Episcopus Casertanus, ad diaetam, quae Nuremberga fiebat, se conferens, Claudio injunxit ut post aliquos dies se consequeretur. Sed rebus ibi brevi confectis, et diaeta dissoluta, Ingolstadium venit, ubi ea aestate in Exercitiis tradendis et exhortationibus privatis catholicos et etiam suspectos aliquos juvare non sine fructu curavit. Deinde consilio Archiepiscopi Armachani et precibus Doctorum universitatis Ingolstadiensis, publice legere coepit ut fructus latius pateret [1].

53. Comitabatur eumdem Nicolaus Bobadilla, Vienna veniens, ubi Regis jussu, cum Doctore quodam, qui a consiliis aliquando ipsius fuerat, genere alioqui nobili, coram sex Doctoribus disputaverat. Cum autem quinquaginta et amplius errores, in ipsius doctrina, Bobadilla damnasset, et in disputatione homines convicisset, Rex illum catenis vinctum in monasterium pro carcere conjici jussit; ubi cultello quodam exiguo se confodiens, cum non statim moreretur, conversus ad fidem catholicam et acceptis Sacramentis obiisse dicitur. Norimbergae cum praefecto sinagogae lutheranae, qui Ratisbonam depravaverat, idem familiariter egit, et de eo in viam veritatis reducendo, vel saltem a tam gravibus damnis inferendis revo-

1 Jaius Ignatio, Ratisbonae, 14 Junii, 18 Julii, 10 et 27 Augusti et 17 Novembris, 42.

cando, non desperabat. Inter alios, quos per Confessionis sacramentum expiavit et Eucharistia refecit, quidam praenobilis vir fuit, qui propter peccatum publicum multos annos a Sacramentis abstinens, nec a Rege, neque ab aliis nobilibus, ut ab eo abstineret, persuaderi potuerat. Cum vero Rex Patavien-sem [1] Episcopum, Spiram, ut suo loco diaetae interesset, mitteret, coactus est Bobadilla eum comitari, quod tam apud protestantes, quam apud catholicos notus esse diceretur. Ubi suo defunctus officio Episcopus, cum rediisset ad suam dioecesim, Viennam venit Bobadilla, et a Rege multa impetravit, quae ad uberiorem fructum ex Pataviensi vinea colligendum erant necessaria. Et interim aliquos christianos, qui apud turchas fidem abjuraverant, et circumcisi erant, absolutos Ecclesiae reconciliabit, et nobilissimos quosdam sacramentis Confessionis et Communionis refecit [2].

54. Interim, hoc ipso anno 1543, P. Petrus Faber Moguntiae et Coloniae strenuam operam Ecclesiae Dei navabat. Interpretabatur Moguntiae psalmos, et confessionibus audiendis et Exercitiis spiritualibus tradendis, modo hunc, modo illum juvabat. Cum autem a lectionibus vacandum esset aliquandiu, Asscaffenburgum ad Archiepiscopum et Cardinalem Moguntinum se contulit, ut aliqua ad Dei gloriam pertinentia cum eo transigeret. A quo humanissime exceptus, et de quadam reformatione, quam facere instituerat, consultus, locum etiam habuit commode de instituti nostri ratione Praesulem informandi; quae ei quam maxime probata est. Sed Moguntiam rediturum ut lectionibus adderet conciones latinas diebus Dominicis Archiepiscopus rogavit; quod et praestitit, Deo favente; et per eas et colloquia familiaria de multis bene mereri pergebat. Sed cum Coloniam sibi eundum esse judicaret ad quaedam pietatis, et quidem magni momenti opera in religionis favorem promovenda, ibi aliquandiu commoratus, sic in illis se gessit, ut cum Bonae Nuncium Apostolicum Poggium adiens, ei rationem redderet eorum quae gerebantur (et praecipue in negotio Archiepiscopi, cui, cum male de fide sentiret, nec

---

1 Sic pro *Passaviensem*. Vide *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, t. I, pág. 233, nota 3.

2 Bobadilla Ignatio, Nurembergae, 31 Januarii 43.

quisquam se opponere, nec de rebus ejus quos oportebat monere, praeter ipsum Fabrum, audebat), visum ipsi fuerit nullo modo Coloniam ab eo relinquendam esse; et recepit se Cardinali Moguntino per litteras satisfacturum, ut aequo animo ejus absentiam ferret. Inter caetera, quae ibi sunt a Fabro acta ad Dei gloriam et Germaniae utilitatem, id fuit, quod Petrum Canisium, jam tunc zelum catholicae religionis contra sectarios defendendae et propagandae, cum eruditione, eloquentia et pietate insigni, conjunctum prae se ferentem, per spiritualia Exercitia Societati genuit. Ibi autem litteras a P. Ignatio accepit, ut cum sociis in Portugalliam se conferret; unde post paucos dies Antuerpiam, inde in regnum illud navigaturus, profectus est. Sed cum nulla tunc navigandi commoditas se offerret, eam exspectaturus Lovanium venit. Ubi sequenti die (non sine Dei providentia) in gravem incidit febrim; quae ipsius aegritudo multis sanitatis causa fuit. Quamvis enim debilis et morbo afflictus, cum messem sibi paratam cerneret, nec a colloquiis, nec ab audiendis confessionibus, singulari cum fructu multorum, abstinuit. Et ipsa ejus patientia non parum omnibus aedificationis praestitit [1].

55. Lovanii unde, paulo ante veris initium, P. Hieronymus Domenech cum duobus sociis, Romam pedes profectus est, substiterunt Franciscus Strada et Andreas de Oviedo, nunc Aetiopiae Patriarcha, qui anno 41 Societatem Romae ingressus, deinde Parisios studii gratia missus, cum aliis hispanis Lovanium se contulerat. Coepit autem Strada, dum litteris dabant operam, de juvandis per Exercitia spiritualia et per conversationem proximis cogitare; et ut facilior esset cum aliis hujusmodi communicatio, Universitatis Cancellarium, virum gravissimum et doctissimum, nec minus pium, Ruardum Taber [2], aggressus est. Qui cum Stradam audivisset, inter frequentes occupationes suas, tres horas singulis diebus eidem, ut una quidem instrueretur, duabus aliis sese exerceret, promisit; et id tanto cum fructu praestitit ut expectationem et votum Stradae superaverit. Convenit quemdam Sacer-

---

1 Faber Ignatio, Aschaffenburgi, 5 Januarii; idem Canisio, Moguntiae, 21 Junii; idem Ignatio, Coloniae, 27 Septembris; idem Patri Alphonso Alvaro et fratri Petro Canisio, Lovanii, 28 Novembris 43.

2 Sic; scribitur tamen a plerisque *Tapper*.

dotem praeterea, Cornelium Uviscalem [1] nomine, admirandae puritatis, qui exemplo vitae et severissimis corporis sui castigationibus, et magno zelo animas juvandi, confessionibus audiendis dabat operam, multosque juvenes ac virgines etiam ad perfectioris vitae desiderium promovens, monachorum et monialium monasteria replebat; et cum ei objiceretur, quare cum alios ad religiosos ordines subeundos juvaret, ipse extra religionem maneret, respondit, pluris se facere si multos introducat ac foris ipse maneat, quam si ipse ingressus, multos foris relinqueret. Hic ergo, cum in Stradam incidisset et instituti nostri rationem intellexisset, summa animi laetitia Societati se adjunxit, et ejus in inferiori Germania filius primogenitus fuit. Hunc secutus est Petrus Faber [2], qui et ipse Theologiae Lovanii dabat operam. Cum autem magnum jam ostium aperiri coepisset, litteras a P. Ignatio acceperunt, quibus ad recessum ex ea Universitate primo quoque tempore urgebantur, et ut Strada cum Andrea et Joanne [3], P. Fabri socio, in Portugalliam se conferrent. Relictis ergo prompte occupationibus, quibus utiliter vacabant, utilius obedientiam sectantes [4], in Zelandiam se conferunt, ut cum primis navibus in Portugalliam trajicerent; sed partim ventis reluctantibus, partim per aegritudinem Joannis impediti, vel potius Deo aliquid melius providente ut cum comitatu majore postea proficiscerentur, exclusi a spe navigationis Lovanium redire coacti sunt. Quod accidit paulo antequam P. Faber, ad eamdem navigationem Antuerpiam properans, exclusus ab ea (ut dictum est) Lovanium et ipse venit. Quamvis autem ejusdem aegritudo et Joannis jam dicti satis negotii facesserent, Exercitia tamen spiritualia quibusdam gravibus viris Strada proposuit; inter quos fuit Theodoricus Hesius, vir gravis, et haereticae pravi-

---

1 Ita; sed nomen suum scribebat ipse Cornelius, ut in autographis ejus litteris videtur, hoc modo: *Wisschaven*. Nos autem, communiorem usum secuti, in *Cartas y otros escritos del B. P. Fabro,* ubi frequenter de eo sermo fit, Vishaven fere semper scripsimus.

2 de Hallis.

3 Dominus Joannes de Aragon (hispanice: *Mosen Juan de Aragón)* B. Petri Fabri ex Hispania socius.

4 Mss. sic habet: *utilius obedientiam sectarentur;* ubi errorem aliquem latere suspicamur, sive in *utilius,* pro *ut illius,* sive in *sectarentur;* sive etiam quod desit *ut* ante *utilius*.

tatis Inquisitor, qui olim Pontifici Adriano secretarius et etiam confessarius fuit. Hic autem singulari cum fructu et exactissime se exercens, magna cum resignatione, vitae suae statum arbitrio P. Fabri subjecit. Qui tamen, habita ratione aetatis et qualitatis personae, non existimavit ei statum vitae esse mutandum, sed potius et facultates et officia in Dei gloriam et proximorum aedificationem convertenda. Et affirmabat Hesius propter mundum universum se privari exercitiorum fructu noluisse. Cum etiam monasterium quoddam Sanctae Clarae aliquot vitae religiosae documenta sibi a Strada praescribi peteret, scripsit ille et ad eas misit quae judicabat (si bene observarentur) ad perfectionem consequendam satis fore; ex quibus etiam ad alias virgines, quibus communicari poterant, fructus redundaturus credebatur. Et jam tunc viri graves Collegium nostrorum ab Imperatore Carolo institui debere affirmabant. Quum autem qui praeerat Collegio theologorum, quod Pontificis dicebatur, peteret ut Franciscus Strada latinam exhortationem in suo Collegio haberet, negaretque ille sui esse muneris docendi officium, in tali praesertim loco, usurpare; cum ipse praesidens (sic enim vocant superiorem) ad P. Fabrum venisset, et id ab eo impetrasset, concionem habuit Strada apud illos, tanta cum admiratione et commotione auditorum, ut prorsus ad conciones prosequendas diebus dominicis et festis, sancta quadam illorum instantia coactus fuerit. Et ita, crescente numero doctorum, magistrorum, religiosorum et aliorum auditorum, ter locum mutare debuit, ut in alium ampliorem concionaturus se transferret; et ita usque ad navigationis tempus, scilicet initium sequentis anni, odor optimus Societatis Lovanii sparsus, et magna in multis vitae mutatio, additis praesertim ad conciones exercitiis, est consecuta [1].

56. Interea qui Parisiis versabantur ex nostris, revocare ad se eos qui Lovanium se contulerant (salvum conductum prius impetrando) nitebantur, et eos invitabant; sed cum Pater Ignatius, eorum animos exploraturus, peteret an parati essent obedire, si Parisiis adhuc litteris dare operam, licet ex mendicato vivendo, juberentur, aut si in Portugalliam, vel

---

1 Vita *mss.* Patris Cornelii Vischaven; Franciscus Strada Ignatio, Lovanii, 14 Augusti 43.

Romam vel alio terra marique eundum esset illis; unanimi consensu responderunt, se alacri animo quovis terrarum, etiam in Indiam, nudis, si oporteret, pedibus et mendicando, ituros; et si manendum esset et necessariis sumptibus carerent, se etiam ad victum mendicandum, et ut possent in studiis perseverandum, fore promptissimos; memores quod suam libertatem Domino per sanctam obedientiam obtulissent. Quum sacerdos quidam juvenis, gallus, in spiritualibus Exercitiis Societatem ingredi statuisset, Patriarcha Aquileiae, Nuncius Apostolicus, eum ad Ignatium perducendum (cum a parentibus recedere oporteret) in suo comitatu accepit. Cum autem in Scotia aliquandiu haereret, sacramenta Confessionis et Communionis cum aedificatione ministrare coepit. Quod et Parisiis a nostris semper factum est, et spiritualia Exercitia cum magno fructu quibusdam proposita [1].

57. Cum Antonius Araoz Romae aliquandiu fuisset in consuetis Societatis ministeriis occupatus, sub hujus anni 43 finem in Hispaniam cum quinque sociis remissus est; sed in itinere tempus sine fructu spirituali elabi non est passus; nam Prati, Capezzanii [2], Pistoriis et Lucae partim concionibus, partim ministerio sacramentorum, partim piis colloquiis, quamvis defatigati pedestri itinere, multos in Domino juverunt; et inter eos haereticus quidam Lucae ad sanam mentem rediit. Prope Saonam navim invenerunt, quae, cum jam in Hispaniam appelleret, vi tempestatis eo redierat, ut videretur ad eos excipiendos in Saonam delatam esse; multi ex ea, tam ex nautis quam ex vectoribus Patri Antonio confessi sunt, ex quibus nonnulli annis plurimis a confessione abstinuerant; restitutiones etiam aliquae factae sunt, et dux ipse navis, cum uno die videret 28 nautas communicantes, aedificationis multum accepit. Saonae etiam cum vocatus esset, in confessionibus audiendis et exhortationibus lucem ac Domini manum est expertus; et demum, propitio eodem Domino, Barcinonam pervenit [3].

---

1 Hucusque ab initio, paucissimis exceptis, est manus Patris Polanco. Alia sequitur, quae paragraphos numeris non distinxit. Eas tamen nos uniformitatis et claritatis ergo distinguemus.

2 Prato praesertim in oppido apud Hetruscos, Pistorii et Lucae. (ORLANDINI, lib. IV, numero 52.)

3 Araoz, Hieronymo Domenech aut Alphonso Salmeroni, sine loco et die, sed extra

58. In Portugallia interim res Societatis et per eam Dei gloria et animarum utilitas crescebat; hujus anni initio 1543 P. Simon Conimbriam jussu Regis se contulit, ut situm Collegio extruendo idoneum eligeret, et in edito quodam loco Societatis [1] persalubrem et ad studentium commoditatem amoenum admodum invenit. Jam mense ipso Januario collegiales viginti et quinque in conductitia domo versabantur, sed rex ad centum ex eis commode excipiendos domum exaedificari voluit; et omnia necessaria interim regia liberalitas nostris suppeditabat. Praeter hos, sex erant operarii, qui vineam illam Domini excolebant. Quidam ex Castella eo anno in Portugalliam venerat, ut fratrem suum, qui admissus in Societate fuerat, ab ea revocaret; sed cum prius institutum nostrum expenderet ac vehementer probaret, simul cum nepote, quem secum adduxerat, fratrem secutus est, et uterque egregius est concionator; tertius etiam eorum frater eos secutus est, ut in memoria reduceretur illud Saulis, quando, relicto regio ornatu, simul cum caeteris coram Samuele prophetavit [2]. Messis tam copiosa erat in regia, quando Almerini versabantur, ut nec die nec nocte otiosos esse operarios pateretur [3].

59. Cum autem de regis Joannis filia Philippo Hispaniarum principi in uxorem danda constitutum esset, Regi suggessit Simon ad Dei gloriam fore, si ex nostris aliquis cum praedicta filia in Castellam mitteretur; cujus opera radices agere in eo regno Societas posset. Quod consilium cum Regi mirum in modum placuisset, injunxit Simoni ut ab Ignatio unum vel alterum ex primis patribus ad id impetraret; et id in causa fuit, ut P. Faber, quamvis satis utiliter in Germania occupatus, obedientiam, de qua supra scriptum est, in Portugalliam navigandi acceperit; quem cum aegritudo prius, deinde Summi Pontificis per Nuncium Apostolicum jussio, detine-

---

Urbem, anni 43; idem Ignatio, Sanctae Mariae de Capeçana, 24 Novembris; Savonae, 21 Decembris 43, et Barcinone, 3 Februarii 44; Joanna de Aragon Ignatio, de Patre Araoz. 1 Decembris 43.

1 Sic; melius forte *civitatis*.

2 Ingressus est Societatem hoc anno in Portugallia P. Melchior Nuñez Barreto, quem secuti postea sunt ejus fratres Joannes et Alphonsus. Eis tamen non omnia conveniunt adjuncta, de quibus hic est sermo.

3 Simon Rodericius Ignatio, Ulyssipone, 8 Julii; Xaverius Ignatio in postscriptis alterius epistolae Goae datae 20 Septembris (Pagés habet *Décembre*) 42.

ret, missus est P. Antonius Araoz: sed uterque anno sequenti tandem in Portugalliam pervenit [1].

60. Cum ad regem Joannem legatus ex India veniret, vir quidam primariae auctoritatis, hortatus est Rex Simonem ut illum adiret, et ad christianam Religionem convertere niteretur, quem cum convenisset aliquoties et ipse domum nostram interdum inviserit, Deo propitio, Christi fidem amplexus est, et de eo sperabant fructum copiosum gentis suae consecuturum.

61. Conimbricae interim, per praedicationes et sacramenta Confessionis et Communionis, fructus in dies augebatur; et cum Rex, dum Collegium aedificabatur (ad quod virum industrium miserat, ut nostris sollicitudinem adimeret) alias domos nostris coemendo habitationem auxisset, aliquos ad Societatem vocavit Deus, et inter alios duo nobilitate sanguinis praeclari, sed multo magis pietatis, admissi sunt; scilicet Gonzalus de Silveira, quem postea martyrii corona Deus in regno Monomotapae ornavit; qui Comitis de Silveira filius erat, maturi et alacris judicii juvenis viginti et duo annos tunc natus, qui humilitate sua et crucis Christi amore, et nostris aedificationi fuit, et externos exemplo suo non parum commovit. Hunc secutus est Rodericus de Meneses, gubernatoris Ulyssiponae filius; quorum ingressus cum parentes perturbasset, qui eo in regno erant clarissimi, juvenum tamen constantia facile turbas omnes compressit. Exercebantur autem novitii peregrinationibus et humilitatis exercitiis post spirituales meditationes consuetas, et sic in Domino probati id temporis proficiebant. Inter eos, qui tunc admissi sunt, fuit et Melchior Carnero, et Melchior Nuñez et Ludovicus de Grana, qui in Societate magnum Deo obsequium praestiterunt. Inter alios P. Pontius, quamvis studiis daret operam, cum Sacerdos esset, strenue se in confessionibus et pietatis operibus exercens, non paucas peccatrices mulieres ad poenitentiam adducere, et alios dissidentes reconciliare curavit. Huic autem foeminarum errantium reductioni ut monasteria quaedam pararentur, et in eisdem exciperentur, multum operae posuit P. Simon, et instructionem, ut in spiritu proficerent, eisdem praescripsit. Ad ministeria domestica,

---

1 * Ignatius Regi Portugalliae, 8 Martii; Faber Patri Alphonso Alvaro et fratri Petro Canisio, Lovanii, 28 Novembris; idem ibidem, Ignatio, 6 Decembris 43; idem ibidem, Simoni Rodericio, 8 Januarii 44.

quae scholasticos nostros plus aequo distinebant, quinque vel sex fratres Coadjutores sunt admissi.

62. Hoc eodem tempore P. Paulus et Franciscus Mansilla in Indiam, ab aegrotorum cura liberi, quorum gratia in oppido Mozambique substiterant, pervenerunt ; et P. Paulo cura Collegii Goensis, ubi pueri diversarum nationum instituebantur, tradita fuit. Et quamvis tunc non esset hoc Collegium Societati datum, nostri tamen ibi residere, ab hoc anno, in Collegio Sanctae Fidei, coeperunt. Franciscus tamen de Mansilla ad Patrem Franciscum, qui in maritima regione Comurini versabatur, se contulit; ubi annum integrum et amplius suam ei operam impendit, et magna accessio ad eos, qui Christi fidem amplexi erant, facta est. Curabat initio Xaverius ut intelligeret quam haberent illi christiani de Christo cognitionem ; sed nihil aliud respondebant quam se christianos esse ; et quia idioma lusitanorum non intelligebant, legem Dei et quid crediturі essent se ignorare fatebantur. Congregavit autem Franciscus eos, qui sapientiores caeteris videbantur, et interpretes, qui et linguam malabarem, quae illis est vernacula, et lusitanam callerent; et post multorum dierum labores, in eorum verti curavit linguam, quae ad christianum catechismum pertinebant, inchoando a modo signandi se cruce in confessione trium personarum Patris et Filii et Spiritus Sancti in unitate ejusdem essentiae; deinde Symbolum Apostolorum, Decalogum, Pater, Ave Maria, Salve Regina, et Confessionem generalem; quae cum memoriter didicisset, per totum oppidum campanulam manu pulsans discurrebat, et omnes pueros et viros, quos poterat, unum in locum congregabat. Eosque quotidie bis catechismum per mensis spatium docebat, puerisque injungebat, ut ipsi suos parentes et totam familiam et vicinos id docerent quod in schola didicissent. Dominicis autem diebus omnes oppidanos, tam viros quam foeminas, tam natu grandes quam juniores, unum in locum congregari curabat, ut ea quae didicissent suo idiomate pronuntiarent. Quod libentissime illi cum facerent, a confessione Dei trini et unius incipientes, elata voce Symbolum pronuntiabant, P. Francisco praeeunte et illis subsequentibus. Deinde solus ipse repetebat et in singulis articulis fidei haerebat, homines admonendo quod christianum esse erat hos articulos firmiter credere ; et quandoquidem fatebantur illi se christianos esse,

petebat an firmiter crederent quaecumque in singulis articulis continebantur ; et sic illi omnes utriusque sexus ad singulos articulos respondebant, brachiis ante pectus in modum crucis complicatis se credere affirmantes; et prae caeteris orationibus hanc ab eis exigebat: Symbolum videlicet Apostolorum. Secundo loco Decalogum eis explicabat, eum esse bonum christianum affirmando, qui decem illa praecepta observaret; et contra, malum christianum, qui non observaret. Et tam christiani quam gentiles summopere admirabantur quod Christi lex tam sit sancta tamque rationi naturali consona. Tertio loco docebat *Pater noster* et *Ave Maria*; ut enim ipse praeibat, illi dicentem sequebantur ; et duodecies utramque orationem pronuntiabat ad duodecim articulorum fidei honorem et observationem, et decies deinde ad decem praeceptorum Dei venerationem et custodiam ; hunc ordinem tenendo, ut singulis articulis vel praeceptis jam pronunciatis, diceret ipsorum lingua simul cum eis : "Jesu Christe, Fili Dei, ad firmiter credendum sine ulla dubitatione hunc articulum vel observandum hoc praeceptum nos adjuva „ ; et ad impetrandam eam gratiam, dicebant semel *Pater noster;* et eo absoluto, addebant simul omnes : " Sancta Maria, Jesu Christi Mater, impetra nobis gratiam a Jesu Christo, Filio tuo, ut firmiter et sine ulla dubitatione credamus hunc articulum, vel observemus hoc praeceptum „ ; et ut impetrarent eam gratiam, dicebant semel *Ave Maria*. Quod si crederent quae in Symbolo et observarent quae in Decalogo continentur, quod eis caetera Deus adjiciet et multo quam ipsi petere scirent uberius. Generalem confessionem ab omnibus dici, sed peculiariter a baptizandis, curabat simul cum Symbolo, et ita de singulis articulis interrogando an firmiter illum credant, et illis legem Christi explicando, quam observare debent, ut salvi fiant, sic demum eos baptizabat. Salve Regina ab eis pronuntiabatur in orationum fine. De pueris tamen spem concipiebat quod parentibus meliores futuri essent, cum et affectu magno Christi religionem amplecterentur, et ad orationes discendas et docendas propensiores essent; et usque adeo idololatriam abominantur, ut parentes etiam suos reprehendant, et cum aliis gentibus saepe ea de causa pugnent. Cum autem a pueris intelligebat aliquem idolorum cultum extra pagos fieri, pueris omnibus congregatis, ad ea loca, ubi idola erant, se conferebat

et multo majorem a filiis injuriam, quam honorem a parentibus diabolus referebat. Siquidem pueri idola in minutissima frustula concidebant, et exspuentes, ac pedibus conculcantes, et aliis ignominiis afficientes, redibant. In magno quodam oppido, quatuor menses in his, quae dicta sunt, exegit. A tam multis evocabatur ut super infirmos aliquas orationes diceret, ut ea in re, et pueris baptizandis et docendis, et mortuis sepeliendis sic insumeret tempus, ut vix necessitati corporali posset consulere. Sed cum nec sic posset quidem omnibus satisfacere, hoc coepit consilium, ut pueros, qui bene orationes didicerant, ad aegrotorum domos mitteret, qui, congregatis domesticis et vicinis, cum Symbolum saepe repeterent, et aegrotum ut crederet hortarentur, si sanari vellet, et deinde alias orationes, maxima illis beneficia, tam in spirituali quam in corporali sanitate, eis Dominus conferebat, et multos hac ratione, per morbos, quibus vexabantur, ad fidem trahebat. Demum uno in loco relinquendo qui coepta prosequerentur, ad alia se conferebat, ubi eadem ac modo simili gerebantur; relinquebat autem in scriptis orationes in singulis locis ut hi, qui scribere sciebant, scriberent et memoriter discerent, ac quotidie pronuntiarent; injungebat et ut die dominica omnes, ut supra dictum est, ad eas dicendas convenirent, in singulis locis aliquem eligendo, qui hujus rei curam susciperet. Multos tamen christianos non fieri affirmat propter hominum, qui eos instituant, penuriam. Et tantam ait esse eorum multitudinem, qui ad Christi fidem illa in provincia convertuntur, ut saepe illi accidat defatigata habere brachia ex actu baptismi, et non posse amplius loqui, propter toties jam repetitum Symbolum et Decalogum cum aliis orationibus et exhortationibus, quibus vernacula illis lingua, quid sibi velit esse christianum declarat, quid sit paradisus et quid infernus, qui ad illum et qui ad hunc se conferant. Sed nihil crebrius quam Symbolum et Decalogum se inculcare affirmat. Aliquem esse diem accidere, in quo pagum integrum baptizet, et ea in provincia jam triginta esse loca christianorum ait. Gubernatorem habent valde ad se juvandos propensum, qui quatuor millia ducatorum singulis annis in eorum usum expendit, quibus hos homines, recens ad fidem conversos, christianam Doctrinam edocere cura est.

63. In Collegio Goensi jam hoc anno multi pueri diverso-

rum idiomatum, et omnes ex genere infidelium, alebantur, et aliqui legere et scribere, aliqui etiam latinam linguam addiscebant, quibus P. Paulus tum in Missa quotidiana dicenda, tum in eorum audiendis confessionibus, tum in rerum spiritualium institutione, et rerum corpori necessariarum subventione, se totum impendebat; et sperabat P. Franciscus ab iis, qui in dicto Collegio instituerentur, Christi fidem multum esse propagandam.

64. Genus quoddam est inter gentiles magnae auctoritatis (*Brachmanes* vocantur) qui universum idolorum cultum sustentant et domorum, in quibus idola coluntur, curam habent. Perversum genus hominum, de quibus illud psalmi bene intelligitur, " de gente non sancta et ab homine iniquo et doloso erue me „. Verum nunquam dicunt; semper cogitant quomodo subtiliter mentiendo simplices decipiant; et idolorum nomine haec et illa offerri petunt, quae in usum suum et conjugum et domorum suarum convertant; cum tamen ea ab idolis comedenda populo significent; et, dum ipsi comedunt cum magno tubarum sonitu, idola tunc comedere mentiuntur; et mortem minantur misero populo ab iratis diis infligendam, si quae petunt non obtulerit. Parum litterati sunt hi Brachmanes, sed quod deest eruditioni, callida iniquitas supplet. Aegre admodum ferebant illius provinciae Brachmanes, quod eorum malignitatem Franciscus detegeret; et quamvis seorsum ei faterentur se deceptores esse populi, affirmabant aliud se patrimonium non habere quam idola illa, de quorum oblationibus, per mendacia extortis, vivebant. Unicum esse Deum scire se, et Eum rogaturos esse pro P. Francisco recipiebant, si ab eorum fraudibus detegendis abstineret, ac multis donis (quae tamen ille non admittebat) eum sibi placatum reddere nitebantur. Vice versa Franciscus ad salutis viam tenendam eos hortabatur: et nihilominus simplicibus eorum fraudes detegebat, ex quibus multi a daemoniis aversi, christiani fiebant; et si de medio Brachmanes tollerentur, omnes gentiles ad Christi fidem accederent. Domos in quibus idola coluntur *Pagodes* vocant; fere omnes gentiles illius provinciae illiteratos esse dicit; et unicus ex brachmanibus eo tempore baptismum accepit, qui cum ingenio polleret et bonis moribus, officium pueros docendi christianam Doctrinam suscepit.

65. Cum christianorum loca visitaret Franciscus ac per multos pagodes transiret, in eorum uno super ducentos brachmanes invenit, a quibus exceptus, cum eos interrogaret quid eis praescriberetur ab idolis ut ad beatitudinem pervenirent, seni autem cuidam respondendi cura demandata ab aliis esset, rogavit ipse Franciscum, ut prius diceret, quid christianos Deus ad id praecipiat; sed nolente Francisco prius id explicare, coactus fuit octogenarius senex suam ignorantiam respondendo detegere. Duoque sibi praecipi a suis idolis asseruit: Primum est vaccas non occidere, quas ipsi adorant; secundum eleemosynas facere brachmanis, qui pagodibus inserviunt. Tunc Franciscus surrexit, et jubendo ut illi, prout sedebant, manerent, clara voce dixit Symbolum et decem praecepta legis in vernacula eorum lingua, in singulis aliquid declarationis addendo; adjecit deinde quid paradisus esset, quid infernus, et qui ad hunc vel illum se conferrent; qua exhortatione absoluta, surgentes illi et amplectentes Franciscum, dixerunt quod christianorum Deus verus erat Deus, quandoquidem ejus praecepta tam erant rationi consentanea; cumque interrogarent an anima hominis, sicuti aliorum animalium, simul cum corpore periret, eas subjecit Deus rationes Francisco, et ad illorum captum tam accommodatas, ut clare inmortalitatem animae intelligerent; qua de re magnam animi laetitiam prae se ferebant; et ad persuadendum illis hominibus, affirmat Franciscus, non subtiliores doctorum rationes, sed alias, quae facilius percipiantur, esse adferendas. Alia deinde multa interrogarunt, quibus cum respondisset et satisfecisset, et tunc demum eos urgeret ut christiani fierent, quandoquidem veritatem agnoscebant, responderunt: quid de nobis homines dicerent si hanc mutationem viderent, et unde necessaria suppetent? De unico intellexit brachmane Franciscus quod eruditus erat et studiis in nominata quadam academia operam dederat; quem cum conveniret, secreto illi dixit quod nihil prius in illa academia fit, quam ut jurent discipuli se nunquam revelaturos ea secreta quae ibi discerent; quia tamen mihi [1] benevolus admodum factus erat, omnia secreta detexit. Unum e secretis erat, ut nunquam dicerent esse unum solum Deum creatorem coeli et

---

1 Sic; et indicium est exscripsisse haec omnia Polancum ex litteris ipsius Xaverii

terrae, et ut ipsi adorarent hunc Deum et non idola, quae daemonia sunt. Habent aliquas scripturas, quibus ipsorum praecepta continentur; utuntur lingua quadam in illa academia, quae veluti latina est apud nos; retulit mihi optima praecepta, singulis declarationem addendo. Observant dominicam diem hi qui sapientes sunt, quod vix credibile videtur, nec aliam orationem dicunt quam istam crebro repetitam " Om cirii naraiva noma „; id est: Adoro te, Deus, in gratia et auxilio tuo in aeternum [1]; et hanc orationem submissa voce repetunt ut servent juramentum; addidit quod prohibebat illa lex naturae plures habere conjuges; et quod in ipsorum scripturis hoc habent, quod omnes aliquando sub eadem lege victuri essent. Addidit doceri in illis studiis incantationes multas, et a Francisco petivit ut praecipua eum legis christianorum doceret, promittebatque se nulli ea detecturum. Contra respondit ei Franciscus, nihil se dicturum, nisi promitteret quod publicaturus esset, quae praecipua essent legis christianorum. Promisit ille; tunc Franciscus serio declaravit quid illa verba sibi vellent, " qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui non crediderit, condemnabitur „; et addidit declarationem vernacula lingua, symbolumque cum praeceptis Decalogi declaravit. Retulit ille quadam se nocte cum magno gaudio somniasse quod christianus et socius Francisci esset futurus; rogavitque ut se christianum faceret, occultum tamen, et alias conditiones exigebat, quas ut parum honestas Franciscus non admisit; sperabat tamen sine illis hominis veram conversionem. Admirandam consolationem affirmabat Franciscus a Deo eos accipere, qui conversioni infidelium dabant operant; et eas animas, quae, post acceptum ab ipso baptismum, cum stola candida innocentiae decesserant, supra mille fuisse asserebat [2].

---

1 En notas, quas hic ad epistolam Xaverii, ex qua haec verba desumpta sunt apponunt Menchaca et Pagés: MENCHACA, t. I, pag. 97: " Ed. Lov. *Oni ciri Marania*. Lucena et Garzia: *On cerii Narayva Noma*, hoc est, *adoro te cum tua gratia et auxilio in aeternum* „. — PAGÉS: " D'après Lucena et Garzia: Om çrî narâyana nama. — Salut au Seigneur Narâyana. — Narâyana, qui repose sur les eaux, est un des noms de Vichnou „. Tamen quod scripsit Garcia in editione Matritensi, s. a. (1685), in pag. 62, est hujusmodi: *Oncerii Narayva Noma*; quod magis accedit ad id quod habent Polanco et Menchaca.

2 Xaverius Ignatio, 20 Septembris 42; idem Societati Romam, Cocini, 12 Januarii 44. Ex his ad litteram fere desumpta sunt quae in his numeris a 62 ad 65 continentur.

66. Hoc ergo anno 1543 ad hunc modum se gessit Societas; illud tamen est addendum, quod cum Mutinae occulti quidam sectarii, ut dictum est, peste suarum haeresum, quosdam inficere aussi essent, quorum errores Salmeron egregie confutare ex suggestu ibidem esset conatus; Ignatius occasionem oblatam non esse omittendam ratus, sic negotium apud Pontificem urgeri curavit, ut sanctum illud, et toti Italiae salutare, Inquisitionis contra haereticam pravitatem officium inde emerserit; quod, a Paulo III tunc institutum, et gravissimis Cardinalibus commendatum, in dies majoris esse momenti, ad purgandam ab erroribus et in sincera Religione continendam Italiam, apparuit.

67. Cum etiam Parmae gravis tempestas contra eos Sacerdotes esset exorta, qui, Patrum Laynez et Fabri doctrina instituti, per Sacramentorum frequentiam et pias meditationes multos de populo in spirituali aedificatione promovebant, et infamia, qua perstringebantur, in magistrorum atque adeo Societatis dedecus, et divini honoris imminutionem redundaret, effectum est opera Ignatii, ut per publicam sententiam Romae latam, de eorum innocentia et adversariorum calumnia constaret [1].

ANNUS 1544

68. Jam autem ineunte anno 1544, aliud pium opus, Ignatii charitate, Romae est inchoatum, quod Sanctae Marthae dicitur. Cujus est institutum, errantes mulierculas, quae a turpi vita se vellent colligere, et tamen inter conversas excipi non possent, quia vel conjugatae essent, vel non eo praeditae spiritu, ut perpetuo vellent inclusae in monasterio manere, eas ibi excipere, et ibidem a peccatis et a prava consuetudine arcere, et in iis, quae ad salutem earum pertinent, exercere; donec vel suis maritis (pace prius composita) restituerentur, vel religioni per vota perpetua se dedicarent, aut honesto in matrimonio collocarentur. Et cum magna paupertate domus nostra laboraret, quia alii invitandi exemplo erant, qui hoc

---

1 Sententia Vice-legati Parmensis in favorem Joannis Baptistae Pezzani et sociorum *(li preti contemplanti)*, 30 Decembris 43.

opere juvando primi esse recusabant, centum aureos nummos Ignatius, ex quibusdam lapidibus venditis collectos, primus obtulit ; et aliis tunc suas eleemosynas conferentibus, egregium et multis proficuum opus coeptum est, quod postmodum magna incrementa suscepit. Quae ad aedificationem spiritualem pertinebant, tam in Ecclesia nostra, quam extra illam, Romae pro instituti nostri ratione curabantur. Familiaque domestica, numero eorum, quos Deus vocabat, augebatur ; sed utcumque etiam domo propria aedificata, in eam Septembri mense, conductitia relicta, Ignatius cum suis migravit [1].

69. Interim P. Paschasius, qui de civibus Montis Politiani benemereri, usque ad mensem Maii hujus anni pergebat, in gratiam Cardinalis Carpensis protectoris Societatis, Regium [2] in Longobardiam, ad reformationem monasterii conventualis Sanctae Clarae, missus est. Et cum, litteris Cardinalis lectis, moniales libenter Paschasium excepissent, earum confessiones audire aggressus est, et in reliquis omnibus se obedire paratas affirmabant; sed confessores habere monachos observantes sui ordinis et admittere ullam religiosam, quae ex alio monasterio adveniret et observantiam regulae suae (nam ipsae propriam habebant) recusabant. Cum ergo ob inobedientiam Communione Sanctae Eucharistiae in die Ascensionis eas privasset, et illae cum magno doloris sensu id tulissent, injunxit eis ut per aliquot dies specialem in choro orationem, ad Spiritus Sancti gratiam impetrandam, facerent ; ut ea quae ipsis convenirent, inspiraret ; et tantumdem facturum se recepit. Paucis ergo diebus cum id fecissent, ad obediendum in omnibus sine ulla exceptione, gratiam acceperunt ; et sic earum denuo confessiones audiendo, in die Pentecostes, cum magna consolatione

---

1 Ignatius Xaverio, 24 Julii, 43 ; et 30 Januarii 44; idem Sociis in Italia de gentibus, sine die, sed mense Junio, anno, ut dictum est in *Cartas de San Ignacio,* t. I, pag. 168, nota 1.ª, 1543; sed ut nobis nunc certum est, 1544. Vide PRAT, *Mémoires pour servir à l'histoire du Père Broet*, pag. 562, et *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro,* t. I, pag. 239, nota 1.ª

2 Regium etiam habet Orlandini, lib. IV, n. 77, et Reggio in suis ipse litteris Paschasius. Sed quia magna est in his antiquis manuscriptis confusio inter Reggio, Arezzo, Rezzo et Lezzo, tum ab auctoribus ipsis tum praesertim a librariis inducta, irrepsit, nostro quidem judicio perperam, in tomi I operis *Cartas de San Ignacio,* paginam 171, verbum *Lezo* pro *Reggio.* P. PRAT, opere supra dicto, benigne haec duo composuit, sic in pagina 74 scribens: *à Lezo, dans le voisinage de Reggio,* et ad paginae calcem: *pour Lezo, dans les environs de Reggio.*

earum, pane vitae eas refecit. Et aliqua documenta necessaria (inter quae erat in commune referre quidquid privatim vel redituum, vel pecuniarum, vel aliarum rerum haberent) eis dedit, et Evangelium, dominicis diebus, illis et monialibus Sancti Thomae explicans, in bono statu sub Ordinarii cura eas reliquit. Et cum ibidem ad mortem aegrotasset, postquam Regii quinque mensibus fuisset, ut Faventiam se conferret, ejusdem Cardinalis protectoris rogatu, Patris Ignatii obedientiam accepit, quo perveniens, in vinea Domini laborare coepit [1].

70. Eodem tempore Patavii P. Jacobus Laynez aliud etiam monasterium monialium, quod magnopere reformatione egebat, ut ad vitam communem et observantiam regulae rediret, suis exhortationibus commovit ; aliquot etiam virgines Deo se in monasteriis consecraverunt. Et aliorum etiam qui in Collegio versabantur opera, et praesertim per Exercitia quibusdam proposita et Confessionis et Eucharistiae ministerium, aliqui juvabantur. Et ad institutum nostrum sequendum aliqui etiam vocati sunt. Cum autem P. Laynez Brixiam auctoritate obedientiae se conferret, et Venetiis et Patavii amicis valedixisset, in ipso navigio [2], terrestri itinere et diversoriis non sine fructu eos, cum quibus versabatur, dimisit. Inter alios quidam, qui ad alium occidendum properabat, compunctus juravit se non id facturum et in vicino quodam oppido peccata confessurum est pollicitus; demum in oppido quodam bis concionatus, non sine fructu, 18 Februarii Brixiam pervenit. Et quamvis in exhortationibus per monasteria et hospitalia faciendis et Doctrina christiana edocenda versari maluisset et a Vicario id petiisset, in cathedrali tamen ecclesia dominica quinquagesimae concionandum illi fuit, et ibidem per totam quadragesimam quotidie in eodem officio perseveravit. Et cum in dies auditorum concursus major fieret, non minus ipse fructus per Dei gratiam crescebat. Dabatque Dominus vires ut etiam diebus sabbati, conversis a peccato mulieribus, et duobus aliis in hebdomada diebus a prandio, in hospitalibus, frequenti auditorio verbum

---

1 Paschasius Broet Ignatio, Faventiae, 1 Novembris 1544.

2 In via, qua Patavio Brixiam tabelliones tunc temporis ibant, quamque, ut valde probabile est et ex ipsius litteris licet conjicere, tenuit Laynius, praeter rivulos complures, duo sat magna, hiberno praesertim tempore, flumina fuerunt ipsi trajicienda, Adige prope Veronam, et Mincium prope Piscariam.

Dei praedicaret. Et confessiones interim multorum ex primariis et plebeiis hominibus, qui ad ipsum accedebant, audire non recusabat. Post Pascha dominicis et festis diebus in cathedrali concionabatur; voluit autem Vicarius ut ter in hebdomada aliquid ex Sacris Scripturis populo perlegeret; reliquis diebus in tribus monialium monasteriis concionabatur. Huic assiduo labori fructus non poenitendus respondit; nam, ut Vicarius et alii fide digni testabantur, populus, qui aliquo modo in fide dubius erat, est in veritate catholica usque adeo confirmatus, ut supra mille dicerent esse ex auditoribus, ad martyrium pro Christi fide subeundum, paratos. Quamplures autem homines ad ipsum P. Laynez venerunt, et eo auctore haereticorum libros combusserunt; alii autem de rebus ad fidem pertinentibus cum eo conferentes saniores in Domino redierunt. Inter reliquos nobilis quidam cum tribus aliis Laynium adiit, qui promiserat se expresse demonstraturum Purgatorium non esse; hujus tamen cor Dominus sic tetigit, ut in aliorum praesentia se cedere catholicae veritati profiteretur, et ita in pace et charitate et magna cum consolatione recessit. In his autem, quae ad mores pertinent, multi profecerunt, ut parochus et alii confessarii cathedralis ecclesiae affirmabant; restitutiones et eleemosynae piis locis factae; in hospitalibus ibidem et monasteriis magna immutatio deprehensa fuit, et auctus proficiendi ardor, prout locorum illorum gubernatores testabantur. Multae et post Pascha generales confessiones ab eo auditae, et subinde aliae atque aliae hujusmodi cum miro animarum fructu excipiebantur. Nonnulli etiam, variis conscientiae scrupulis anxii, quieti recesserunt; qui prius dissidebant, nonnulli reconciliati invicem sunt. Oportuit ut et aliquos aegrotantes inviseret, et ad bene moriendum cum eorum et adstantium aedificatione juvaret. Spiritualia Exercitia duobus sacerdotibus et tribus aliis scholasticis cum eorum profectu non vulgari data; et juvenis quidam Societati nostrae se addixit. Vir quidam religiosus et prae caeteris suae congregationis eruditus, qui varios Lutheri errores imbiberat, postquam cum Laynez contulit, ab eis omnino recessit. Vir etiam alius ecclesiasticus, non exiguae auctoritatis, fatebatur eidem Laynio, auditis ipsius concionibus ac lectionibus, similes opiniones abjecisse. Hoc ipsum et aliis saecularibus per Dei gratiam accidit. Aliqui, qui decem et quin-

decim annos confessi non fuerant, a gravibus peccatis recesserunt; multi etiam tepidi incalescere in Dei obsequio, et frequenter ad Sacramenta accedere coeperunt. Assiduus erat auditor tam Vicarius, quam alii de clero permulti; et decem ex illis vel duodecim spiritualibus Exercitiis exculti, magnumque progressum in spiritu facientes, cum Vicarii obedientia, se ad confessiones gratis audiendas, et proximos aliis etiam modis juvandos, exposuerunt; quibus illud etiam suasit Laynez, ut singulis hebdomadis convenirent, ut orarent simul, et de profectu proprio et proximorum agerent; ad quae omnia suum consensum et approbationem Vicarius adjecit. In monasteriis documenta quaedam, quae verbo proponebat, cum ad praxim moniales scripto comprehensa sibi tradi cuperent, relicta sunt.

71. Obedientia P. Ignatii, quamvis Vicarius eum retinere niteretur, Patavium rediit; retentus in itinere a quodam archipraesbytero, ut populo cuidam numeroso concionaretur, non sine fructu id praestitit, et colloquis familiaribus pastorem ipsum cum alio sacerdote diligentius instruxit. Cum etiam Veronae religiosas quasdam personas inviseret, duasque inter illas repererit quae, quadam in congregatione, bonum proficiendi modum didicerant, in iis quae ad spiritum pertinent, eas admonuit; et viae securioris capaces illae factae, receperunt se in sua congregatione emendationem curaturas. Aliis etiam operibus pietatis ibi, et Vincentiae aliquid, et in ipso transitu conferens, Patavium et Venetias pervenit, ubi non paucos qui confiteri ipsi solebant, vel cum eo familiariter in rebus spiritualibus agere, in bonis propositis perseverare invenit. Conversis etiam concionatus est; et dissensiones quasdam inter gubernatores praecipui cujusdam hospitalis, et ipsis et pauperibus noxias, cum simul et singillatim eos esset allocutus, sustulit. Patavii demum haerens, et perseverare tam domesticos quam externos in via Domini videns, aliis etiam juvandis operam dedit. Monialem quamdam, quae post viginti annos a monasterio recesserat, quamvis initio satis resistentem, ut rediret ad institutum suum prosequendum induxit. Duos in concubinatu viventes, per matrimonium ut a peccato recederent, curavit; per Exercitia spiritualia nonnulli adjuti sunt[1].

---

1 Laynius Ignatio, Brixiae, 13 Maii; et Patavii, 19 Septembris 44.

72. Interim P. Claudius cum sub natalitia festa Dilingam, ab Augustano episcopo vocatus, venisset, Franciscum Sfondratum, Nuncium Apostolicum (qui postea Cardinalis fuit) Confessionis et Communionis sacramento refecit; qui significavit eidem Claudio fieri posse, ut auctoritate Pontificis eidem Augustano episcopo (qui brevi etiam Cardinalis factus est) adjungeretur. Claudius vero, obedientiae omnia committens, Ingolstadium rediit, et ter in hebdomada canonicam Joannis epistolam interpretari, frequenti cum auditorio, perrexit; cum vero a vice-decano Universitatis ac theologiae lectore ordinario, nomine Universitatis invitaretur, ut ordinariam admitteret lectionem, habitationem in Collegio et stipendium, et promotionem ad doctoratum gratis offerentibus, gratias egit Claudius, et vocationis nostrae rationem declarans, operam et laborem suum, quamdiu Ingolstadii versaretur, sine ullo praemio, obtulit. Cum autem illi a Pontificis voluntate hoc negotium pendere animadverterent, Universitatem curaturam dixerunt, ut a Sede Apostolica quod petebant, obtineretur. Sed brevi post tempore obedientiam ex Urbe accepit ut ad Augustanum Episcopum se conferret; et biduum Ingolstadii non amplius commoratus est, ut Universitati et amicis valediceret; eoque tempore mercatorum quorumdam italorum confessiones, et scholasticorum, partim italorum, partim gallorum et germanorum, audivit. Inter caeteros Rector etiam fuit Universitatis, vir prudentiae et doctrinae non vulgaris, cui primae hebdomadae Exercitia dederat; tantum autem ille in eis profecerat, ut se alium jam sibi videri fateretur; sequi autem Claudium et Dilingae cum eo versari, et plene in spiritualibus Exercitiis institui, cupiebat. Sed quia lector erat publicus et Rector, et nobilium quorumdam curam susceperat, ne Claudium comitaretur est prohibitus. Singulari affectu et ipse et Universitas Claudium diligebat, sed cum multa discedenti offerrent, nihil ipse accepit. Inde autem ad Eistetensem Episcopum vicinum salutandum cum se conferret, multis ille rogabat, ut penes se aliquandiu, ad spiritualia Exercitia sibi communicanda, maneret; cumque obedientiam ostenderet Claudius, nihilominus Eistetensis posse differri propter Episcopi Augustani, qui Spirae in Diaeta versabatur, absentiam, contendebat; et id saltem impetravit, ut per octo dies, ad Augustanum proprio nuncio misso, ut ejus

consensus impetraretur, apud se maneret. Acquievit Claudius et a die Jovis hebdomadae sanctae usque ad 26 Junii, consentiente Augustano, in Eistetensi civitate commoratus est; quo tempore Episcopus, partim Exercitiis spiritualibus primae hebdomadae (quibus ille fructum et consolationem spiritualem se accepisse quam maximam fatebatur), partim in colloquis familiaribus, adjutus est; et cum, Diaeta absoluta, Dilingam pedes se conferre vellet, nullo id modo Episcopus est passus; et cum recusasset ab eo pecuniam accipere, equum saltem ad iter et socios quos illi adjunxit, canonicum quemdam et alium doctorem, propter pericula viae recusare non potuit. Sed medio in itinere nuncium reverendissimi Augustani, qui equum et alia ad eum ferebat, ut Dilingam veniret, invenit; et ita ad Augustanum se conferens, magnam Dilingae, rei spiritualis promovendae, tam apud Episcopum quam apud clerum, spem concepit; et in primis Episcopus per Exercitia spiritualia juvari se velle dixit. Cum autem ibi esset, missi fuerunt a Patre Fabro Colonia P. Jacobus, baccalaureus in Theologia, et magister Daniel, ut Romam se conferrent, quos viatico instructos Episcopus dimisit. Affirmabat autem Claudius, recessum Patris Fabri ex Germania non sine magno incommodo et molestia optimi cujusque futurum. Nec solum in inferiori Germania, ubi versabatur, sed etiam in superiori ejus bonus odor, ad bene sperandum de Germaniae reductione, multos animabat. Praesertim cum tam multi juvenes egregiae indolis, spretis mundi deliciis, eo auctore, institutum Societatis sequerentur; arbitrio tamen superiorum et divinae Providentiae suum judicium subjecit. Sed cum archiepiscopus Salisburgensis, Ducis Bavariae frater, provinciale Concilium cogeret de rebus, quae ad Religionem in Germania pertinebant, litteris suis Claudium, ut ad se accederet, rogavit. Visum est autem episcopo Augustano id minime denegandum esse; itaque 15 Septembris Dilinga Salisburgum profectus est. Cupiebat Archiepiscopus ut Synodo inter theologos interesset; erat enim constituendum, quid Imperatori respondere oporteret in futura Wormatiensi Diaeta ad id, quod, de ineunda concordia cum sectariis, in Spirensi jam absoluta Diaeta proposuerat. Negabat tamen Claudius sibi rationi consonum videri, cum a Summo Pontifice in Germaniam missus esset, ut sine ipsius praecepto, vel suorum supe-

riorum, Synodum cum suffragio, in negotiis fidei, quae a Sede Apostolica sunt decidenda, ingrederetur. Admisit excusationem Archiepiscopus, sed ut et ibidem maneret, et si consuleretur de re aliqua, ut sententiam suam privatim diceret, a Claudio obtinuit; et articuli in Synodo proponendi ei ostendebantur, et Episcopis, qui extra congregationem aliquid cum eo conferebant, quidquid in Domino sentiret, explicabat. Scripsit interim de duobus capitibus fusius; alterum quod sine Sedis Apostolicae consensu, non debebant praelati consensum praebere, ut in saeculari Diaeta de rebus ad fidem spectantibus quidquam disputaretur aut constitueretur. Alterum erat, quod licet protestantes in omnibus dogmatibus reliquis convenirent, nollent tamen obedientiae Summi Pontificis subjacere, nihilominus schismatici et haeretici extra ecclesiam manebant; cum autem Archiepiscopus aliquid ab ipso scriptum esse intellexisset (quamvis ipse non in aliorum usum sed suum, ut consilium exactius petentibus daret, scripserat) illud habere voluit et apud se triduo retinuit, et ejus exemplum describi jussit; responditque benigne Claudio, nec se nec suos coepiscopos eo esse animo ut de rebus ad fidem pertinentibus, sine Summi Pontificis facultate, in Diaetis quidquam tractarent, et haec fuit totius Synodi sententia, et eadem Augustani et Eistetensis episcopi; qua absoluta, Archiepiscopum erga Sedem Apostolicam optime dispositum et obfirmatum animo nulla in re cedendi protestantibus reliquit. Et quidem Augustanus Episcopus decies se episcopatum et patrimonium potius amissurum, quam ullo in articulo cum Lutheranis sentiret, omnino statuerat; imo eorum technis toto se conatu objiciebat. Aegre autem divulsus Claudius ab Archiepiscopo, nec admittens pecuniae donum, quod pro more principum large oblatum ei erat, Dilingam rediit; unde tamen pluribus Augustani Episcopi litteris Wormatiam (quo ille se ad Diaetam contulerat) evocatus est, ubi messem non exiguam invenit; crebro tamen ab Episcopo urgebatur, ut Romam de Concilio generali cogendo scriberet, nisi deserere Germaniam a Religione videre vellet. Quamvis Salisburgensis et alii Episcopi meliora sperarent, nationale tamen Concilium, ubi etiam laici suffragium habent, nullo modo admittendum censebat; pergebat autem Claudius Praelatos ad perseverantiam, quae sola coronatur, in fidei defensione exhortari; et ad

Collegia instituenda, quae pro seminario essent ad pastores et alios operarios ad Germaniae usum instituendos hortabatur [1].

73. Erat id temporis occupatus P. Bobadilla in negotiis spiritualibus Passaviensis dioecesis; ejus enim et labore et industria Episcopus plurimum utebatur, unde multa pietatis opera ibidem constituta fuerunt. Cum autem Ferdinandus, Romanorum Rex, de visitandis Austriae monasteriis ageret, scripsit eidem ut sine Praelatorum auctoritate (ut coram egerant) nihil hujusmodi tentaret : profectus autem est Episcopus Passaviensis Spiram, quo cum vellet Bobadillam ducere, ut in fidei negotiis tractandis consilio suo Praelatos juvaret, non tamen acquievit sine Pontificis aut ministrorum ejus jussu, ut ad Diaetam se conferret. Sed perrexit de Passaviensi dioecesi, quae late admodum patet, benemereri; et cum sacerdotes complures, ab Episcopo Passaviensi in carcerem conjectos, quod uxores duxissent et in alias haereses incidissent, saepe allocutus fuisset, eo adducti sunt, ut publice in ipsius praesentia haereses omnes abjurarent, et peccati sui poenitentiam postularent, ad quam exsequendam quoddam monasterium illis fuit deputatum. Coactus fuit tandem auctoritate cardinalis Farnesii [2] ad Spirensem Diaetam ire; et tam in colloquiis privatis multorum, quam in confessionibus, in parata sibi messe cum multorum profectu se exercuit; et tam Rex Ferdinandus quam alii multi de ejus curia pergratum sibi fuisse ejus adventum significarunt. De curia etiam Imperatoris non pauci ipsius opera utebantur; cum autem Rex inter suos doctores eum ad proximam Diaetam Wormatiensem nominasset, non admisit id munus. Negabat enim sine auctoritate Sedis Apostolicae id sibi licere. Cum autem Paschae festum accederet, die noctuque in confessionibus nobilium utriusque curiae Imperatoris et Regis fuit occupatus. Legatorum etiam venetorum, ducis Florentiae, et aliorum etiam nobilium neapolitanorum confessiones audivit; et spiritualia Exercitia quibusdam primariis viris dare constituit, et jam tunc inchoavit; absoluta vero Diaeta, quamvis alii atque alii ex principibus eum secum adducere vellent, Episcopus Passaviensis ut secum rediret ad suam dioecesim, urgebat, quod

---

1 Jaius Ignatio, Dilingae, 14 Novembris 44.

2 Qui apud Imperatorem id temporis Legatus Apostolicus erat. *(Nota in ora paginae addita.)*

fecisse videtur; et inde Viennam, quo se Romanorum Rex contulerat, sub autumnum rediit; et praeterquam quod concionibus dabat operam, varias reformationes [1] Praelatorum et doctorum vidit, de quibus regia majestas cum eo conferebat, et suam sententiam, ut in Domino videbatur, dicebat; et quia apud Regem multis favebat, pergratus Hispanicae praesertim nationi fuit; inde autem cum curia Regis, sic jubente Nuncio Apostolico, ad Wormatiensem Diaetam se contulit [2].

74. Redierat Coloniam Petrus Faber, auctoritate Sedis Apostolicae, a Nuncio Poggio a navigatione in Portugalliam impeditus; prius tamen quam Lovanio recederet, quam seminaverat suis concionibus P. Strada, et ipse colloquiis foverat, messem ex parte collegit. Cum enim Lovanii rumor percrebuisset de ipsorum in Lusitaniam profectione, scholastici nonnulli desiderio eos sequendi inflammabantur, et inter alios baccalaureus Theologiae, Petrus Faber, qui per adventum concionatus et ipse fuerat, et octo alii scholastici, relictis omnibus, Societatem ingredi et in Portugalliam cum ipsis proficisci decreverunt. Qui ipso die Epiphaniae, cum Patri Fabro quae in Domino conceperant desideria manifestassent, admissi fuerunt. Quinque ex eis artium liberalium magistri erant, sextus Theologiae baccalaureus, septimus publicam Ethicorum lectionem praelegebat, ecclesiae praecipuae canonicus, alius etiam annum Theologiae, alius legibus operam dederat, omnes autem in latinis litteris egregie exercitati : et visenda fuit animorum consolatio, quam eorum unusquisque in sua vocatione experiri se fatebatur; qui omnes, prius quam itineri se darent, anteactae vitae noxas confessi sunt, et sacram Communionem acceperunt, et animarum suarum intima P. Fabro aperuerunt; nec enim temporis angustiae ut Exercitia spiritualia eis proponerentur permittebant. Parentes duorum ex his scholasticis cum impedire filiorum vocationem niterentur, et quidem unus eorum comminando carcerem et hujusmodi, uterque tamen, rebus melius perspectis, contentus admodum recessit; et quidem qui minabatur, genibus flexis et cum lacrymis veniam a Francisco Strada petiit, quod filium a tam sancto proposito

---

1 Scilicet schemata ab Episcopis et doctoribus confecta, in quibus quid ad commune Ecclesiae bonum in Germania magis faceret statuebatur.

2 Bobadilla Ignatio, Passaviae, 10 Martii 44.

avertere voluisset. Alium ex his scholasticis avertere quidam magnae auctoritatis viri ex ipsa Universitate tentarunt, sed cum eum constantem invenissent, et ipsi vocationi Dei acquieverunt. Omnes ergo Lovanio profecti, Antuerpiam venerunt et deinde ad Zelandiam, duodecim numero, scilicet, Strada, Oviedo, cum P. Joanne et novem Lovanii adquisitis; et cum Archiepiscopo Compostellano, qui magnam eis humanitatem exhibuit, in Portugalliam navigarunt. Ipse autem Faber cum Aemiliano de Loyola et quodam Theologiae baccalaureo (ejus nomen Lambertus Castrius, Leodiensis) qui Societatem cum aliis ingressus erat, Coloniam profectus est; et apud Sanctum Trundonem ter latine concionatus monachis, canonicis et aliis sacerdotibus, mirifice commotos hominum animos reliquit. Leodii etiam, ubi bis concionem habuit, majorem quam explicari posset messem invenit. Complures autem se Coloniam ad Exercitia spiritualia suscipienda, tam Lovanii, quam Leodii se venturos promiserunt. Trajecti etiam et Aquisgrani ostium aperiebatur non exiguum; sed Coloniam properans, ibi non haesit. Haerebat quidem anceps animi P. Faber, quod post obedientiam ab Ignatio acceptam de profectione in Portugalliam, et a Summo Pontifice revocatam, addito praecepto remanendi in Germania, nihil litterarum ab ipso Ignatio acceperat. Aemilianus autem multis pietatis operibus cum aedificatione Coloniae vacabat; ad Collegia disputaturus accedebat, quo in munere par ei inter scholasticos non inveniebatur; magister Lambertus Theologiae adhuc dabat operam simul cum magistro Petro Canisio, qui agebat de domo coemenda ad initium aliquod Collegii, Priore Carthusiae studiose admodum favente. Nihil autem magis erat in votis P. Fabro quam ut in Germania firmam aliquam fundationem Societatis videret; et quamvis hos praedictos juvenes non dubitaret [alibi][1] magis posse in studiis et in spiritu proficere, fatetur se non posse resistere interiori Dei motioni de eis in Germania relinquendis, per quos fructus uberior in ea regione sperari posset; quamvis rationem contrariam videret, cum sic constitutae res essent in Germania, ut nemini nisi ex obedientia ibi manendum videretur; sed praevalet consideratio

---

1 Verbum hoc inserimus, quia et sensus id exigit et Fabri epistola, ex qua haec omnia desumpta sunt; quam habes in *Cartas y otros escritos del B. Fabro,* t. I, pagina 263 et sequentibus.

divina, quae innititur spei in Deo constitutae, juxta quam voluisset mediam partem Societatis ibi versari, qui orationibus, lacrymis et clamoribus pro gente illa misericordiam a Deo impetrarent. Cum septem essent Coloniae, Carthusiensium et duarum nobilium foeminarum charitas eos sustentabat. Diebus dominicis et festis concionari pergebat, semper habens Leodiensem [1] episcopum auditorem. Confluebant autem ad eum ut conciones audirent magna ex parte scholastici et clerici, canonici et aliqui doctores Jurisprudentiae et licentiati Theologiae, aliqui ex consulibus civitatis, et alii viri primarii, qui latine sciebant; nec uno in loco sed in variis concionabatur, et interdum etiam in monasteriis monialium ubi multae latine sciebant. Confessionibus etiam multis scholasticorum dabat operam, et P. Alvarus ei auxilio erat. Caeperunt et scholastici non pauci ad Confessionem et Communionem crebro accedere, magna cum admiratione exspectantium; refriguerant autem elapsis temporibus saeculares quaedam et primariae personae, quae crebro communicabant, cum id approbari non viderent; sed hoc exemplo incalescere coeperunt. Aliqui scholastici, in fide omnino corrupti, ad suorum errorum cognitionem et detestationem sunt adducti; et quidam ex consulibus civitatis, ipso die Paschae, de manu Fabri sanctissimam Eucharistiam cum parte suae familiae suscipere voluit, parocho laeto animo id approbante. Quidam juvenis, divitis cujusdam viduae filius, spiritualibus Exercitiis confectis, Societati se addixit; alii etiam mirum in modum per hujusmodi Exercitia adjuti fuerunt. Per interpretem etiam cum nobilibus quibusdam foeminis et benemeritis egit de his, quae ad ipsarum spiritualem consolationem pertinebant, immo et concionabatur per interpretem illis et aliis saecularibus, qui latinam linguam non callebant. Per litteras Lovanium, Leodium, et alia loca missas, conservare fructum spiritualem ibi et in bonis propositis homines confirmare studebat [2].

---

1 Ita in mss.; sed mendum esse pro *Lundensem* opinamur. (Vide *Cartas y otros escritos del B. P. Fabro,* t. I, passim, praesertim litteras infra memorandas.)

2 Faber Ignatio, Coloniae, 24 Januarii, et sub finem Maii 44; Domino Waltero, Canonico Lovaniensi, eodem die et anno; Patri Cornelio Vischaven, eodem die et 31.ª Januari; Apostolico Nuncio, Joanni Poggio, 12.ª Aprilis; et Xaverio, 10.ª Maii ejusdem anni 44.

75. Rediens autem Canisius ex patria, tres secum adduxit juvenes, qui se Deo dedicare volebant, et duo ipsorum Carthusiam sunt ingressi. Sed praecipuus, qui Coloniae colligebatur fructus, hic erat, quod divina Providentia Fabri utebatur ministerio ad Universitatem et clerum Coloniensem in officio continendum et contra haereses animandum. Litterae etiam ad curiam Majestatis Caesareae tantum momenti habuerunt, ut esset qui sentiret perituram fuisse civitatem ni hoc modo in religione conservata fuisset ; unde licet in maximo vitae periculo ille versaretur, id tamen aequissimo animo ferebat. Inde misit licenciatum Jacobum Lhoost Romam versus, de quo supra. Jam tunc ab Urbe novam obedientiam acceperat, ut in Portugalliam proficisceretur; reliquit autem Canisium cum reliquis Coloniae, sperans eorum opera Dei posse servitium ibi promoveri. Absoluta vero Diaeta Wormatiensi [1], profectionem in Portugalliam instituit, nec omittam quod iis omnibus, quibus cordi sit Germaniae salus, commendat ut pro advocatis tres Reges Magos, undecim millia Virginum, et Societatem Sti. Gerionis accipiant [2].

76. Parisiis hoc anno 1544 nostri studiis suis et operibus pietatis vacabant. Augustinus quidam praedicator insignis et baccalaureus Theologiae Sorbonicus, cum aliqua de Societate intellexisset, magno spiritualis profectus desiderio accensus ad Collegium, ubi nostri versabantur, bis se contulit, et magna cum humilitate spiritualibus Exercitiis se ut juvarent postulabat. Quidam etiam alius nobilis, savaudus et canonicus ac ecclesiasticis aliis reditibus satis commode vivens, in Exercitiis spiritualibus Societati se addixit; et alii plurimi ad Confessionis et Communionis sacramenta crebro accedunt. Sed Octobri mense cum scholastici per edictum regium rursus ex Universitate Parisiensi egredi compellerentur, nostris etiam fuit inde recedendum [3]. Lugduno tamen duo redierunt Parisios, cum bellum cessasset, scilicet ut Dei opus ibi coeptum prosequeren-

---

1 Spirensi dicas ; nam Wormatiensis inchoata medio fere autumno. Faber autem discessit mense Julio, ut ex ejus Ephemeride. *(Nota in margine apposita.)*

2 Vide notam secundam praecedentis numeri 74.

3 Non per edictum sed voluntarie excesserunt ob bellorum tumultum, ut ex vita Caroli V. *(Nota in margine apposita.)* Ex vita scilicet, ut in aliis locis videre est, quam scripsit Alphonsus de Ulloa, et italice primum edidit Venetiis, anno 1559.

tur. At P. Paulus de Achillis Mediolanum usque P. Mionam, olim Patri nostri Ignatii confessarium, deduxit, non sine labore et penuria magna, ubi presbyteri Sancti Barnabae, magna cum charitate senem aegrotantem hospitio exceperunt, et sanitati restituendum curarunt.

77. Pervenerat in Hispaniam sub initium 1544 Antonius Araoz et magna cum hilaritate Barcinonae cum sociis fuit exceptus ; et quamvis in Portugalliam properaret, fuit tanta aquarum inundatio ea hieme, ut vix per vias publicas incedi posset ; unde accidit ut aliquot dies Barcinonae consistere coactus fuerit ; quibus tamen messem adeo copiosam, Deo cooperante, collegit, ut adscriberetur providentiae Dei illa quantulacumque mora. Pax inter aliquos conciliata fuit, et aliqua, quae ad publicum bonum pertinebant, cum Pro-rex et ejus consiliarii libenter Araoz audirent, fuerunt constituta ; et in iis, qui coeperant rebus spiritualibus vacare, sitis quaedam proficiendi cernebatur, nedum perseverandi. Unus, peractis Exercitiis, Societati se addixit, qui et admissus est ; quamvis non solus id expeteret. Narratur de quodam infantulo quatuor annorum, amici cujusdam, nomine Bochet, filio, quod ea facilitate latinam linguam et majori quam vernaculam loquebatur, et Evangelia, quae Christi vitam continent, memoriter retinebat, et de Societate nostra tam multa loquebatur, ut pro miraculo haberetur. Congregatio quaedam octavo quoque die communicantium instituta est ; et cum eo tempore ante quadragesimam, larvarum pro more nimia esset multitudo, impetratum est a Pro-rege, Aguilaris Marchione, ut removerentur. Successerat is Marchioni de Lombay, qui anno proxime praeterito, cum aliquandiu eo munere functus esset, mortuo patre, Duce Gandiae, ad suum ducatum se contulerat [1].

78. Barcinona Valentiam perrexit Araoz, ubi amanter a magistri Hieronymi Domenech patre exceptus, et a Ducissa Calabriae rogatus ut Duci ac sibi concionaretur, id primo die quadragesimae fecit. Sequenti autem dominica, cum in cathedrali ecclesia concionaretur, tanta hominum multitudo confluxit, ut jam in templo ingressus non pateret. A prandio vero ejusdem diei in monasterio, quod Matris Dei ac peccatorum

---

1 Araoz Ignatio, Barcinone, 3 Februarii 44.

dicitur, tam frequenti cum auditorio rursus est concionatus (cum aliqui impransi adhuc essent, alii vero in ecclesia ne locus ipsis deesset) ut clamarent alta voce, qui templum ingredi non poterant, ut suggestum ad plateam adducerent; morem illis gerere oportuit, et vix Comitissa de Palamos locum invenit; nubes autem pro tecto fuerunt, cum alioqui platea soli esset obnoxia; et cum quinque horas in utraque concione matutina et vespertina consumpsisset, magna populi attentio satis ostendebat, quod non eis prolixus videretur. Copiosa admodum messis Valentiae inventa est. Postridie cum non admisisset concionandi munus, sed privatim cum monialibus collocuturus accederet, et tamen auditoribus templum impleretur, verbi Dei cibum illis proponere fuit coactus. Gandiam inde se contulit patre magistri Hieronymi comite, qui generalem totius vitae confessionem multis cum lacrymis ibi fecit; allocutus est Ducem Franciscum de Borgia, a quo tam difficile avelli potuit, quam avide et amanter fuerit exceptus. Obtulit operam suam ad Collegium juvandum, quod Valentiae magister Hieronymus Domenech (Ignatio consentiente) inchoare constituerat. Significavit etiam idem Dux se aliquem de Societate a Summo Pontifice petere velle ut filios Agarenorum, quorum numerus in ejus ditione magnus erat, in christiana fide institueret et ad religionem melius colendam accenderet; quamvis postea Collegium potius quam operarium unum in oppido suo voluit instituti. Inde autem Araoz in Portugalliam, quo mittebatur ab obedientia, perrexit [1].

79. Cum autem collegium Valentinum inchoandum omnino P. Ignatio videretur, P. Jacobus Miron, qui primus Conimbricensis Collegii Rector fuerat, relicto successore Martino de Sancta Cruce, cum tribus sociis ad novam coloniam missus est, et magna cum laetitia a Petro Domenech, patre magistri Hieronymi, exceptus, et a primoribus urbis officiosis congratulationibus est salutatus; et studia sua prosequi coeperunt, cum primum a divi Lucae festo a doctoribus satis eruditis et qui sophisticam jam doctrinam, secuti parisienses, reliquerant [2], le-

---

1 Araoz Hieronymo Domenech, Valentiae, 10 Martii; Jacobus Miron Ignatio, 4 Augusti 44.

2 Verba *et qui sophisticam jam doctrinam, secuti parisienses, reliquerant*, manu ipsius Polanci addita sunt; qui, Parisiensis universitatis olim alumnus, doctrinam et

ctiones coeptae fuerunt. Interim tamen, tum in confessionibus audiendis, tum in spiritualibus Exercitiis, de proximis benemereri non omittebant, quod tamen postea sabbati diebus a prandio et dominicis tantum sunt persecuti, ut studiis vacare commodius possent. Erat jam tunc Valentiae illa valde commendanda consuetudo, dominicis diebus communicandi, quam concionibus Patris Araoz promotam crediderim; unde in singulis fere parochiis viginti et triginta ad sanctissimae Eucharistiae sacramentum octavo quoque die accedebant. Et quamvis id temporis in Collegiis nostris nec lectiones praelegerentur, nec ex professo praedicationibus aut ministeriis Sacramentorum opera daretur, sed ad studia absolvenda, ut deinde possent scholastici hujusmodi officia exercere, vacarent; nihilominus de quibusdam ex proximis benemereri, sine dispendio magno studiorum, procurabant, unde aliqui insignes viri, spiritualibus Exercitiis adjuti, multum in Domino profecerunt. Eodem anno Compluti aliquis nostrorum numerus simul habitare et litteris dare operam coepit. Versabatur ibi quidem Franciscus de Villanova jam inde ab anno 1542 (ut dictum est) [1] et exemplo vitae religiosae ac privatis colloquiis optimum quemque ex ea Universitate demeruerat, et sibi ac Societati conciliaverat; ut jam aliquod Collegium ibidem inchoari non pauci expeterent. Sub initium autem renovationis studiorum adjuncti sunt Francisco de Villanova, Emmanuel Lusitanus et Maximilianus Capella, unus ex his, qui cum Francisco de Strada hoc ipso anno Lovanio venerant; et ita tres vel quatuor privatis quorumdam eleemosynis in studiis sustentati, Collegio Societatis principium dederunt [2].

---

docendi methodum aliarum a Parisiensi universitatum parvi faciebat. Ea deprompsit ex litteris Patris Jacobi Miron, qui paulo ante quam eas scriberet, Parisiis Valentiam venerat. Jam vero utrum Parisiensis universitas ab hoc, quod Miro *sophisteria* et Polancus *sophisticam* vocat, libera omnino fuerit necne, non satis liquet, si ea vera sunt quae hac de re in libris, etiam recentioribus, legimus, et nominatim in opere P. Prat, *Maldonat et l'Université de Paris*, lib. I, c. III. Hoc tamen certum est, scilicet, methodum, quam in tradenda philosophia et theologia tenebant Parisienses Doctores, probatam maxime fuisse Sancto Ignatio, ut in pluribus ejus litteris et documentis apparet.

1 Litterae P. Simonis datae Januarii 1543 testantur Villanovam adhuc esse in Lusitania. *(Nota ad marginem apposita.)*

2 Araoz Hieronymo Domenech, ut supra ad n. 78; nota 2.ª, 3.ª et 6.ª ad litteras. quas Faber dedit Xaverio, 24 Januarii 1544.

80. Pervenerant primo vere duodecim illi, qui Lovanio profecti fuerant, in Portugalliam; et Franciscus de Strada singulari cum spiritu et gratia coepit concionari diebus festis quadragesimae, et quidem bis quotidie; et cum jam non posset domus nostra auditorum numerum capere, ad palatium regium, ubi summus est scholasticorum concursus Conimbricae, debuit se transferre. Audivit eum concionantem Antonius Araoz et non satis mirari poterat dicentis spiritum et auditorum concursum et fructum. Horum accessione sexaginta jam scholastici in Collegio Conimbricensi studiis operam dabant, et tam multi se admitti petebant, ut magnus habendus esset delectus, et tantum qui provectiores erant in litteris, vel indolis praeclarae, admittebantur; et nonnulli etiam favorem principum virorum, ut admitti possent, quaerebant. Et inter alios Infans Ludovicus, Regis frater, pro aliquo, qui jam philosophiae cursum absolverat, et praefecti domus suae nepos erat, rogavit. Inter praeclara collegialium ingenia, de Roderico de Meneses illud est adnotandum, quod integram concionem cum audisset, eam, singulis auctorum locis citatis ac verbis singulis, referebat, et ipsi Patri Araoz in scriptis dedit concionem, quam ab ipso audierat [1].

81. Almeirini, ubi Regis erat curia, grato admodum animo Antonius Araoz a Rege, Regina et Principe exceptus fuit. Concionatus est Infantibus eorum rogatu, et multa Rex de Societate percontatus, singularem animi sui affectum erga illam prae se ferebat. Versabantur ea in curia octo sacerdotes Societatis, et quidem in ministeriis nostrae vocationis satis occupati. Cum autem in morbum incidisset Simon, Rex, cujus domus hortus ad domum illam pertingebat, in qua nostri habitabant, simul cum Principe et duce de Aveiro illum invisit. Impetravit autem ab eo Araozius facultatem in Castellam progrediendi, postquam Regi ac principibus cum magna ipsorum consolatione concionatus fuerat; et illius curiae reformationem atque ordinem nobilitate christiana dignum, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, Araozius vehementer est admiratus. Sed antequam ex Portugallia recederet, rogatus est in oppido quodam ut concionaretur, ubi discordiae civium magno remedio indi-

---

1 Araoz Ignatio, Almeirini, 26 Aprilis et 8 Maii 1544.

gebant; et ejus opera divina Bonitas magnum inde fructum collegit. Concionatus est etiam Ulyssiponae; et inde in Castellae regnum progressus est. Pater autem Faber, qui tardius ad illud regnum pervenerat et cum morbo aliquandiu conflictabatur, eo anno in Portugallia mansit, et Regi, cum magna ipsius satisfactione concionatus est et omnium aliorum. Quidam ex nostris scholasticis cum peregrinationem ex obedientia ad aedem Beatae Mariae de Guadalupe suscepissent, et Almeirino transirent; voluit Rex eos videre et colloqui; erat inter alios Rodericus ille, de quo superius, quem cum vidisset ejus soror, quae una erat ex nobilibus virginibus Reginae inservientibus, pannosum ac sine pallio, tanquam dedecus suum interpretata, flere et miris modis cruciari coepit; mater etiam submittebat per vias aliquos, qui et equos et pecuniam et alia necessaria, quasi nomine eleemosynae, offerrent; sed ille, quod erat suspicatus, hujusmodi eleemosynas non accipiebat. Voluit et Rex juvenem tentare (quia carus ei, inter nobiles pueros, qui Regi in aula serviebant, fuerat) ei subindicans ad bonum fore si domum suam, relicta Societate, rediret. Sed cum constantiam ejus animadverteret, ad perseverandum serio est adhortatus. Idem Rex, cum quemdam de sua familia aegre ferre videret, quod ejus filius, postquam octo annos juri canonico studuisset, Societatem esset ingressus, tam multa illi dixit, ut consolationem pater acceperit, et aequo animo filii ingressum ferre coepit [1].

82. Ex collegio Conimbricensi duo hoc ipso anno in Indiam missi sunt; unus eorum fuit Antonius Criminalis, quem cum evocasset Simon, et significasset ipsi secundo die proficiscendum esse in Indiam, obedientiam perlibenter amplexus est; et cum ejus animi propensionem Simon vellet cognoscere, ac interrogaret, an libentius in Italiam redire, quam in Indiam navigare vellet, nihil aliud ab eo extorquere potuit, quam quod animo erat parato, sive in Indiam, sive in Turcharum regiones, sive in quamcumque aliam partem ab obedientia mitteretur, dummodo Dei voluntatem faceret. Itaque cum P. Joanne de Beira Ulyssiponam navim conscensuri profecti sunt [2].

---

1 Araoz Ignatio, Almeirini, 23 Maii, et Evorae, 6 Augusti 44; Martinus de Santa Cruz Ignatio, Conimbricae, Junio mense, 44; Faber Ignatio, Conimbricae, 9 Januarii 45.

2 Solvit Ulyssipone Criminalis cum socio, Petro Lopez lusitano, die 29 Aprilis hujus anni 1544; sed tempestatibus dispersa classe, quae quinque navibus constabat, ea, qua

83. Versabatur interim magno cum fructu P. Franciscus Xavier in Indiae regionibus ; et quodam in regno (Travancor, ut opinor, vocatur) cum multos Deus ad fidem christianam suscipiendam permovisset, intra unum mensem supra decem millia hominum baptizavit. Et hunc ordinem observabat. Cum ad aliquem locum gentilium accederet, ex his qui eum arcessebant, ut viri omnes et pueri in unum locum convenirent curabat; et incipiendo a signo Crucis ter facto in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, confessionem generalem dicebat, ac deinde Symbolum, praecepta decalogi, Pater noster, Ave Maria, Salve Regina, et id alta voce et in ipsorum vernacula lingua, ut superius dictum fuit; et praeeuntem reliqui omnes sequebantur; addebat praeterea declarationem articulorum fidei et praeceptorum, dein exigebat ut omnes publice veniam a Deo peterent de peccatis anteactae vitae, et id in praesentia aliorum infidelium; qui quamvis christiani esse nollent, admirabantur Dei legem, et confundebantur quod ipsi sine notitia aut cogitatione Dei viverent, et vehementer christianorum legem probabant, etiamsi veritati cognitae non acquiescerent, et Franciscum ipsum magnopere venerabantur. Cum autem ille singulos interrogaret, tam viros quam pueros, an articulis fidei crederent, sigillatim eos proponendo, illi vero, plicatis in crucis modum brachiis super pectus, se credere responderent, tunc singulos baptizabat, et singulis nomen, quod imponebat, scriptum dabat. Deinde cum domum viri se conferrent, suas uxores et familiam ad eumdem locum mittebant, quae eodem modo, quo viri, instructae, baptismali lavacro abluebantur. Absoluto autem baptismo, jubebat domos, ubi sua idola (*pagodes* vocant) colebant, subvertere, et ipsa idola comminuere in minutissimas partes, nec explicari posse affirmabat quantum consolationis acciperet, dum a novis christianis, quae paulo ante adoraverant, idola comminui videbat. In singulis etiam locis

---

Criminalis vehebatur, Ulyssiponem rediit. Quo factum est ut bis Ulyssipone Indiam versus Criminalis solveret ; primo, hoc anno 1544, et secundo, sequenti mensis Martii die 28, una cum Patribus Lancillotto et Beira, ut habet hic Polancus infra, n. 108. (Vide omnino TELLEZ, *Chronica da Companhia de Jesu em Portugal*, l. II, c. 1., qui narrationem suam desumit ex COUTINHO, *Historia,* dec. V, l. 10, c. 6, ANDRADE, *Chronica do muito alto e muito poderoso rey destes reynos de Portugal, D. Joam III,* part. III, c. 98, et ex monumentis in Archivio Soc. Jes. Conimbricensi asservatis.)

scriptum in vernacula lingua catechismum ac orationes praedictas relinquebat, ac rationem, qua singulis diebus mane et vespere eas discerent, providebat. Et cum haec in uno loco confecisset, ad alium pergebat, majori cum consolatione, quam ut scriptis aut verbis explicari posset. In alia regione, quinquaginta leucas inde distante (Jafanapatan vocant), significare ei coeperunt incolae quod vellent christiani fieri; rogabant ut ad eos baptizandos proficisceretur; cum autem per se id praestare non posset, aliis in rebus occupatus, quae ad magnum Dei honorem pertinebant, quemdam sacerdotem vocavit, ut ad eos baptizandos iret; quod cum fecisset eosdemque baptizasset, Rex in multos eorum saevire, quod sine suo consensu Christi fidem accepissent, crudeliter coepit, et martyres ad Deum transmisit. Gubernator autem Indiae tam graviter christianorum novorum mortem tulit, ut simul atque ipsum allocutus est P. Franciscus, magnam classem ad hoc malum ulciscendum et Regem perdendum aut capiendum misit. Fratrem habebat tyrannus ille, qui verus regni haeres erat, et timore fratris exulabat a regno, in cujus possessionem si a Gubernatore Indiae induceretur, se christianum fore cum regni proceribus pollicebatur. Sic ergo suis ducibus Gubernator praescripsit, ut si haeres hic regni cum suis Christi fidem susceperit, regnum a tyranno ereptum ipsi traderent; ipsum autem tyrannum vel occiderent, vel quod P. Franciscus constitueret, facerent [1].

84. In alio regno quadraginta leucas remoto, Princeps, Regis filius, fidem suscipere decreverat; quod cum Rex intellexisset, occidi filium jussit. Affirmant qui praesentes fuerunt, quod in coelo crucem ignei coloris viderint, et quod eodem in loco ubi fuit occisus, terra in crucis morem aperta fuerit; quo multi gentiles, qui haec prodigia viderunt, ad religionem Christi suscipiendam sunt propensi. Occisi principis frater inter alios, qui haec signa viderunt, fuit, et sacerdotes, qui illis in locis versabantur, rogavit ut se christianum facerent, et sic eum baptizarunt. Allocutus est Franciscus principem hunc, qui ad auxilium a Gubernatore petendum venerat, unde sperabat bre-

---

1 Xaverius Francisco Mansillae, pluries toto hoc anno 44; idem Regi Lusitaniae, 20 Januarii; Ignatio, 27 Januarii: Simoni Rodericio, eadem die anni 45; Santa Cruz Fabro, Conimbricae, 22 Octobris, 1545.

vi regnum illud ad fidem esse adducendum, tum propter signa, quae populos valde moverant, tum quia hic regni haeres est. Quingentis fere leucis ab ea regione, tres principes hoc ipso anno facti christiani, cum aliis plurimis ex populo (*Macazares* vocant), accersitis vicinis sacerdotibus ex arcibus Regis Lusitaniae, Christi fidem et Religionem edoceri petebant, ut non more bestiarum, sicut hactenus, viverent. Addit Franciscus tam albam esse ad messem illam regionem ut speret eo anno centum millia christianorum effecturum, et ita subsidium sibi mitti a Societate nostra petit [1].

85. Hoc ergo anno novem in locis coepit Societas residere; ad sex enim jam superius dictas congregationes, scilicet, Romanam, Parisiensem, Ulyssiponensem, Patavinam, Conimbricensem, et Lovaniensem, tres hoc anno accesserunt, scilicet, Coloniensis, Valentina et Complutensis. Nulli tamen adhuc reditus erant, sed ex eleemosynis, qui in praedictis locis versabantur, vel quarumdam privatarum personarum subsidiis, se sustentabant. Anno tamen sequenti, scilicet 1545, ex benignitati venerandi Domini Andreae Lipomani, qui, ut dictum erat, prioratum Lambertanorum Patavii in commendam possidebat, effectum est, ut reditus stabiles institutum Patavii Collegium haberet. Cum enim vir in omnes beneficus, in Societatem valde propensus, significasset se prioratum illum daturum, si Summus Pontifex ejus unionem concedere vellet, P. Ignatius, qui de aliis etiam negotiis gravibus in gratiam Regis Portugalliae, cum Summo Pontifice acturus erat, Montem Fiasconem, ubi Pontifex tunc erat, adiens, unionem praedictam, simul cum aliis quae petebat, obtinuit [2].

ANNUS 1545

86. Anno 45, cum adjecisset animum idem Prior ad Collegium non tantum Patavii sed etiam Venetiis erigendum, in signatura publica obtentum fuit ut prioratus ille (cujus fructus ad mille quingentos aureos ascendebat, et nunc supra duo millia

---

1 Ut supra, n. 83.

2 Ignatius Simoni Rodericio, 14 Decembris 45; Publicum instrumentum resignationis Prioratus Lambertarum factae a Domino Andrea Lipomano in favorem Societatis pro Collegio Patavii erigendo, 12 Junii 45.

reddit) in duas partes divideretur, ut altera in dotationem Patavini, altera vero in Veneti dotationem converteretur. Eodem etiam anno aliqui reditus ecclesiastici in Collegii Valentini sustentationem, opera P. Hieronymi Domenech fuerunt applicati. Et quidem unio prioratus, sine ulla compositione, ex liberalitate Pontificis fuit expedita. Magna erat et gratia et auctoritas P. Ignatii apud Summum Pontificem; unde aliqua negotia magni momenti ad religionis promotionem et quietem regni Portugalliae pertinentia, ad Inquisitionis Officium, et concordiam inter Pontificem et Regem ipsum, quam turbaverat Cardinalis de Viseo dictus, alia etiam, quae princeps Hispaniarum Philippus suis litteris commendaverat, non minus feliciter quam pie fuerunt expedita [1].

87. Romae interim, in templo nostro et alibi, lectiones Sacrae Scripturae et praedicatio verbi Dei, ad populi aedificationem, exercebantur; Judaeorum conversioni vacabatur, et pium illud opus Sanctae Marthae (ubi fere quadraginta foeminae jam admissae fuerant) illis in initiis a P. Ignatio spirituali et etiam corporali cibo fuit sustentandum. Curatum est tamen ab eo, ut instituta congregatio piorum hominum hanc curam suscipiens, onere adeo gravi Societatem nostram liberaret. Supra triginta jam erant in romana nostra domo, sed sic omnes in pietatis operibus occupati, ut nihil prorsus otii eis relinqueretur. Augebat onus, quod piae quaedam ac devotae mulieres id cum Summo Pontifice egerant et obtinuerant, ut sub obedientia P. Ignatii viverent; id quidem praedicto Patri non expedire videbatur; cum enim Societas in his, quae ad commune bonum pertinent, occupari ex instituto suo debeat, hujusmodi occupatione majora bona impediri cernebantur. Videtur tamen Dei providentia id initio permisisse, ut hujus oneris molestia per experientiam Societati innotesceret, quo majori cum diligentia in posterum hujusmodi occupationi ostium (ut factum est et suo loco dicemus) occluderetur. Admittebantur novitii, et tam domi nostrae quam foris in peregrinationibus et hospitalium ministerio exercebantur. Inter caeteros quidam Guilielmus Postellus, natione gallus, et eruditione (praesertim Mathe-

---

1 Ignatius, ut supra, ad n. 85; Miron Ignatio, 7 Martii 45; Joannes III, Portugalliae Rex, Ignatio, de Inquisitionis tribunali, 13 Augusti 45.

matices et linguarum multarum) satis clarus, est ad probationem admissus. Sed cum spiritu, ut ipsi videbatur, prophetiae, ut autem Ignatius et alii de Societate judicabant, erroris multa sentiret, diceret ac scriberet, quae nec vera, nec ad aedificationem et unionem cum Societate fovendam, facere viderentur, frustra remediis multis tentatis, dimissus est. Vir alioqui pius et moribus bonis praeditus, si humilius et ad sobrietatem sapere, et suum judicium in obsequium fidei ac obedientiae captivare didicisset. Confessiones virorum plurimae, et inter eos, primariae auctoritatis, et etiam foeminarum audiebantur. Exercitia vero spiritualia non paucis nec exiguo cum fructu proponebantur. Utebatur autem P. Ignatius et ad praedicta, et ad concordiam inter multos conciliandam, opera P. Salmeronis, ac P. Hieronymi Domenech, qui praecedenti et hoc anno Romae fuerunt, et aliorum, qui apud ipsum in domo professa versabantur; cujus commoditati hoc anno hortus cum habitationibus ecclesiae contiguis accessit (mortuo eo qui ad vitam suam eas retinuerat), et salubriorem et paulo latiorem habitationem effecit. Missi sunt etiam hoc anno aliqui, qui Patavini collegii, et alii ex variis nationibus, qui Valentini, numerum augerent. Sed et litterae illae, quibus in forma Brevis, nostris facultas amplissima ad sacramenta Confessionis et Communionis administranda, et verbum Dei praedicandum, et alia nonnulla perutilia conceduntur, fuerunt impetratae, ut armis spiritualibus instructa Societas proximis juvandis utilius operam suam impenderet [1].

---

1 Elisabetha Roser Ignatio, 1 Octobris, et 6 Novembris 42; et 10 Decembris 1547; ejus et Franciscae Cruyllas supplicatio ad Pontificem ut emittere Societatis vota permitterentur; plura ipsius Roser et cognatorum ejus scripta circa bonorum abdicationem; et tandem Polanci et Ignatii litterae tum ad ipsam Dominam Roser tum de ejus rebus ad alios, et publica instrumenta, quae exhibet tomus I operis *Cartas de San Ignacio.* — Guilielmi Postelli, voti inscriptio, nuncupatioque et ejus ratio. Acta quaedam in causa Guilielmi Postelli, et inter ea judicium de ejus doctrina latum a Patribus Alphonso Salmerone, Jacobo L'hoostio et Elpidio Ugoletti, 10 Martii 1545; ejusdem litterae ad Patrem Jacobum Laynez, Praepositum Generalem Societatis, datae Lugduni in Altoviti Bankierii domo, 9 Aprilis 1562. De Postellio praeter opera in *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, t. I, pag. 239, enumerata, non inutile erit legere *Thesim quam Facultati Litterarum Parisiensi proponebat* O. Weill, *de Guilielmi Postelli vita et indole,* Lutetiae Parisiorum, 1892. — De aedibus, quas successive habitare Ignatio ejusque sociis Romae contigit, variorum commentaria. Earum locationis, emptionis, etc., instrumenta tum publica tum privata. — Ignatius Fabro, 16 Julii; Jaio, 12 Decembris; et Xaverio, 17 Decembris 45, binas.

88. Venit et Romam hoc anno P. Jacobus Laynez ; et prius Venetiis et Patavii aliqua ad Dei gloriam per eum sunt gesta. Sed et Bassani, quod oppidum est sub dominio veneto non ignobile, ubi haereses pullulare ob Germaniam vicinam coeperant, quadragesimo tempore est concionatus, et non solum dum praesens esset, religionis causam strenue defendit, sed eodem inde recedente, memores concionum ejus auditores, haereticorum ora obstruebant ; ut alia interim omittam, quae ex ejus concionibus ad morum reformationem magno cum fructu emanare sunt solita. Concionari autem in templo Sti. Laurentii in Damaso mane, et aliquid ex Scripturis interpretari a prandio coepit ; cum eadem in templo nostro P. Salmeron eodem tempore praestaret. Jam tunc non deerant qui nostris ad praelationes admittendas negotium facesserent. Urbanus enim, Labacensis Episcopus, hoc tempore Patrem Laynez in coadjutorem ac successorem in episcopatu expetiit, cui tamen omnis spes ejus rei est adempta. Cum autem Prior Sanctissimae Trinitatis de erigendo Venetiis collegio, ut dictum est, esset sollicitus, hoc ipso anno situm quemdam, cum ecclesia et domo, opportunum nactus, ut exsecutioni pium opus mandaretur instare coepit.

89. Erat jam a tribus fere annis Concilium Tridentinum indictum, et sub finem hujus anni 1545 tandem est inchoatum; cum autem Summo Pontifici et primariis Cardinalibus Romanae Curiae eruditio et pietas Patrum Jacobi Laynez et Alphonsi Salmeronis satis nota esset, uterque, hoc ipso anno vertente, Tridentum, ut theologi Summi Pontificis, missi sunt.

90. Faventiae interim P. Paschasius pro virili parte proximis juvandis vacabat, initio quidem pauperes aegrotantes, qui multi erant in ea civitate, singulis hebdomadis visitabat; et cum animadverteret, nec spiritualibus nec etiam in corporalibus subsidiis eorum indigentiae provideri, bona cum venia Vicarii, agere cum multis piis viris de congregatione quadam instituenda, quae Societas Charitatis diceretur, coepit ; et ea coalescente, vivendi formulam et modum exercendae pietatis, scripto brevi comprehensa dedit. Erat autem eorum officium aegrotos pauperes ac miserabiles totius urbis inquirere atque invisere, et primo quidem eos ad confessionem et communionem exhortari, deinde de rebus ad victum eorum necessariis,

quamdiu duraret aegritudo, et de medico etiam ac medicinis providere. Aliis praeterea utriusque sexus personis, per sacramentum Confessionis, multum ejus industria contulit. Et quia semina quaedam lutheranae doctrinae a quibusdam concionatoribus, et praesertim a Bernardino Ochino jacta in ea civitate fuerant, magna vigilantia curavit ne in tabernis artificum, prout mos erat, de hujusmodi sectariorum doctrinis pestilentibus disputaretur, sed prorsus eorum memoria aboleretur. In templo autem Conversarum initio quadragesimae catechismum explicare coepit; quasdam etiam regulas et vivendi spiritualiter formulam eisdem Conversis in scriptis dedit et ut observarent curavit. Unde illae, licet nullo ligatae voto, sine ulla proprietate et religiose vivebant. Post Pascha vero ut memoriter addiscerent et fidei articulos, et legis praecepta, ac septem misericordiae spiritualis ac corporalis opera, et alia, quae ad spiritus profectum pertinent, curavit. In septem etiam scholis puerorum eumdem catechismum docuit, et ut memoriter addiscerent cum ipsorum, tum parentum, magna aedificatione, effecit; hanc enim esse doctrinam asserebant, quam pueri addiscere ubique deberent. Cernebatur autem in pueris magna morum emendatio; et cum jurandi et blasphemiae abusus in eis permagnus fuisset, non solum est emendatus, sed si quando, ex prava consuetudine, tale quid excidisset, seipsos accusantes et poenitentiam petentes ad Paschasium veniebant; erant autem fere quadringenti hujusmodi pueri. Virum quemdam qui, relicta uxore, quatuor annos concubinam domi tenuerat, ad uxorem suam reduxit, et concubinam etiam ad virum suum, qui, vicem uxori reddendo, concubinam aliam tenuerat. Aliis etiam hujusmodi concubinariis praestitit operam utilem. Societatem autem Charitatis, singulis mensibus ad confessionem et communionem ut socii omnes accederent curando, in Domino juvit. Inter confessiones, quas in urbe audivit, generales plurimae fuerunt; unde magna vitae emendatio in ea est consequuta. Aliquae meretrices, ejus opera a turpe vitae genere recedentes, in monasterium Conversarum sunt admissae. Exhortationem autem ex Evangelii expositione deductam singulis Dominicis diebus, non poenitendo cum fructu auditorum, qui ad templum Conversarum accedebant, habuit. Crebro hospitalia invisebat, tum ut aegrotantium confessiones

audiret, eos consolaretur et ad patientiam armaret, tum ut ministros hospitalium ad majorem sollicitudinem charitatemque aegrotis praestandam hortaretur. Cum autem Faventiae sicut et in aliis Aemiliae locis, odia et factiones, et quidem aliquae tam inveteratae essent, ut supra centum annos durassent, unde crebro homicidia consequebantur, et alia gravia mala, de remedio cogitans concordiae inter aliquas primarias familias ineundae, cum aliquibus viris idoneis et qui auctoritate ad hoc opus valerent, agere coepit. Et aspirante Dei bonitate et gratia, supra centum homines in cathedrali ecclesia, magna cum solemnitate, sibi invicem conciliavit, et ut condonarent mutuo alii aliis homicidia, injurias et damna ex hujusmodi odiis procedentia, perfecit; quo peracto, exhortationem addidit, qua ea bona, quae ex pace, et mala, quae ex discordia procedebant, est persecutus. Inter alias etiam familias idem curabat. Cum autem quosdam esse audivisset qui nec Purgatorium esse credebant, nec Sanctos orabant, nec jejunia ecclesiae observabant, id correctionibus fraternis et veritatis familiari demonstratione effecit, ut Sanctae Matris Ecclesiae doctrinae inhaerere statuerent. Praecepta ibidem decalogi, multis hominibus saecularibus habita diebus Dominicis exhortatione, ad vitam christianis dignam ducendam, adjecit [1].

91. Versabatur initio hujus anni 1545 Wormatiae P. Claudius, ubi Diaeta imperialis fiebat. Et cum videret studia theologiae, praesertim scholasticae, in Germania propemodum extincta esse, sollicitus erat, P. Ignatio etiam ex Urbe instigante, de Collegiis in ea instituendis, ubi scholastici pauperes huic doctrinae darent operam; id enim effecerat nomen religiosorum odiosum, ut divites theologiae dare operam jam nollent. Salisburgensis autem, Aistetensis et Augustanus Episcopus ad hoc pietatis opus paratos se exhibuerunt. Cum autem urgeretur a Salisburgensi Episcopo ut Ingolstadium rediret, idque Claudius ad obedientiae arbitrium rejecisset, a Patre Ignatio quatuor ei theologi propositi fuerunt (inter quos ipse Claudius unus erat) rogatusque ut suam diceret sententiam quis eorum ad munus theologiam profitendi aptior videretur. Ille quidem respondit, quod se judicabat ad id munus

1 Paschasius Broet Xaverio, Faventiae 1 Martii; et Ignatio, 1 Novembris 45.

parum sufficientem; si tamen ab ipso, ut superiore, id sibi injungeretur, caeca se obedientia pariturum. De tribus aliis qui de Societate proponebantur, P. Alphonsum Salmeronem et Patrem etiam Jacobum Laynez, aptos valde se judicare, si priori juvenilis aetas apud germanos scholasticos auctoritatem non adimeret. Quamvis autem munus in universitatibus legendi Societatis nostrae professoribus non convenire censebat, in Germaniae tamen vastitate ad gloriam Dei et reductionem ejus regionis perutile id fore arbitrabatur [1]. Cum autem Marchio del Vasto, qui de Claudio multa dici audierat, litteris suis eum officiose invitasset, ut Mediolanum ad se veniret (Gubernator ille tunc erat Ducatus mediolanensis) ubi tum in aliis pietatis operibus messem uberem esset inventurus, tum filii sui instituendi (quem ecclesiasticum efficere statuerat) curam susceptурus ; respondit Claudius se propter Christum libertatem suam in se abdicasse ut in superioris sui, ut Christi Vicarii, manus rejiceret; unde non posse se a Germania recedere, nisi ab obedientia sancta, quae ipsum eo miserat, revocaretur. Et quod ad se attinet, cum extremam Germaniae necessitatem animadvertat et operariorum paucitatem (qui tamen abundant in Italia) non se negare posse, quod libenter sanguinem ac vitam vellet, nedum sanam et christianam Doctrinam, in tam desolata regione impendere. Cum autem Wormatiae versaretur quadragesimae tempore, diebus dominicis et aliis quibusdam, praesente Romanorum Rege, concionatus est; ultimae autem concioni, quae in die Sanctissimae Trinitatis est habita, Caesarea etiam Majestas Caroli V interfuit, quem frater Ferdinandus (cui summopere conciones hujusmodi placebant) invitavit. Cum autem antequam suggestum conscenderet, prout erat humilis et subtimidus, magis quam alias unquam esset; simul atque concionari coepit, sic a Domino animatus est, ut nunquam memor fuerit (ut ipse aiebat) quod majori cum libertate verbum Dei proposuerit; et ut affirmavit nobilis quidam ex familia Imperatoris, ab ipso, tamquam utilis et erudita valde, fuit ejus concio laudata. Ulterius in praedicationibus progressus, Cardinalis Augustanus ad Concilium ipsum suo

---

1 Totam hanc periodum, a verbo *Quamvis* ad *arbitrabatur*, addidit in ora paginae ipse Polancus propria manu.

loco mittere statuit. Cum autem a Cardinali Farnesio eleemosynam largam accepisset, maximam ejus partem ad fratres Colonienses sublevandos, reliquam in alia pia opera impendit [1].

92. Dilingam se conferens, antequam Tridentum accederet, italorum, gallorum et hispanorum confessionibus, et spiritualibus Exercitiis primae hebdomadae tradendis (quae confessio generalis sequebatur) utiliter admodum fuit occupatus. In Bavariae ditione aliqui cum lacrymis ab eo petierunt ut a lutheranismo ad gremium Ecclesiae per poenitentiam redeuntes admitteret. Affirmabat Cardinalis Farnesius et alii ex lectionibus et concionibus praedicti Claûdii multum auctoritatis et utilitatis (quod ad Societatem attinet) emanasse. Una praesertim ex concionibus ejus Romanorum Rex omnino latine scriptam sibi dari voluit; quod licet recusaret, quia facile quae hujusmodi sunt, typis in Germania dari solent, non id tamen negari saepius petenti potuit. Cardinalis etiam Tridentini pater, ejus exemplum filio suo Cardinali transmisit, et alii non pauci Episcopi exempla acceperunt, illumque ad suas ecclesias invitabant [2].

93. Dilinga missus est a Cardinali Augustano ad Aistetensem Episcopum ut quaedam ad religionem pertinentia negotia, et quidem magni momenti, cum eo conferret. Commoratus est apud eum aliquot dies non sine fructu. Cum praefuturus esset Episcopus colloquio cuidam Ratisbonae, auctoritate Imperatoris instituto, vellet autem Claudium habere socium ad colloquium praedictum, de rebus ad religionem pertinentibus instituendum, petiit a Cardinali Augustano per unum ex suis consiliariis, ut id permitteret; sed cum Augustanus ad Concilium Tridentinum jam jam missurus esset eumdem Claudium ut procuratorem suum, simul cum doctore quodam canonico Augustano, illud Aistetensis Episcopus non obtinuit. Pervenit ergo Claudius Tridentum Decembri mense, et a Cardinali Tridentino humanissime hospitio exceptus, et rogatus ut eadem familiaritate cum ipso versaretur, et de rebus spiritua-

---

1 Jaius Alphonso Salmeroni, Wormatiae, 21 Januarii; idem Marchioni del Vasto, Dilingae, 27 Decembris 45.

2 Jaius Ignatio, Dilingae, 21 et 23 Septembris 45.

libus admoneret, qua apud reverendissimum Cardinalem Augustanum utebatur, avelli ab ejus domo non potuit. Die autem decima sexta Decembris cum Legatis Sedis Apostolicae procuratorium instrumentum exhibituri essent, evitare non potuit quin universa Cardinalis Tridentini familia ipsum cum socio comitaretur; id enim honoris Cardinali Augustano, non ipsi tribui dicebant. Legati autem benigne admodum et amanter eis responderunt, quod in procuratores eos admittebant, quamvis Episcopos tantum et eorum suffraganeos cum voto definitivo, et nullus alius procuratores admittere poterat; sed se scripturos ad Summum Pontificem receperunt. Cum etiam privatim singulos Legatorum postridie inviseret, laeto animo ab eisdem fuit exceptus [1].

94. Hoc anno cum P. Bobadilla Regis curiam et castra etiam sequeretur, bello nimirum a Carolo V contra lutheranos inchoato, arma nostrae militiae, verbi Dei scilicet et sacramentorum, exercere non omisit, quibus charitatis functionibus et aegrotantium in castris, et eorum etiam qui sani sunt, multitudo, tam in spiritualibus, quam etiam in corporalibus valde solet indigere [2].

95. Coloniae nonnihil perturbationis hoc tempore nostri, qui ibidem versabantur, passi sunt; quamvis enim civitas catholica semper publice fuerit, constitutionem tamen quamdam habebat de novis congregationibus religiosorum non admittendis; unde quamvis nostrorum et vita et doctrina probaretur, ut simul et religioso modo, sicut coeperant, vivere possent, tunc non est permissum; et ideo nostrorum habitatio, non sine molestia, separanda fuit. Concionabatur tamen magno cum spiritu et gratia P. Canisius, quamvis et juvenis esset, et studia Theologiae non plene absolvisset. Cum autem Theologica facultas Universitatis Coloniensis suspicaretur quod ad aliam

---

1 Ut supra ad n. 92.

2 Hic spatium quoddam vacuum relictum est, forte ut in eo aliqua de Bobadillae gestis adderentur, quae tamen non sunt addita. Perrexerat quidem librarius scribens: *Cum autem Cardinalis;* sed aut ipse aut Polancus super ea verba lineam ducens delevit.

Universitatem, quae studiis Theologiae magis floreret, ab obedientia Canisius adduceretur, sollicite hoc anno scripsit, curavitque ut aliquandiu, ad studia absolvenda et promotionis gradum ibi assumendum, relinqueretur. Sed et Cardinalis Augustanus suo nomine cum P. Claudio ad Concilium Tridentinum mittere eumdem expetebat. Mansit nihilominus hoc anno Coloniae cum aliis paucis, qui, quamvis divisim habitarent, charitatis tamen ac obedientiae unione jungebantur, nec sine fructu spirituali ac bono odore sunt Coloniae commorati [1].

96. Idem de Lovaniensibus qui pauci erant hoc tempore, disposuit [2], ubi pusillus grex, et exemplo vitae et piis colloquis et sacramentorum frequenti ministerio, inter studia, proximos aedificare nitebatur [3].

97. Sed et Parisiis, post trepidationem belli, cum rediisset Mediolano P. Paulus de Achillis, aliis praefectus, numero creverunt, et in Longobardorum Collegio confessionibus audiendis et ministrando sanctissimum sacramentum Eucharistiae, et spiritualibus Exercitiis communicandis, proximo se utiles exhibentes, studia nihilominus sua prosequebantur. Qui autem tunc praecipui erant, praeter Paulum praedictum, magister Joannes Pelletarius, et Joannes Baptista Violaeus exstiterunt [4].

98. Hoc anno 1545 P. Simon ex Portugallia per litteras agebat cum P. Ignatio, ut ex eo regno Romam vocaretur, et ut a Rege ad id facultas peteretur ; fecit id Ignatius, sed non obtinuit ; cum enim Rex ad pietatem propensissimus, principem filium suum non minus pie vellet institui, praeceptorem eidem designaverat Simonem, loco Conimbricensis Episcopi, olim concionatoris sui, qui non poterat accepto Episcopatu, a sua Ecclesia abesse. Et quamvis hujusmodi munia honorifica recusare Societas, juxta instituti sui humilitatem, debeat, et id Simon, a Rege de sua voluntate admonitus, ad P. Ignatium rejecisset, et animi sui propensionem ad humilia potius, quam ad ejusmodi munia significasset, visum est tamen Ignatio, cui

---

1 Ignatius fratribus Coloniensibus, a. 45; Leonardus Kesselius Fabro, Coloniae, 18 Januarii; eidem Canisius, 14 Aprilis: Fabri responsum Patri Alphonso Alvaro et fratri Petro Canisio, Vallisoleti, 9 Julii 45.

2 *Disposuit* habet mss.; sed fortassis mendum est pro *dici potest* aut quid simile.

3 Vita Patris Wischaven.

4 Vide notam ad n. 166.

Rex scripsit ea de re, principi tam benemerito de Societate et tantopere communi bono studenti, id non posse denegari. Erat interim Simon cum aliis compluribus sacerdotibus, in spirituali auxilio multorum utiliter admodum occupatus. Francisci Stradae conciones universa civitas magno cum fructu sequebatur; ex spiritualibus Exercitiis quamvis multi cum fructu non poenitendo sint egressi, in Societatem tamen pauci quidem et selecti ex illis sunt admissi; quidam alius comitis Feriae *(sic)* in Portugallia cum Missam primam celebraturus se exercuisset [1], ea celebrata, tanto animi ardore concionatus est, ut qui aderant, de re tam insperata mirum in modum aedificati fuerint; et quia theologus jam erat, operarius perutilis regno futurus sperabatur, nam Societatem ingredi jam constituerat. Tam multi in Societatem admitti petebant, ut intra duos menses fere triginta id negotium urgerent. Inter eos autem qui spiritualia Exercitia cum magno fructu susceperunt, unus fuit Ludovicus Gonzalez de Camara, filius gubernatoris insulae de la Madera nuncupatae, qui Parisiis operam litteris dederat, vir nobilitate clarus nec minus ingenio et eruditione, qui in latinis, graecis et hebraicis litteris versatus erat; alii etiam absoluto philosophiae curriculo, alii in jure canonico diu versati, inter multos electi sunt [2].

99. Cum plures sexaginta in Collegio Conimbricensi versarentur, nullum esse affirmabat P. Faber, qui non ad perseverantiam et ad progressum in dies faciendum in spiritu, optime affectus videretur, et magna cum pace et charitate fraterna, humilitate et obedientia procedere omnes expertus est. Et cum studia in ea Universitate, adductis undecumque praeceptoribus praeclaris, florerent, domestica etiam nostri Collegii studia praeclare procedebant. Cum autem novus Episcopus, Fr. Joannes Suarez, qui Regis confessarius fuit, ad pietatis opera sponte sua incitatus esset, facile ejus opera effectum est, ut virginibus, quae parentibus orbatae sunt, domus institueretur, et comparata domo, et designatis nonnullis, quae operis pii fundamenta jacerent, nostrorum opera in spiritualibus

---

1 Id est, Exercitia spiritualia peregisset.

2 Ignatius Regi Portugalliae, 15 Martii; Cardinali Sanctae Crucis, 15 Aprilis; Simoni Rodericio, 6 Maii et 22 Augusti, et 14 Decembris 45. Araoz Ignatio, Evorae, 6 Augusti 44, et 9 Februarii et 8 Martii, et Vallisoleti, 25 Martii 45.

illo in initio adjuvari oportuit, donec aliis ministris idoneis id muneris committi posset. Erat autem ejusmodi institutio, ut ex ea domo vel ad honestas nuptias, vel ad monasteria monialium tandem egrederentur, et ad utrumque de dote prospiciebatur. Gubernator etiam civitatis Conimbricensis cum Rege id agebat, ut hospitalis curam nostris committeret, ut sic demum quam optime et propriae conscientiae et etiam hospitali Rex consuleret; sed quamvis nostris exercitatio hujusmodi in aegrotantium obsequiis, libere juxta institutum suscepta, conveniret, onus hoc ordinarium Gubernatoris, occupationibus plenum, nobis minime conveniebat. Peregrinationes autem ad sacram aedem Compostellanam, et de Guadalupe, et alia pia loca non omittebantur, et ex eis et hospitalium ministerio multum proficiebant. Inter alios, qui admissi sunt in Societatem, unus fuit Antonius Gomez inter maxime ingeniosos Conimbricensis civitatis habitus, et in Philosophia et in Jure canonico satis eruditus, et qui copiosum patrimonium pietatis operibus destinavit. Fuit etiam admissus Joannes Nuñez, jam sacerdos, qui abbatia quadam relicta, et post Philosophiae, Juris Canonici et ex parte etiam Theologiae studia confecta, Societatem ingressus est; et hic fuit Patriarcha Aethiopiae, ante et post ingressum virtute clarus. Eodem etiam anno admissus fuit Emmanuel de Nobrega, sacerdos etiam et Cancellarii regni ex fratre nepos, virtute et Juris Canonici peritia valde commendatus. Accidit autem percommode nostris collegialibus ut Universitas, quae in una parte civitatis et a Collegio nostro remota, litteraria exercitia lectionum, disputationum et actuum obire solita erat, in superiorem partem et Collegio convicinam migraret; et in quavis facultate nostri inter caeteros scholasticos eruditione eminebant; nec enim litterarias exercitationes propter spirituales omittebant, nec contra; et multum ad eorum profectum contulit singulare cum P. Fabro uniuscujusque colloquium, quo et instructiores et ferventiores ad spiritualem profectum sunt relicti. Nihilominus idem Faber festis et dominicis diebus, vel in cathedrali ecclesia, vel in monasteriis monialium, vel aliis in locis concionabatur, et multorum confessiones audiens, pro more suo spiritualia etiam Exercitia quibusdam tradebat. Quod ad mortificationes fratrum attinet, frequenter admodum et cum aedificatione multorum, eorum praesertim quibus

erant paulo ante noti, se exercebant. Aliqui etiam ad pagos vicinos, praedicationis et audiendarum confessionum gratia, se conferebant, ex quorum labore, valde necessario, copiosus fructus exspectabatur [1].

100. Cum autem promulgatum esset Concilium Tridentinum in regno Portugalliae, et Rex pro suo ad Religionem propagandam et ad morum reformationem affectu, suis, quos ad Concilium mittere cogitabat, ea committere vellet, quae maxime christianae reipublicae et praecipue suis regnis convenirent, P. Simoni diligenter scripsit, ut per se cogitaret, et cum aliis de Societate conferret, de rebus, quae ipsius nomine in Concilio proponenda viderentur. Profectus est autem Valentiam, cum duobus sociis, Ludovicus Gonzalez, de quo supra, ut minus ei negotii consanguinei et amici nobiles facesserent. Sic demum res Societatis in Portugallia crescebant, ut cum hominum magna admiratione et aedificatione digitus Dei cerneretur. Cum P. Andreas de Oviedo ad Exercitia spiritualia cuidam tradenda in pagum quemdam secessisset, omnium fere, qui in eo habitabant, confessiones audivit, et ex tribus et quatuor leucis, multi, ut ei confiterentur, confluebant ; nec aliter eum et socium vocabant quam sanctos homines, et ut fides per apostolos fuit seminata, sic etiam modo per apostolos renovari ajebant ; hoc enim nomen vulgus, nostris impositum, etiam nunc in Portugallia retinet. Parochus illius loci non solum concubinam reliquit, sed potius se passurum affirmabat omnia extrema, quam tale quid in posterum perpetrare. In Collegio autem Conimbricensi ordo, quo procedere deberet, et officialium regulae confectae, et ad praxim datae sunt. Missus est autem P. Andreas de Oviedo, cum tribus sociis, qui partim Gandiensi Collegio, partim Complutensi, simul cum aliis initium dederunt. Prius tamen profecti fuerant hoc ipso anno quarta die Martii in Castellae regnum Patres Faber et Araoz (nec enim ante id tempus a Rege, qui libenter eorum utebatur opera in Portugallia, dimissi fuerant), litteris additis ad Principem Hispaniarum et ejus uxorem, quibus ex animo res Societatis nostrae commendabat; sed et ipsis injunxit, ut ad se crebro

---

1 Ut supra ad n. 98, et Fabri epistola ad Ignatium, Conimbricae, 9 Januarii 45. Consule etiam Fabri *Memoriale* seu *Ephemeridem*.

scriberent de iis quae occurrerent, et ubi suo favore indigerent ; et si utriusque opera in Castella necessaria non esset, alterius saltem reditum in Portugalliam exposcebat, ac praesertim P. Araoz ; quem quinquies uno die, quo principibus valedixit, concionari voluerunt ; et in ultimo Portugalliae oppido tanta hominum commotione verbum Dei praedicavit, ut multi ipsum in Castellam sequi vellent. Salmanticae desiderari a multis Societatem invenerunt, qui Collegium ibi instituí peroptabant [1].

101. Cum Salmantica transirent, ibi concionatus est Pater Araoz, et tam multa spiritualia negotia se offerebant, ut parum abfuerit quin ibi quod reliquum erat quadragesimae exigerent. Inviserunt primarios Universitatis doctores, qui magna cum benevolentia operam suam Societati offerebant, et inter caeteros Fr. Alphonsus de Castro et Fr. Franciscus de Victoria. Vallisoletum tandem pervenientes, et tam a principe Philippo, quam ab Episcopis Carthaginiensi et Calagurritano (quorum animi in Societatem valde propensi erant), et aliis saecularibus et ecclesiasticis laeto animo sunt excepti ; sed Nuncius Apostolicus Poggius omnem favorem exhibuit. Et hi duo Patres, cum totidem sociis, Vallisoletani Collegii viva fundamenta, ibi residendo, jacere coeperunt. Tam Princeps et ejus uxor, quam Cardinalis Toletanus, et Cobos, Commendatarius maximus legionensis, ad Societatem promovendam satis incitati erant; nullae adhuc persecutiones vel patientiae exercitationes cernebantur ; nec deerant qui augere numerum Complutensium suis eleemosynis parati essent. Sententia P. Araoz haec erat, quod nihil in Hispania utilius fieri poterat, quam si ex nostris aliqui in Principis curia (cum velut fons universalis regni totius sit) degerent, et consuetis Societatis ministeriis operam navarent. Concionabatur P. Araoz, et ipse et P. Faber multis ex curia Principum in confessionibus audiendis suam operam praestiterunt. Et cum rumor bonus ex concionibus ortus increbresceret, Princeps Philippus eos alloqui voluit. Aliqui etiam ex Consilio regio eis familiariter utebantur ; sed nullibi majus

---

1 Faber Martino de Santa Cruz, Vallisoleti, 11 Septembris 45 ; idem eodem die Simoni Rodericio ; Simonis Rodericii primae ordinationes et regulae in Portugallia ; Araoz Ignatio, ut supra ad n. 98.

studium quam in ipsis Principibus ad pietatis opera juvanda inveniebant, humanissime ab eis, quotiescumque illos adibant, excepti. Si operarii viginti fuissent, occupationibus satisfacere minime potuissent, cum hinc Praelati et Domini temporales familiaribus colloquiis, inde populus concionibus, eos distineret; et quamvis concursus ac frequentia insignis esset, non minor fructus videbatur. Meretricum primariarum plurimae a peccatis recesserunt; et si Conversarum monasterium id tulisset, duplicatus earum numerus fuisset; eleemosynis earum quaedam sustentabantur, donec vel in monasteriis, vel in matrimonio collocarentur. In custodiis publicis ac hospitalibus messis non poenitenda collecta fuit; rara cujusdam testis falsi fuit compunctio, qui sponte sua judicibus significavit se falsum jurasse, quodque mallet vitae dispendium, quam animi sui facere; in capitali enim crimine versabatur. In spiritualibus autem meditationibus viri aliqui, eruditione et auctoritate non vulgari, se exercuerunt; P. Francisci Xaverii litterae tam in Portugallia, quam etiam in Castella magnopere hominum animos inflammabant et in Societatem propensos reddebant. Inter alios Pampilonensis Episcopus Collegiorum nostrorum seminaria, ab Episcopis ut propria, promovenda esse affirmabat. Secretarius Principis P. Fabro confitebatur; demum nec ecclesiasticus Praelatus, nec saecularis ullus erat inter nobiles, qui non benevolentia Societatem complecteretur. Inquisitores etiam amanter et familiariter cum nostris agebant; fatebaturque Pater Faber nullibi se tam copiosam messem invenisse [1].

102. Cum autem Patri Araoz ex obedientia inde recedendum esset, et populo in ultima concione valediceret, tam ingratum id nuncium auditoribus fuit, ut ejus discessum per Principem impedire conarentur. Rector Collegii maximi Complutensis, Franciscus de Villanova, significavit gratum sibi fore, ut aliqui ex nostris Complutum se conferrent, ut se ad Collegium instituendum adjuvarent; cum enim doctoribus theologis, Sacrae Sripturae vacantibus, quoddam Collegium instituendum esset, doctori Medinae utilius fore videbatur, si illud in Societatis usum converteretur: eo autem se contulit Araozius ut hac

1 Faber Simoni Rodericio, Vallisoleti, 10 Novembris; Araoz Ignatio, ibidem 14 Aprilis et 29 Junii 45.

de re propius quid facto opus esset cognosceret; et quamvis non coaluerit illius Collegii negotium, ut tamen aliqui scholastici Societatis adjicerentur Villanovae, benignitate magnatum quorumdam effectum est. In itinere autem, cum in oppido, de Duegnas vocato, concionaturus esset (quod et fecit mane in monasterio Sancti Augustini, et a prandio in summo templo), salse quidam monachus dixit, cum intelligeret clericum non monachum esse concionatorem: " Vel insanus est hic, vel insignis concionator. „ Et postquam eum audivit a prandio concionantem, genibus flexis manum ejus osculandam petiit [1].

103. Cum Barcinonam pervenisset, summa cum benevolentia ab Episcopo et a Pro-Rege fuit exceptus. Viri quidam Societatis studiosi, Collegium Barcinone inchoari cupiebant, et domus quaedam, jam Collegio erat destinata, cui pius quidam et eruditus vir (magister Pusalez [2] vocabatur) moriens, librorum suorum supellectilem reliquerat, et in eadem domo duo jam sacerdotes, Societati dare nomen cupientes, residebant; quibus Episcopus confessiones audiendi facultatem communicaverat. Tam multi autem in Societatem admitti expetebant, ut etiam habito delectu, non pauci ad institutum nostrum idonei censerentur; sed inter caeteros unus erat, qui inter saeculares magno ingenio ac judicio, nec minori virtute praeditus censebatur. Videbatur Patri Araoz aliquos jam esse ex Societate in Hispaniam mittendos, ubi scopus ipsius jam perspectus, et suspiciones, quarum Societatis novitas causa fuerat, essent dissipatae. Reliquit autem in ea domo Pater Araoz, quae ad nostrorum hospitium non indecore Barcinone admissa est, tres sacerdotes Societatis candidatos, qui ex eleemosynis viverent, et utilem confessionibus audiendis operam navarent [3].

104. Valentiam inde pervenit; ubi concionari tanta cum frequentia coepit, ut a prandio in platea (cum templa essent angusta) concionari oporteret; et nihilominus, quia civitas illa, rebus et hominibus novis magis commovetur quam assuetis, judicabat Araozius diu non esse ibi concionatoribus haeren-

---

1 Ut supra ad nn. 100 et 101.

2 Ipse nomen suum scribebat *Puials*.

3 Joannes Puials Ignatio, Barcinone, 13 Augusti 43; Araoz Ignatio, ibidem, 31 Octobris 45; Historia *mss.* del Colegio de Barcelona; Gabriel Alvarez, *Historia mss. de la Provincia de Aragón.*

dum; sed postquam populum excitassent, et ad profectum inflammassent, confessariis messem colligendi curam relinqui debere [1].

105. Quamvis autem in curia Principis Philippi P. Faber magno cum fructu versaretur, de Germania tamen sollicitus, pluribus litteris P. Ignatio suggerebat, quantopere optaret ut Coloniae et Lovanii radices ageret Societas; et Salisburgensis Episcopus decem ex nostris Ingolstadii habere velle affirmabat. Cum autem sub finem Augusti profectus est P. Araoz, solus ipse, cum P. Mendez et sociis quibusdam non ad sacerdotium promotis, in curia mansit; Princeps enim injunxerat ne ab ea recederet, et ut nostris sicut aliis, qui curiam sequerentur, Matriti (quo recedebat) habitatio assignaretur. Concionabatur interim P. Faber variis in locis, et si non praecessissent P. Ignatii in Hispania afflictiones ac persecutiones, tam prosperum in omnibus successum suspectum sibi fore affirmabat. Accessit ad Fabri socios Pater alius, plurium enim opera necessaria erat; sed in colloquiis privatis, cum primariis curiae viris, tam status ecclesiastici quam saecularis, eximium Faber obsequium Deo praestabat. Episcopi etiam non pauci nostrorum opera in suis ecclesiis uti expetebant, et aliqui, ut Episcopus Palentinus, etiam in rebus spiritualibus ab eis exerceri cupiebant. Idem ejus confessarius, vir doctus, tanto cum fructu fecit, ut relictis omnibus, sequi Christum statuerit. Id ipsum aliis etiam eruditis et nobilibus viris accidit, qui pietatis operibus serio se dedebant, aliqui etiam ad Societatem accedebant. Itaque brevi ad novem numerus nostrorum crevit, ex quibus aliqui Vallisoleti, recedente P. Fabro, substiterunt. Quidam enim copiosi et Societati addicti homines optimam domum, et quae necessaria essent ad aliquot ex nostris in studiis alendis obtulerunt. Inter foeminas nobiles, quae magno affectu pietatis Societati favebant, fuit Leonora Mascarennias, quae cum Philippi Principis ab infantia curam habuisset, Infantis ea aestate nati, Principis filii, curam etiam suscipere debuit, et antequam cum eo Matritum proficisceretur, accersendum Fabrum curavit, rogavitque ut super Infantis caput

---

1 Araoz Ignatio, Valentiae, 11 et 22 Decembris 45; idem Dominae Elisabethae Roser, eodem loco, die et anno.

aliquod Evangelium recitaret. Templum etiam proprium Societati ibidem a multis expetebatur, et ad illud incipiendum eleemosynas etiam offerebant.

106. Crevit hoc anno nostrorum numerus Compluti, domusque commodior a Francisco de Villanova accepta est. Sed et Toleti magna jam tunc multorum erant desideria instituendi Collegii, et eleemosynae ac favor a multis ad id offerebantur [1].

107. Pervenit Valentiam P. Andreas de Oviedo, sed statim Gandiam se contulit, ut Ducem Franciscum de Borgia inviseret ; et cum jam convenisset inter eos ut simul atque aliqui Roma missi eo pervenissent, una cum illis ad Collegii institutionem rediret, denuo Valentiam se recepit. Rara admodum erat Ducis hujus in omni virtutum genere perfectio, et cum hujus anni initio impetrasset a P. Ignatio ut Collegii in oppido Gandiae instituendi curam susciperet Societas, gaudio maximo affectus est. Fuerunt autem quinque Roma missi, qui calendas Novembris Valentiam pervenerunt. Quamvis autem multa aliter Dux cogitasset, sine ulla difficultate negotium totum Patris Ignatii arbitrio reliquit. Rediit ergo Gandiam Andreas de Oviedo cum sociis 16 Novembris, et tunc fundamenta Collegii spiritualis jecerunt ; materialis sequenti anno fuerunt jacta. Coepit autem ibi concionari P. Andreas et populum bene in Societatem affectum invenit, ex quo P. Araoz ibidem verbum Dei magna cum animorum commotione praedicavit. Vacaverat ad id usque tempus Dux Franciscus aliis charitatis operibus ; nam monasterium ordinis Sancti Dominici magnis sumptibus aedificaverat, et aliud Carthusiensibus, antequam de Collegio nostro aedificando ageret, etiam erigi jusserat [2].

108. Hoc anno Patres Antonius Criminalis, Joannes de Beira et Nicolaus Lancillottus in Indiam secunda die Septembris pervenerunt, cum hiemare diuque versari in oppido Mozambique coacti essent [3]. Goae P. Paulum cum externo sacerdote

---

1 Faber Ignatio, 6 Martii 46.

2 Andreas de Oviedo, *Memoria para absolución, etc.*, seu quae a Pontifice pro Duce Gandiae impetranda sunt ; idem Ignatio, Gandiae, 18 Junii ; Araoz Ignatio, idem 17 Januarii 46; Ignatius Duci Gandiae, anno 45, saepius ; et Ducis Gandiae ad Ignatium litterae et responsa.

3 Vide notam ad n. 82 positam. Undenam Polancus, et post ipsum plures harum rerum scriptores hanc Mozambiquianam hiemationem deprompsere, nescimus; quare

Didaco, novi Collegii gubernationi ac institutioni vacantem invenerunt, suaque opera sublevarunt. Erant fere sexaginta adolescentuli, intra decimum et vigesimum annum constituti, ex quibus fere viginti grammaticae dabant operam, alii legere et scribere discebant, omnes in doctrina christiana et moribus informabantur, et ex illis unus et alter ad paroecias quasdam, ab illo Didaco ad Christum conversas, dominicis diebus se conferebant, et in vernacula eorum lingua, quae canarina dicitur, cum aedificatione magna, quae ad salutem ipsi necessaria dicerant, praedicabant; aderat nunc his, nunc illis Didacus et ad perseverantiam homines animabat. Jam tunc ibi erat et cathedralis ecclesia insignis et monasteria Patrum Praedicatorum, et alii sacerdotes privati; et complures baptismum susciebant, quamvis ad id usque tempus in catechismo aut orationibus non satis instituebantur; utilem ergo operam in hujusmodi ministeriis navare nostri coeperunt.

109. Praeter ea quae ab ipso P. Francisco Xavier scribebantur, alia ex aliis Regi Portugalliae significabantur. Rex ille qui ad Christi fidem conversus fuerat, Insulae, quae Ceylan dicitur, praefuit, quae et maxima et fertilissima est, et aëris apprime temperati. Subditi vero infideles Regem suum, quod christianus esset, veneno sustulerunt, aliumque ipsi sanguine conjunctum elegerunt; qui cum Christi fidem et ipse susciperet, timens mortem, Coccinum, ubi multi christiani sunt, profugit. Referebat autem nobilis quidam juvenis, nomine Joannes Vaz, qui sex menses P. Franciscum Xavier comitatus fuerat, quod pedibus nudis, et trita admodum veste, et pileo ex tela nigra confecto, dictus Pater incedebat, et tamen vitae sanctitas, et in proximos charitas, eam illi auctoritatem conciliabat, ut Allea Pater, id est, magnus Pater vocaretur; et Regi cuidam tam fuit acceptus, ut publice per totum regnum edicto jusserit, ut ei Patri, quem ut fratrem habebat, sicuti sibi ipsi obedirent, et quicumque christiani esse vellent, ut libere id exsequi possent; magnam etiam pecuniarum summam Francisco dedit in pauperum vestes et alimenta dispensandam. Quadraginta quatuor, vel quadraginta quinque ecclesias, in ora illa maritima

---

aliis nodum hunc solvendum relinquimus. Bis Criminalem Ulyssipenonsi portu solvisse habemus in litteris Araoz.

Comurini, ubi versabatur, erigi curavit; ubi ex illis, quos secum initio ut interpretes eduxerat, tres vel quatuor ad sacerdotium promotos, cum Francisco de Mansilla, fratre nostro, reliquerat. Aliquando tria, quatuor, et etiam sex millia hominum in campum deducebat, et arborem conscendens Franciscus doctrinam salutis eis praedicabat.

110. Profectus fuerat anno praecedenti P. Franciscus Xavier cum classe Gubernatoris in regnum illud, ubi Rex multos occiderat, quod Christi fidem suscepissent (sexcentos eos fere fuisse referunt); sed cum non potuissent Regem, quem secum adducebant, in regnum illud (*Jafanapatan* vocant) inducere, quia oppugnatio tyranni differenda visa est, donec ex ejus manibus navem quamdam tollerent, quae ex Peru onerata veniebat et ab eo retenta fuerat, a tempestate in tyranni praedicti littora delata; Franciscus, qui aliquandiu in civitate Jafanapatan fuerat, cum non posset Comurinum redire ob adversos ventorum flatus, in civitatem, quae Sancti Thomae dicitur, vulgo Chiromandel, se recepit. Cum autem se Deo magno affectu commendasset, ut ipsius voluntatem perciperet, magna cum consolatione animae sensit placere Deo ut Malacam navigaret, et ad Macazares inde transiret, ubi duo Reges Christi fidem susceperant, et in ipsorum vernaculam linguam Christi doctrinam vertendo, ipsos in illa instrui curaret; et tam certo sibi persuadebat hanc esse Dei voluntatem, ut si non invenisset christianorum navigium, in aliquo saracenorum vel judaeorum eo navigare constitueret. Sub finem itaque Augusti, quo tempore flatus ventorum navigantibus Malacam secundus est, eo se contulit.

111. Macazares, ut plus quam mille leucas Goa distant, non habent idolorum ulla templa, nec cazizes aut magistros alios errorum; solem adorant, cum illum vident, nec superstitiones alias habere dicuntur. Postquam autem Malacam appulit Franciscus, dum verti curat in linguam macazaribus vernaculam catechismum (quod sane maximo labore perfecit), solitis pietatis operibus vacabat: celebre emporium est Malaca et mercatoribus ac mercibus variis frequens; dominicis ergo diebus, in templo maximo concionabatur, quotidie autem pueros pro suo more catechismum docebat, et cum in hospitali hospitium haberet, pauperes, qui in eo versabantur, sacramentis

Poenitentiae et Eucharistiae, ac Sacrificiis Missae reficiebat; aliorum etiam confessionibus sic distinebatur, ut tantae multitudini confluentium satisfacere nullo modo posset.

112. Refert in civitate Sancti Thomae, de qua supra, incolarum communi opinione existimari Sancti Apostoli corpus ibi esse, devotum ibi templum esse erectum, et supra centum familias portugallensium ibi versari. Dum autem tempus ibi ad navigandum Malacam exspectaret, mercator quidam, qui et miles diu fuerat, nomine Joannes de Ferro, de rebus spiritualibus cum ipso agens, tantum a Deo luminis accepit, ut ad merces alias pretiosiores animum convertens, navi et bonis suis relictis, Francisco adhaeserit, in perpetua paupertate Deo servire constituens. Cum vero Malacae de adventu trium illorum, de quibus supra, rescivisset, scripsit ut ex illis duo cum Mansilla se conjungerent cumque tribus aliis canarinae gentis sacerdotibus, et tertius cum P. Paulo ad institutionem puerorum ibi maneret. Interim tamen dum ibi manserunt duo ex nostris, per interpretes juvenes canarines, in neophytorum paroeciis concionabantur. Ex his sex[1] scholasticis, majores natu bonam indolem prae se ferebant, et inter omnes novem vel decem diversa idiomata variarum gentium inveniebantur, et non tantum in latina et lusitana, sed vernacula quisque legere et scribere noverat; unde et in ea christianam doctrinam vertere difficile non erat; et sic Goae doceri poterant, qui ex variis provinciis infidelium ad Christi fidem suscipiendam conveniebant. Ut Principes quidam viri eo anno venerunt, quos remitti jam christianos effectos ad suas provincias, aliquo ex nostris adjuncto, Gubernator cogitabat; venit et Dux quidam insignis, unus ex his Principibus, cum decem aliis nobilibus viris, qui, relictis uxoribus, filiis ac rebus omnibus, magno cum labore, a centum leucis et longius terrestri itinere illuc accesserant, et in Collegio quotidie in christiano catechismo instituebantur, sicut et alii plurimi, qui vernacula sua lingua fidei nostrae doctrinam conscribebant, et quidem magna cum devotione quae ad christianam religionem

---

1 Ita in mss., et quidem manu ipsius Polanco; sed videtur mendum esse pro *sexaginta*, et sermonem hic fieri de sexaginta pueris, qui in Collegio Sancti Pauli Goano instituebantur.

spectabant, suscipiebant. Dux ille quatuor pueros, quos secum adduxerat, penes nos reliquit; alii etiam ab aliis donati vel empti, alii sponte venientes in eo Collegio versantur. Qui ad Portugalliae Regem etiam scribit, de regnorum illorum conversione, de quibus superiori anno intellectum fuerat, quos non per viros eruditos, sed illiteratos et simplices Deus convertit. Fuit autem relictus Collegii Goensis Rector P. Nicolaus Lancillottus, et baptizandis compluribus tam saracenis quam gentilibus, catechismo praecedente, operam dabat [1].

113. Hoc ergo anno a Societate quatuor congregationes diversis in locis fuerunt inchoatae. Una quidem in India de qua jam egimus, altera in regno Castellae, in insigni oppido Vallisoleti, tertia in regno Valentiae in oppido Gandiae, quarta in principatu Catalauniae in civitate Barcinonae, ubi tamen quodammodo sine auctoritate superioris domus coaluit, dum ab amicis paratur domus ipsa et pii quidam sacerdotes, qui nostrum institutum sequi, et sub obedientia Societatis vivere cupiebant, in praedicta domo residere et charitatis operibus, praesertim in ministeriis sacramentorum Confessionis et Communionis et Exercitiis spiritualibus tradendis, dare operam coeperunt.

ANNUS 1546

114. Anno 1546 ineunte, Societas, et numero personarum et locorum, in quibus residebat, auctior, sollicitudinem P. Ignatii in gubernationis ministerio augebat; sed non ideo, vel quae Romae ad aedificationem facere solitus erat omittebat, vel in missionibus nostro instituto consentaneis et ad Dei gloriam pertinentibus tepidior reddebatur. Romae quidem concionum et sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae necnon doctrinae christianae fructus non poenitendus capiebatur. Baptizati sunt et judaei et turcae in domo catechumenorum non pauci. Puellae in meretricum domibus turpi exemplo male educatae et praecipicio vicinae, e faucibus daemonis sunt ereptae et in piis locis collocatae; aliquae parum honeste jam viventes, et ad

---

1 Quae hucusque a n. 108 dicta sunt, excerpsit Polancus ex litteris, a 1 ad 13, quas a Menchaca congestas habes in lib. II, *Epistolarum Sancti Francisci Xaverii.*

poenitentiam adductae in domum Sanctae Marthae sunt receptae. Sed cum inter alias una esset, quam misere deperibat Mathias, cursorum Magister, vir acer et in pontificia domo favorem non vulgarem nactus, miras in Ignatium tragoedias excitavit; sed propter Societatem, cujus bonus odor calumniis hujusmodi laedebatur, voluit P. Ignatius ut per sententiam res decerneretur; et ita non solum a suspicionibus liberatus, sed multis etiam laudibus commendatus, os calumniantibus obstruxit. Ipse etiam Mathias, recipiscens et ex uxore ducta filium suscipiens, in amicitiam et beneficentiam odium convertit. Ex domo etiam catechumenorum sacerdos quidam ad earum gubernationem electus, qui vicinae etiam paroeciae parochus erat, delationibus et mendaciis notam inurere existimationi P. Ignatii conatus est, sed Ignatio tacente et Domino negotium relinquente, veritas ipsa aliquanto post suo lumine omnes machinationum hujus viri tenebras dissipavit; et ob alia delicta acerbissime ille mulctatus, calumniarum suarum poenas dedit [1].

115. Hoc anno Romae Benedictus Palmius, acri juvenis ingenio, et qui non solum indolem ad eloquentiam et eruditionem sed ad pietatem etiam prae se ferebat, cum Bononiae se spiritualibus meditationibus exercuisset, admissus est, et cum aliis Romae probationem suam, pro illius temporis more, confecit. Doctor etiam Michaël de Torres, qui magna benevolentia Patri Ignatio conjunctus fuerat, absolutis Exercitiis spiritualibus, Deo se totum consecrare statuens, quamvis in saeculari habitu, cum Gandiae Duce aliquid conferre volens, in Hispaniam se contulit. Annibal etiam de Codreto eo anno Romae fuit admissus, quamvis Bononiae in Exercitiis Societatem ingredi statuisset. Inter alia pietatis opera, duella quaedam impedita fuere, concordiae etiam conciliandae inter nobiles aliquos opera fuit data. Et quia instituti nostri ratio ut quis ad professionem admittatur solidiorem eruditionem exigit, quam quae possit ad multos sese extendere, quorum alioqui pietas, prudentia et etiam doctrina ad bene merendum de proximis in ministerio Sacramentorum, et in catechismo explicando, et etiam in gu-

---

1 Acta in causa Mathiae, Magistri cursorum in Curia. — Quae Dominus Theophilus aliique adversus Ignatium ejusque socios proferebant. — Quae de puellis in meretricum domibus degentibus proponenda Sanctissimo sunt.

bernatione Collegiorum et aliis in rebus Societati et reipublicae christianae perutiles esse poterant, Litterae Apostolicae in forma Brevis obtentae sunt, ut hujusmodi sacerdotes, qui coadjutores vocarentur, admitti, et viginti ex eis omnia spiritualia Societatis arma communicari possint. Reformationem etiam monasteriorum Catalauniae a Carolo Imperatore et ejus filio, Philippo Principe, exoptatam et litteris commendatam, Ignatius Romae diligenter promovit [1].

116. Quamvis autem quae ad Societatem et ad alia pia opera extra illam pertinebant, Romae tractarentur, applicationes redituum ecclesiasticorum et hujusmodi negotia, quae non tam spiritualia quam temporalia hominibus videri solent, Ignatius nec per se, nec per nostros Romae tractanda censebat. Unde cum ex Portugallia aliquid tale commendaretur, in eum qui Regis negotia gerebat, ab ipso Rege nostra etiam rejicienda admonuerat; spiritualia enim decere nostros, temporalia vero, licet maximi momenti, non decorum servari, si per nos gererentur, existimabat. Aliqua etiam neque externos quidem gerere permittebat, cum instituti nostri puritati minus convenire sentiebat. Sic cum Doctor Ortizius pro sua erga Societatem charitate de quadam paroecia, quae pingues admodum reditus habebat, per auctoritatem Sedis Apostolicae ita disponi cuperet, ut unus ex professis nostrae Societatis animarum gubernationi praeesset, reditus autem ad alendos scholasticos Societatis nostrae Compluti converterentur; etiamsi in magna penuria rei pecuniariae, tamen ut id peteretur a Pontifice non permisit; sed gratias agens optimi Doctoris pietati, paupertatem nostris professis diligenter esse servandam rescripsit. Imo et episcopatus tribus vel quatuor ex professa Societate oblatos nullo modo admittendos esse censuit. Cum tamen serenissimus Portugalliae Rex, quem litteris Claudius, Aethiopiae rex, urgebat,

---

1 Quae a Doctore Michaële de Torres Florentiae, Bononiae, Parmae, Barcinone, Valentiae, Gandiae agenda sunt. — Trassumpto delle carte dell'Emperador Don Carlo in favore del monasterio di San Philippo della penitentia, de verbo ad verbum, 1.° Al Marchese di Aguilar, suo ambasciatore in Roma, Valladolid, 4 Aprilis 42; 2.° Ad Summum Pontificem Paulum III, eodem loco, die et anno. — Ignatius Hispaniarum Principi, de monasterio Sancti Philippi de poenitentia sine anno, sed 1545. — Philippus, Hispaniarum Princeps, Ignatio, de reformatione monasteriorum Catalauniae, Matriti, 22 Februarii 46, et 18 Augusti 47. — Ignatii responsa, ejusque ad alios de hac re litterae in t. I et II, passim, *Cartas de San Ignacio*.

a Summo Pontifice Patriarcham in regiones illas mittendum postularet, eumque de professis Societatis esse cuperet, et nominatim P. Fabrum, cujus integritas et doctrina Regi nota erat, expeteret, atque Ignatium cum affectus significatione rogaret, ut illarum regionum saluti consuleret ; non ita ab eo genere dignitatis suscipiendo, si Sedes Apostolica id juberet, Ignatius abhorrebat ; quia non ad otium, honores et divitias, sed ad labores, aerumnas et mortem ipsam subeundam pro Christi religione et animarum salute id fore existimabat. Et usque adeo sibi persuaserat ad Dei honorem fore et christianae religionis propagationem missionem hanc in Aethiopia, ut si alii eam suscipere recusarent, se ad hoc onus subeundum, si a Societate non impediretur, offerret ; Patrem tamen Paschasium ut idoneum esse potius eligendum censebat. Sed haec Patriarchae institutio ac missio alias ob causas in multos annos fuit dilata [1].

117. Cum in Gandiensis Collegii dotatione, id Dux Franciscus videretur expetere, ut in ipsis Apostolicis Litteris Duces Gandiae protectores illius haberentur, non esse id ejusmodi litteris comprehendendum censuit Ignatius ; ne aliquando accideret ut Duces hac protectione ad Collegii damnum abuterentur ; sed suasit potius ut Dux ipse Franciscus suis successoribus Collegium sic commendaret, ut illius protectionem, sine jurisdictione, ad ipsum fovendum ac juvandum susciperent ; et hujusmodi sententiam Dux est secutus [2].

118. Cum res Concilii Tridentini magis incalescerent sub hujus anni initium, injunctum Ignatio a Summo Pontifice fuit, ut ex nostris aliquos, qui ut Sedis Apostolicae theologi Concilio adessent, ipse deligeret. Tres igitur, scilicet, Petrum Fabrum, Jacobum Laynez et Alphonsum Salmeronem elegit ; duo posteriores cum Romae versarentur, statim Tridentum dimissi sunt ; quamvis Laynez Bassani etiam hoc anno cum egregio fructu (cujus bonus odor Tridentum, itinere duorum dierum distans, perveniebat), prius quam eo se conferret, est concionatus. Sed Faber, qui in Regis Philippi curia cum aliquot so-

---

1 Quae a Doctore Michaële, ut supra, n. 115.— Joannes III, Portugalliae Rex, Ignatio, de Patriarchatu Aethiopiae, mense Augusto 46.— Eidem Ignatius, bis Septembri mense 46 ; et Simoni Rodericio, eodem mense ; et Doctori Michaëli de Torres.

2 Ignatius Duci Gandiae, item Doctori Michaëli de Torres, 9 Octobris 46.

ciis versabatur, et ut in amplissima messe fructus uberes capiebat, majori cum difficultate evelli ex Hispania potuit; ea tamen fuit obedientiae vis, ut omnia impedimenta Faber abrumperet, et in ipsis canicularibus diebus Romam ingredi non timeret; cum autem ad coeleste concilium divina Bonitas, potius quam ad Tridentinum, Fabrum suum vocaret, ipso die Vinculorum Petri, a terrenae vitae vinculis absolutus, ad vitae coelestis libertatem evolavit [1].

119. Quamvis Dominus Andreas Lipomanus, Prior Sanctissimae Trinitatis, mediam partem fructuum sui prioratus auctoritate Apostolica reservasset, ratio tamen gratitudinis exposcere videbatur ut illi libera dispositio fructuum omnium relinqueretur, et id suo ac Societatis nomine, per litteras Societatis ipsius sigillo obsignatas, Ignatius transmisit. Duodecim nihilominus ex nostris, suis sumptibus Prior in Collegio Patavino alere constituit et praestitit [2].

120. Hoc ipso anno cum in Collegio Patavino Theologica studia Patres Andreas Frusius ac Hieronymus Otellus et ego absolvissemus, quarta Septembris inde Venetias et postmodum Bononiam pervenimus, unde duo Romam perrexerunt; unus autem [3], postquam aliquandiu ibidem subsistens et concionibus ac confessionibus et aliis piis operibus dare operam coepisset, ad alia quaedam loca ex obedientia missus, et eisdem muneribus functus non sine fructu Pistorium tandem pervenit. Id enim egerat Episcopus cum P. Ignatio et obtinuerat, qui alicujus Societatis opera, in iis quae ad se et dioecesim pertinerent, uti peroptabat. In meditationibus ergo spiritualibus cum se Episcopus exercuisset, rogaretque ut de sui officii ratione aliquid ei conscriberetur, id effectum est; et vir alioqui valde bonus, ferventior effectus, ad praedicandum (quod Episcopis parum usitatum id temporis erat) et ad caetera sui officii munera diligenter obeunda se composuit. In civitate autem

---

1 Ignatius Hispaniarum Principi, 17 Februarii 46; idem Doctori Ortizio eodem die; idem ad Societatem universam de Fabri obitu.

2 Publicum instrumentum resignationis Prioratus Lambertarum a Domino Andrea Lipomano factae in favorem Societatis pro Collegio Patavino, 12 Junii 45. — Ignatius Andreae Lipomano, 22 Februarii 46.

3 Videtur fuisse Polancus, ut patet ex anno 47. *(Nota in margine mss. apposita.)* — Polancum fuisse certum est ex litteris infra memorandis.

concionibus populum et monialium quaedam monasteria, Exercitiis autem spiritualibus sacerdotes aliquos excolere coepit. Erat ea in civitate congregatio quaedam, in qua, juxta Episcopi sententiam, optimi civitatis viri continebantur, quorum hic scopus erat ut in omnibus pietatis operibus se exercerent, et singulis diebus ante coenam in oratorium convenientes horam unam partim exhortationi, partim orationi vacabant. In hac ergo congregatione cum concionaretur, et eos instruere atque exhortari coepisset, illi qui sibi proficere videbantur, id ignorante prorsus sacerdote nostro, in Rectorem suae congregationis eum elegerunt; et cum bona pars eorum in Episcopi domum convenisset, ac eumdem intercessorem effecissent, instituerunt ut eorum curam susciperet. Tantumdem Episcopus rogabat. Sed noster rem Domino commendaturum se recipiens, postridie respondit se sub obedientia P. Ignatii vivere, ad quem omnia rejiciebat. Scripsit autem diligenter congregatio P. Ignatio, sed res ejusmodi non erat, quae Societatis sacerdotibus conveniret; aliquandiu tamen cum consolatione et fructu ipsorum suam illis operam tam in exhortationibus, quam in confessionibus praestitit. Compluribus nihilominus in locis concionabatur et aliquando bis et ter eodem die. Canonici etiam cathedralis ecclesiae ut sibi etiam aliquando concionaretur, petierunt. Agebatur autem de domo vel Collegio Pistorii erigendo; tantumdem et Prati, quod oppidum non ignobile est, decimo a Florentia et Pistorio milliario, ubi prius in platea, deinde in templo maximo idem concionatus est; sed in aliis etiam Pistoriensis dioecesis pagis, cum fructu incolarum, qui frequentes concionibus aderant, est versatus. Erantque Pistorii nonnulli, qui Deo et proximorum saluti praesertim in India se totos impendere cuperent [1].

121. Cum autem Florentiae Dux, Cosmus, significasset cuidam Societatis amico gratum sibi futurum, si Societas nostra Collegium aliquod Florentiae haberet, Pisas se contulit sacerdos ille, ut Ducis mentem propius intelligeret; et cum confirmasset Dux quod prius dixerat, Florentiam ille ivit, et inter alia

---

1 Polancus Ignatio, Patavii, 25 Junii; Bononiae, 8 Octobris; Pistorii, 19 Novembris. et Pisis, 15 Decembris 46; idem Andreae de Frusis, Pistorii, 26 Novembris ejusdem anni.

quae ipsi ostensa fuerunt, locum quemdam cum suo templo prae caeteris probavit. Accidit autem ut cum piis quibusdam hominibus ageret de puellarum, quae plurimae Florentiae esse dicebantur, quae nec ad ingressum monasterii, nec ad matrimonium dotem haberent, unde id consequebatur ut multae inspirationes et desideria sancta exsecutionem non haberent, et, quod gravius est, ut propter paupertatem suis corporibus abuterentur. Actum est ergo quaenam ratio ad hujus mali remedium iniri posset, et tandem visum est utilissimum fore si locus aliquis, ad eum modum quo Romae miserabilium puellarum monasterium institutum est, erigeretur, ubi tamdiu puellae hujusmodi in officio et disciplina continerentur, donec vel in matrimonio, vel in monasteriis collocarentur. Cum ergo animasset hujusmodi homines post concionem habitam in quodam monasterio, et rationem hujus operis instituendi proposuisset, non defuerunt qui jam tunc in hoc opus et favorem et suarum facultatum partem offerrent; et coram illo fuit qui domum offerret, fuit qui praedium, fuit etiam matrona quaedam, quae et suam operam intra domum illam et mille ducatos obtulit; ab aliis etiam alia oblata fuerunt, et ita hoc opus in multarum puellarum auxilium coaluit et crevit. Concionatus etiam est Florentiae et deinde Pistorium rediit [1].

122. Antequam Patavio hi tres egrederentur, inter studia spiritualibus Exercitationibus quosdam exercuerunt; et alius, ex eodem Collegio juvenibus quibusdam, in villa quadam vicina studentibus, eadem exercitia cum proposuisset, complures ex illis nostrum institutum sequi decreverunt.

123. Inter eos qui Parmae utiliter semen verbi Dei acceperunt, unus fuit P. Franciscus Palmius, qui nunc Bononiae in paroecia Sanctae Luciae multis juvandis dabat operam, et tres vel quatuor de Societate a P. Ignatio mitti constanter postulabat; cum enim non pauci utriusque sexus homines aliquos ex primis patribus Societatis concionantes audivissent, vel apud eos peccata confitendo profecissent, initium aliquod Collegii, ubi firmiter nostri residerent, expetebant. In Exercitiis etiam spiritualibus aliqui exerceri et de statu vitae suae aliquid constituere cupiebant. Urgebat etiam Domina Violante Gozzadi-

---

1 Ut supra ad n. 120.

na, nobilis et magnae pietatis matrona. Missus est ergo primo vere P. Alphonsus Salmeron, ut antequam se Tridentum conferret, ibidem in quadragesima concionaretur; nec solum mane sed aliquando etiam a prandio in monasteriis monialium concionabatur, et tam multis confessionibus vacare necesse ei erat, ut vix concioni parandae tempus suppeteret. Sed et scholasticis mittendis multorum benignitas nihil defuturum pollicebatur: confessionum frequentia inducta est, quamvis id temporis, ut nova, ita detractionibus quibusdam obnoxia esset; et post Pascha usque ad octavam conciones protrahendae fuerunt. Die autem Martis sequentis Patavium versus, ut inde Tridentum pergeret, profectus est; nec solum desiderio Societatis commotos animos, sed et messem valde copiosam et paratam venturis reliquit; et Bononiae multo latius bonus odor Societatis patere coepit. Demum ad festum sequens Ascensionis Domini P. Hieronymus Domenech, cum aliquot ex nostris scholasticis Bononiam perveniens, ejus Collegii, vel congregationis nostrorum prima fundamenta jecit. P. Franciscus Palmius nondum Societatem ingressus erat, sed egregii operarii officio fungebatur, et Societatis more cum alio sacerdote proximis juvandis vacabat; et post conciones P. Salmeronis ad bis centum ascendebat eorum, qui singulis mensibus communicabant, numerus, et octavo quoque die fere triginta. Victum ex eleemosynis ipse nostris curabat; et ita Bononiae apud Sanctae Luciae templum nostri habitare coeperunt, ubi Pater Hieronymus tam concionibus quam confessionibus dabat operam; et quamvis a Vicario Episcopi ad ecclesiam Sancti Petronii invitaretur, maluit tamen in templo Sanctae Luciae, ubi coeperat, conciones prosequi, quarum fructum uberiorem ibi sperabat. Eodem tamen Vicario petente et praesente, coepit in monasteriis monialium concionari, cum ipsius Vicarii consolatione et approbatione non vulgari, in cujus obedientia monasteria illa erant. Spiritualia Exercitia nobilibus quibusdam personis ea petentibus proposita fuerunt, quae ex valde remota urbis parte ad ipsum veniebant, et deinde octavo quoque die ex eis quaedam ad sacramenta Confessionis et Communionis accedebant; tamque erant ardentia multarum desideria ut ne male quidem habenti parcerent, unde et ejus aegritudo protracta est. Fuit qui a trigesimo sexto milliario ad confessionem

generalem instituendam venerat, quam, primae hebdomadae Exercitiis praemissis, fecit. Hoc etiam boni ex concionibus consequutum est, quod, praeter morem, aliorum ordinum religiosi diebus dominicis et festis concionari in suis monasteriis coeperunt. Aliqui etiam post Exercitia animum ad Societatem adjecerunt. Curatum est praeterea ut ex illis matronis, quae in spiritu profecerant, congregatio quaedam, ad monasterium Conversarum instituendum, erigeretur ; et seorsum etiam aliqui nobiles viri ad hoc ipsum convenerunt; et aliquae jam mulieres ad ingressum in praedictum locum, turpi genere vitae relicto, cum supellectili suarum domorum ac bonis suis se paratas obtulerunt. Ipso die natalis Domini quingenti fere ad communionem accesserunt ; et cum animadverterent eleemosynas oblatas non admitti, aedificationem non minimam inde coeperunt [1].

124. Venit his diebus Bononiam P. Paschasius, qui hunc annum Faventiae exegerat, ut inviseret P. Hieronymum ; non tamen ab occupationibus spiritualibus liber fuit ; multum enim temporis confessionibus audiendis fuit ei impendendum ; et deinde ad suam missionem rediit. Cum autem novus esset Vicarius eo missus, in scriptis quae tam Faventiae quam in dioecesi ejus reformatione indigebant, dedit ; novum etiam gubernatorem et hortatus est et rogavit ut diligentiam ad usuras et blasphemiarum abusum et alia vitia exterminanda adhiberet, qui non solum benigne Paschasium audivit, sed etiam quae suggessit exsequi coepit. Rogatu praedicti Vicarii, qui sacerdotes in magna ignorantia versari deprehendit, lectionem casuum conscientiae quotidie faciendam suscepit; nec interim exhortationes apud Conversas et Charitatis Congregationem, de qua supra actum est, omittebat. Inter duas familias dissidentes, inter quas gravissima odia Faventiae exarserant, sic pacem ineundam curavit, ut de ea coram notario et testibus constaret. Inter alias duas familias factiose et inter se decertantes, tantumdem facere tentavit, et cum ea in re duos vel tres menses laborasset, nihil tunc effectum est; sed paulo post, Deo corda ipsorum movente, ad pacem redierunt. Scholasticis etiam plurimis divinae legis praecepta declaravit, et ea, quae praecedente anno inchoaverat in hospitalibus, et scholis pue-

---

1 Salmeron Ignatio, a. 46.

rorum, et aliis pietatis operibus, est prosequutus. Vicarius autem cum magna sollicitudine his defectibus corrigendis, de quibus a Paschasio fuerat admonitus, dabat operam. Ab eodem missus est in pagum, Bagnacavallo dictum, ut ad reformationem satis necessariam res disponeret. Cum autem mulier quaedam, natione turca, Faventiam venisset, curavit eam inter Conversas collocandam ut catechismum christianum doceri posset, et deinde baptizari; quod et factum est. Comitatus est etiam Vicarium ad visitationem omnium paroeciarum ac monasteriorum sibi subditorum, nec sine egregio reformationis fructu ea in re laboratum est; et tantumdem in dioecesi extra Faventiam est effectum; nam et in ecclesiis et pro earum ministris, reformatione magna indigentibus, multa sunt salubriter instituta [1].

125. Videbatur P. Ignatius non parum exoptare ut in praecipuis quibusdam Italiae locis aliqua Collegia, ubi nostri litteris darent operam (non ubi alios docerent) instituerentur. Unde cum Roma Tridentum versus mitterentur Patres Laynez et Salmeron, id curavit Laynez per quemdam Philosophiae professorem in Universitate Pisana, quae a Duce Florentiae Cosmo fuerat instituta, scilicet, ut in ea saltem quatuor aut quinque scholasticis domus et victus daretur; cujus negotii curam Secretarius Ducis, qui Universitatis erat praefectus, admodum libenter suscepit. Sed et Duci gratus erat nostrorum adventus in Universitatem illam; eo tamen tempore res alium effectum non est sortita. Etiam Ferrariae, cum illac transirent praedicti Patres, a quodam Societatis amico, ac Duci Herculi familiari, idem tentatum est; sed necessarium videbatur, quo aliqua congregatio nostrorum ibi coalesceret, ut aliquis ex Patribus, qui suis concionibus animum Ducis disponeret, eo se conferret.

126. Versabatur jam ab initio hujus anni Tridenti P. Claudius Jaius, et postquam ejus legationis socius a Cardinali Augustano revocatus est, coepit ipse Claudius ad congregationes generales admitti; semper etiam particularibus, quae crebro fiebant, intererat; qua in re et in familiaribus colloquiis cum Praelatis compluribus de rebus in Concilio tractandis, non pa-

---

1 Paschasius Ignatio, Faventiae, 1 Martii et 1 Novembris 46.

rum occupabatur. Pervenerunt tandem Tridentum 18 Maii Patres Laynez et Salmeron, postquam Venetiis et aliis in locis concionando et alia ministeria Societatis obeundo, pro more suo, se exercuissent. Post ultimam autem P. Salmeronis concionem Bassani habitam, qua auditores ad crebram Communionem hortatus est, supra centum hanc piam consuetudinem inchoarunt. Tridentum cum pervenissent, non solum P. Claudium magna in gratia Praelatorum et optimum Societatis odorem spargentem invenerunt, sed et ipsi a Legatis de Monte et Sancta Cruce, qui postea Pontifices fuerunt, et ab aliis Patribus Concilii humaniter et amanter sunt excepti. Et cum a Cardinali Sanctae Crucis habitatio et reliqua victui necessaria libenter offerrentur, habitationem, quam P. Claudius in aede Sanctae Elisabeth praeparaverat, ut ad nostri ministerii munia exercenda aptiorem, praetulerunt. Eodem et Claudius se transferre cupiens, a Tridentino Cardinali, qui Ratisbonae tunc erat, veniam impetrare conatus est. Dederat illi quidem Cardinalis facultatem concionandi, antequam Tridento discederet, et ad Sacramenta ministranda suam integram potestatem, quam etiam aliis, quos idoneos judicaret, posset impertiri, et strenue hanc facultatem exercuerat in quadragesima, et praecipue in hebdomada sancta; cumque die Jovis Tridentinus Cardinalis in pauperes charitatem vellet exercere, Claudium sibi adesse voluit, et secreto quodam in cubiculo, nudo capite, pauperibus, quibus convivium paraverat, inservivit, et post prandium aquam manibus idem Cardinalis infudit, et unicuique vestem novam dedit, et crumenam cum aureo nummo; et cum brevem exhortationem ipsis fecisset, cum solo deinde Claudio cibum ipse cepit, et de rebus spiritualibus cum ipso est collocutus [1].

127. Cum Patres Laynez et Salmeron Legatorum jussu in congregatione theologorum sententias dixissent (agebatur autem de Justificatione) sic se divino cum auxilio gesserunt ut admirabilem apud Legatos et omnes Praelatos ac theologos et gratiam et auctoritatem sibi conciliaverint; et in primis Episcopi Hispaniae, qui prius eos non libenter videre prae se ferebant, sic erga eos affecti sunt, ut eorum praesentia non satiari

---

1 Laynez, Salmeron et Jaius Ignatio, Tridenti, 4 Junii 46.

posse viderentur. Multi etiam ex Praelatis sua suffragia cum nostris conferebant, et quidem in scriptis nonnulli eorum sententiam secum deferebant [1].

128. Commendaverat P. Ignatius illis tribus ad Concilium destinatis, ut consueta Societatis ministeria, quae ad aedificationem proximorum pertinent, quoad ejus fieri posset, exercerent; et cum ex omnibus christianorum provinciis Praelati Concilio interessent, ea ratione effectum est ut non solum doctrinam in dicendis sententiis summopere probarent, sed etiam ipsius instituti rationem et verbis et factis cognoscerent. Inde autem id consequutum est, ut cum multi Societatis ministeria suis dioecesibus pernecessaria esse animadverterent, nostrorum instituere Collegia pluribus in locis optarent. Partim ergo Patres illi in studiis et in sententiis suis publice et privatim dicendis distinebantur, partim in confessionibus diversarum personarum, et inter eos quorumdam etiam Praelatorum audiendis, partim in aegrotantibus et sanis, etiam Praelatis, cum aedificatione invisendis, partim pauperibus, qui extra urbem ex Legatorum et aliorum Praelatorum eleemosynis sustentabantur, juvandis operam suam collocabant. Vicissim enim ad sacrum coram pauperibus his dicendum, et eosdem in via Domini instruendos, et exhortationibus ut per eam incederent permovendos studebant. Plurimorum ex eis confessiones audierunt, eisdemque sanctissimam Eucharistiam ministraverunt, et non habentibus rosaria vel coronas coemebant, et vestibus indigentes vestiri ex eleemosynis etiam curabant. Cum etiam opiniones aliquas sinistras in viris non vulgaris auctoritatis, quod ad Societatem spectat, animadverterent, eosdem quid veritas habeat edocebant. Quod attinet etiam ad spiritualem profectum et ad dogmata, de quibus agebatur, utilem multis operam impendebant, orationesque pro Concilio et a pauperibus, et ab aliis fieri curabant [2].

129. Hoc tempore, cum Romanorum Rex, Ferdinandus, Tergestinae Ecclesiae bonum Episcopum prospicere optaret, Patrem Claudium rogare coepit, ut Ecclesiam illam admitteret;

---

1 Salmeron Ignatio, Tridenti, 10 Julii 46; ejus ad eumdem schedula de Patrum Concilii animo erga Societatem, eodem anno.

2 Instrucción dada por San Ignacio á los Padres Laynez y Salmerón cuando fueron al Concilio de Trento.

sed Claudius se animo semper alieno ab hujusmodi dignitatibus fuisse respondit, et quidem eo magis, quo illae sublimiores essent; et qui in sui ipsius gubernatione sibi tam parum satisfaceret, multo utique minus ad aliorum spiritualem gubernationem, quae ex obligatione suscipienda esset, idoneum fore. Nec solum Ecclesiam admittere recusavit, sed orationes etiam humili affectu a P. Ignatio et aliis postulavit, ut gratiam ipsi impetrarent in vocatione sua paupertatis et obedientiae permanendi. Cumque Labacensis Episcopus, Regis Ferdinandi confessarius, Venetias evocaretur, et nomine Regis Romanorum ipsum conveniret, de consilio Legati, Cardinalis Sanctae Crucis, eo se contulit. Cum autem Labacensis, post celebratum Missae Sacrificium, Regis mentem et Tergestinae Ecclesiae necessitatem explicasset, et ut Episcopatum admitteret rogasset, quamvis satis constituerat quid respondere deberet, ad orandum tamen unius horae tempus, antequam responderet, postulavit. Deinde Episcopum conveniens, se, praemissa oratione, in conscientia sua affirmavit, sibi admittendum hoc onus non sentire, gratiasque agens Regiae Majestati, de alio, qui de Societate nostra non esset, cogitandum significavit; nam et P. Bobadilla, cum episcopatum quemdam Rex idem ei offerret, nullo modo illum admisit. Notatum fuit quod Labacensis Episcopus eo die quo Venetias, ad negotium hoc tractandum cum P. Claudio, venit, parum abfuit quin in Adriatico mari mergeretur. Sed cum res hac via Regi Romanorum non succederet, per obedientiam Pontificis negotium confici expeditius censens, et litteris et per suum oratorem id obtinere conatus est; immo jam obtinuerat; sed Ignatii diligentia et auctoritate Romae effectum est, ut Pontifex sententiam mutaret, quam et ipse Rex, rationibus Societatis melius expensis, mutavit. Quamvis autem quod frigidiuscule Concilii negotia procederent, cum Carolus Imperator armis edomandos esse quosdam Germaniae Principes, in negotio religionis et in obedientia rebelles, existimasset, P. Ignatius ex Concilio revocare Laynium, ut Florentiam veniret, constituisset, aegre id Cardinalis Sanctae Crucis et alii Praesules ferebant, cum ejus suffragium in disceptatione de Justificatione perutile fore existimarent; et ita, donec id absolveretur, profectio est dilata. Inter alios, qui Patrum illorum opera adjuti fuerunt, religiosus quidam fuit, qui cum ab octo-

ginta milliaribus, ad eos consulendos de religione sua deserenda, venisset, longe alio animo, in sua scilicet vocatione manendi, ab eis recedens, ad suum monasterium rediit [1].

130. Praebuit autem aedificationis non exiguam occasionem, is modus quem in juvandis pauperibus tenuerunt. Consultis enim Legatis et Cardinali Tridentino, catalogum omnium Praelatorum et oratorum, qui a Principibus missi fuerant, et aliorum majoris notae virorum, qui Concilio intererant, confecerunt, et cum canonicum quemdam et alium civem Tridentinum ad eleemosynas recipiendas cum approbatione eorum deputassent, singillatim omnes eos, a Legatis inchoando, adierunt; et tantum eleemosynae collegerunt, ut tunc septuaginta et sex pauperes sagis, indusiis, tibialibus et calceis induerint; qui per urbem in processionis modum incedentes, ad templum, ubi unus eorum Patrum concionabatur, et praeter populum plurimi Praelati aderant, venerunt; et post concionem (quae magna auditorum consolatione et fructu est audita) prandio refecti, in suam extra urbem domum redierunt.

131. Quamvis publice concionandi munus, etiam petentibus quibusdam theologis religiosis non permissum est, nostris tamen est concessum. Unde P. Laynez, omnibus Dominicis diebus et festis, eo munere cum aedificatione functus est, et quidem frequenti gravissimorum hominum auditorio in templo Beatae Mariae. Ipso autem die Sancti Joannis Evangelistae P. Salmeron coram Sancti Concilii Patribus latinam habuit orationem, quae mirum in modum Praelatis grata fuit, unde scriptam eam dare necesse habuit et typis est excusa. Spiritualia Exercitia quibusdam Praelatis a P. Laynez data fuerunt, et magis atque magis quotidie ex vitae exemplo et doctrina et charitatis fructibus odor sparsus est.

132. Cum autem esset inter Praesules Concilii aliquis, qui validas, rationi consonas, sed tamen novas aliquas opiniones in medium adferret, P. Ignatius suam de hujusmodi opinioni-

---

1 Claudius Jaius Summo Pontifici, Paulo III, de Episcopatu Tergestino, Tridenti, 22 Decembris; Ferdinandus, Romanorum Rex, de conscientia, Ignatio per Episcopum Labacensem, 20 Augusti; Jaius Ignatio, 13 Septembris, cum inserta schedula; idem Regi Romanorum, Venetiis, 25 Septembris; idem Andreae de Frusi, 4 Decembris; idem Ignatio eadem die; Cardinalis de Carpi Romanorum Regi, eadem die; Jaius Romanorum Regi, 10 Decembris. — Cardinalis Sanctae Crucis Ignatio, 5 Decembris 46.

bus sententiam nostris significari voluit; et ea fuit, quod, etiamsi rationes hinc et inde aequales adferrentur, nunquam tamen opinionem ullam sibi in medium proferendam videri, quae declinare vel accedere ad haereticorum, aut res novas sectantium opiniones videretur; et hoc, quamdiu ab Ecclesia alterutra pars non constitueretur, esse servandum.

133. Cum redirent ex bello germanico milites complures, qui aegritudine laborantes, simul rerum, vestium et victus inopiam patiebantur, commendavit Cardinalis Sanctae Crucis hoc pietatis opus nostris; illi autem, suapte ad id munus propensi, magna cum diligentia et aedificatione inter Praelatos pecuniam collegerunt, ut vestiti (quod tempore hyemis valde necessarium erat) milites illi, post valetudinem recuperatam, in Italiam redirent.

134. In decreto Justificationis conficiendo nostrorum opera Legati multum usi sunt; qui et hoc operis illis injunxerunt, scilicet, ut omnes haereses lutheranas (exceptis his quae ad peccatum originale et justificationem pertinent) in compendium redigerent; id quod ab ipsis non sine labore magno factum est.

135. Jam tunc agebatur de Concilii translatione in aliquem Italiae locum, quia praeter bellum germanicum, aëris intemperies morborum et mortis occasionem multis praebere videbatur; prius tamen sessionem de Justificatione transigendam et tunc communi consensu Concilium transferendum visum est, quae usque ad principium sequentis anni non est celebrata [1].

136. Inter alios Praelatos Galliarum, Tridentum venit dominus Guilielmus de Prato, Episcopus Claramontanus, qui bene animatus et erga Societatem propensus erat. Is, cum P. Claudio prius, et deinde cum P. Laynez de rebus nostri instituti conferens, de duobus Collegiis instituendis, altero quidem Parisiis, altero vero in sua dioecesi agere coepit; et cum Venetias, valetudinis gratia, et inde Patavium venisset, nostrumque Collegium vidisset, Romae etiam apud Summum Pontificem facultatem applicandi domum Episcopatus Claramontani, quae

---

1 De iis quae a n. 130 dicta sunt, praeter ea, quae a Pallavicino et aliis pluribus fuse enarrantur, non sine emolumento leges commentarium tomo I, *Cartas de San Ignacio* insertum, pag. 484-495.

Parisiis in via Citharae, Collegio accommoda videbatur, impetrasset, omnino animi sui propositum confirmavit; et de Societate tam magnifice sentiebat ut ad Ecclesiae reformationem et consolationem ejus ministerio Christum esse multa effecturum speraret [1].

137. Sub hujus anni initium P. Bobadilla Coloniae versabatur, ubi praecedente anno multa ab eo ad Dei gloriam et civitatis illius utilitatem Deus egerat. Patris Canisii etiam concio-nes catholicae religionis in multis animis conservandae ac propagandae causa fuere. Quamvis autem catholici peroptarent ut ibi P. Bobadilla diutius haereret, ille tamen curiam Caesaream, cum Nuncio Apostolico, sequendo, utiliorem operam se posse navare Coloniensibus existimabat. Cum enim Regi Romanorum valde carus esset, et primariis ministris Caroli V ac fere toti nobilitati, curiam ejus sequenti, pergratus, quorum magna ex parte confessiones audiebat, et cum quibus religionis negotia tractabat, Coloniense capitulum litteras, tribus sigillis pro ipsorum more impressas, ei dederunt, ut ipsorum nomine Caesaream Majestatem ejusque Concilium alloqueretur. Apud Summum Pontificem etiam Coloniensium causam per litteras promovebat, qui gratam esse ipsius operam in Germania benignis litteris significavit, eumque ut pergeret, sicut coeperat, in aedificationem animarum incumbere est adhortatus. Spiram ergo, et deinde Ratisbonam, ubi Diaeta magni momenti erat celebranda, se contulit; et cum catholicis et protestantibus agens, per colloquia familiaria utrosque juvare in Domino nitebatur. Archiepiscopus Moguntinus, recenter electus, cum ipso prolixius de rebus valde gravibus, antequam ad Imperatorem Moguntiam rediret, egit; et de omnibus, ut oportuit, ad Summum Pontificem scripsit. Cum autem in Ratisbonensi Diaeta Carolus V armis subigere protestantes decrevisset, quos nec auctoritate Concilii nec sua in officio continere potuerat, cumque Summus Pontifex cum egregio exercitu italorum Ducem Octavium Farnesium, et ipsum etiam Cardinalem Alexandrum Farnesium, Legatum Apostolicum, eo misisset, castra Caesarea et simul Pontificia Bobadilla sequi debuit. Quamdiu tamen Ratisbonae fuit, praeter alia pietatis officia suum

---

1 Jaius Ignatio, Tridenti, 10 Martii 46.

etiam librum de Christiana Conscientia dominicis et festis diebus praelegebat; eamque lectionem imperii Principes, tam ecclesiastici quam saeculares, Cardinalis etiam Augustanus, Nuncius Verallus et alii Episcopi audiebant; et quia ex variis nationibus germanorum, italorum, hispanorum, gallorum constabat auditorium, latine praelegebat. Sed cum bellum coeptum est, occupari in castris Caesareis, in hispanorum aegrotantium confessionibus et aliorum Sacramentorum ministerio oportuit; et cum pontificius exercitus eo pervenit, supra modum occupatio et labor crevit ac fructus. Cardinalis Farnesius injunxit ei hospitalis italorum curam; multi enim tormentis bellicis adversariorum, quae propemodum innumera erant, vulnerati fuerunt; et ex concertationibus quotidianis messis haec abunde augebatur. Quamvis autem inter hos labores morbo etiam ipse tentaretur, nihilominus hilari animo suum officium facere nitebatur, cum hoc belli remedium unicum esse ad Germaniae reductionem intelligeret. Peste etiam laboravit, sed Deo juvante incolumis evasit; et cum Ratisbonam jam sanus rediret, in latrones incidit, qui praeterquam quod eum spoliarunt, etiam non semel percusserunt; sed, tribus italis apparentibus, dum latrones ad eos se convertunt, nudus cum solo indusio, sed sanus et laetus Ratisbonam pervenit. Agebat quidem Romanorum Rex de eo Tridentum mittendo; aliae etiam missiones non exigui momenti sese offerebant; castra tamen sequi debuit, ubi praeterquam quod humi dormiendum erat, aliquando etiam in capite fuit vulneratus, et si galero satis crasso non fuisset ex parte defensus, de vita fuisset periclitatus. Cum autem Romanorum Rex quemdam, et quidem per equos dispositos, ad eum misisset ut Episcopatum admitteret, suam vocationem esse paupertatis respondit, nec alios suae Majestati defuturos, cui ea dignitas conferri posset. Fuit autem ejus opera in his, qui vulnerati erant, curandis, circa ea, quae ad animam et corpus pertinebant, perutilis. Unde Cardinalis Augustanus, quo tempore inter aliquos rumor de Concilii dissolutione spargi coepit, Deo se gratias agere scribebat, quod Patrem Claudium elegisset, ut ei suo nomine assisteret; si tamen id dissolvi accideret, ab eo per litteras petebat ut ad castra se conferret, ubi Cardinalis Farnesii et aliorum Praelatorum favore, multa pietatis et devotionis opera a Bobadilla

fiebant, et milites dum confitentur et timorem Dei retinent, spem faciebant quod omnia ad Dei honorem prosperum erant successum habitura [1].

138. Profectus fuerat Roma mense Septembri Doctor Michaël Torres cum P. Christophoro de Mendoza, jam tunc in Societatem admissus, quamvis animi sui propositum non prius manifestaturus esset, quam alia quaedam in Hispania negotia absolvisset; et cum ejus socius in itinere febricitare coepisset, magna cum charitate et humilitate illi omnia obsequia impendebat, quae aegris solent esse necessaria. Invisit Ducem Gandiae et vehementer miratus est humilitatem profundam et abnegationem ac puritatem illius et totius perfectionis studium. Jam pridem divina Bonitas post Imperatricis mortem, magna donorum suorum communicatione praedictum Ducem Franciscum de Borgia ornare coeperat, sed post uxoris mortem, quae hoc ipso anno mense Martio obdormierat in Domino, toto animi conatu, in perfectionis studium incumbebat; et ex eis Exercitationibus spiritualibus, quibus se ipsum ad sui contemptum et humilitatem exercitabat, libellum conscripserat, quem idem dominus Torres perutilem cuivis hominum statui, qui in spiritu proficere optarent, existimabat, et ut in lucem ederetur auctor fuit. Tanta autem reverentia et animi submissione P. Ignatii consilia amplectebatur, ut etiamsi aliter prius ipse sensisset, sine ulla difficultate judicium proprium illius sententiae submitteret. Quod non solum in Collegio Gandiensi visum est, sed etiam in alio pietatis opere, quod domina Joanna de Meneses dotare in mulierum pauperum monasterio erigendo instituerat, et Societati administrationem commendabat; sed rationibus his auditis, quas Ignatius scripsit, et aliis, quae de earum administratione proposuit, quaeque sine Societatis ministerio vel opera exerceri poterant. Dux statim Ignatii judicio acquievit ejusque consilium est amplexus. Exercitia autem spiritualia, quae ipse et alii plurimi cum singulari animae consolatione et profectu absolverant, sic suspiciebat, ut aliquam approbationem Sedis Apostolicae, ne tamquam nova quoque timerentur,

---

1 Bobadilla Ignatio, Ratisbonae, 12 Aprilis; Claudio Jaio, 7 Maii; Doctori Torres, 16 Julii; Claudio Jaio, ex castris prope Ingolstadium, 17 Augusti; Ignatio, ibidem, 25 Augusti et 5 Septembris 46; Cardinalis Augustanus Jaio, de Concilio, Ratisbonae, 29 Aprilis; idem eidem, ad castra invitans, Neoburgi, 20 Septembris 46.

curandam esse existimaret; et ab ipso P. Ignatio facultate impetrata, a Summo Pontifice obtinuit, ut quicumque se in praedictis meditationibus exerceret, deinde confessionem generalem institueret, Indulgentiam plenariam consequeretur.

139. Antequam Romam P. Petrus Faber venisset, ut inde ad Concilium se conferret, Ducem Franciscum inviserat, et quoniam jacienda erant tunc Gandiensis Collegii fundamenta, primum lapidem in ea posuerat. Cum autem de ejus obitu certiores facti essent Gandienses, singulari animorum consolatione tamquam diem Nativitatis ejus in Jerusalem coelesti nuncium acceperunt, et eodem advocato, singularem in spiritu profectum experiebantur; et, ut scripsit P. Andreas, jam Aethiopiae Patriarcha, fuit aliquis Gandiae in rebus spiritualibus mirum in modum insignis, qui per revelationem a Domino acceptam se vidisse Fabri gloriam admirandam testatus est, et ab eodem audivisse multa de gaudio, quo fruebatur, quod per obedientiam mortem obiisset [1].

140. Eodem anno Philosophiae cursus in Collegio Gandiensi fuit inchoatus; ejus autem lector Franciscus Onfroy, gallus, prius conclusiones in Logicis, Physicis, Metaphysicis, Moralibus et Theologicis, coram Duce et quodam Episcopo, eruditisque aliis et nobilibus auditoribus, per triduum sic sustinuit, ut et ingenii et doctrinae ac modestiae specimen et aedificationem quam maximam praeberet. Quae omnia, cum oratione latina ab eodem lecta, sic Duci placuerunt, ut secundas etiam positiones coram Episcopo Valentino, quem brevi exspectabat, ab eodem defendi optaret; quod in festo Sancti Francisci, in templo Sanctae Claraej, cum non minori aedificatione ac satisfactione peractum est. Auditores autem ex nostris et ingenio et singulari profectu in virtutibus conspicui erant. Augeri nostrorum numerus Gandiae Dux voluit, ut saltem duodecim studiis darent operam; et cum Valentiae P. Miron spiritualia Exercitia juvenibus quibusdam eruditis communicasset, et ex illis ad institutum Societatis aliquos adspirare videret, scripsit Gandiam ut sibi significaretur, an eo aliquos ex eis posset destinare; et Ducis hoc responsum fuit, ut diligentiam ipse adhiberet ad eos mittendos, nam ad eosdem admit-

---

1 Faber Araoz, Valentiae, 10 Maii 46.

tendos, semper Gandiae locum futurum. Voluit praeterea ut suis expensis aliqui Compluti alerentur, et ad Archiepiscopum Toletanum Silicaeum officiosas admodum litteras dedit, rogavitque ut eam animi propensionem, quam ad benemerendum de aliquo suorum filiorum ostendisset, in Complutensium scholasticorum Societatis Jesu beneficium converteret. Has litteras Doctori Torrensi commendavit; et quia Caesaraugustae etiam aliquam Societatis congregationem cupiebat inchoari, ad Archiepiscopum ejus civitatis, suum avunculum, et ad Pro-regem Aragoniae, et alios primarios viros, ad id litteras ferendas praedicto Doctori dedit, et ut exemplo alios invitaret, domum, quam ipse Caesaraugustae habebat, ad Collegii habitationem et reditus ad aliquos collegiales sustentandos obtulit. Sed et Hispali, cum matertera sua, Ducissa Medinae Sydoniae, et cum Marchionissa de Pliego, de Collegio erigendo agere constituit; et ex reditibus suae perceptionis, quam Commendam vocant, Sancti Jacobi, quae prope Hispalim est, partem ad sustentationem nostrorum assignare statuerat; et hanc rationem inter alias assignabat, quod ubicumque reditus ipse aliquos haberet, decimam Societati persolvere cuperet; nec mirum si de rebus his externis libenter quod poterat offerebat, cum et se ipsum Societati dedere jam serio cogitare coepisset, imo et, expeditis quibusdam negotiis, id exsequi jam constituisset et P. Ignatio per P. Fabrum significasset [1].

141. Fervebat eo tempore Dei opus Gandiae, et P. Andreas de Oviedo in spiritualibus meditationibus aliquos viros nobiles, imo et matronas primarias exercebat; et, ut scribit, tanta erat exercitiorum hujusmodi auctoritas, ut dum iis proponebantur, alii qui eadem expectabant, se posthaberi dolerent; et simul duodecim vel quatuordecim ab eodem exercebantur, qui confessiones generales instituebant, aliqui etiam ad Societatis nostrae institutum animum applicabant. Inter alios monachus quidam, concionator et Theologiae lector, ut humiliter exerceri voluit, ita et in exercitiis multum profecit. Episcopus Segobri-

---

1 Jacobus Miron Ignatio, Valentiae, 4 Augusti 44; 16 Junii 45; 15 Septembris et 19 Octobris 46; idem Hieronymo Domenech, 12 Novembris 46; idem Ignatio, 15 Novembris 46. — Araoz Ignatio, 22 Maii 46.— Franciscus Borgia Ignatio, de spiritu et conscientia, 16 Januarii; de Collegio Gandiensi, 28 Maii; de approbandis Exercitiis, 7 Junii; idem Archiepiscopo Toletano, in commendationem Societatis, 8 Novembris 46.

censis ad sustentationem collegialium se non parum beneficum exhibuit; aedificium Dux urgebat, et hoc ipso anno absolvendum curabat [1].

142. Valentiae P. Miron concionari coepit, et cum sociis partim per colloquia familiaria, partim per proposita exercitia, partim per sacramentum Poenitentiae, non paucis utilem operam navabat. Aliqui ex eis, qui ad institutum nostrum a Domino movebantur, eruditi ac bono ingenio praediti juvenes, admissi sunt. Crescebat etiam paulatim numerus nostrorum, inter quos P. Emmanuel de Saa Theologiae, Petrus Canalis et Joannes Gottanus, galli, Philosophiae cum laude ingenii operam dabant. Cum Valentia transiret Pater Faber, ad strenuam operam litteris dandam nostros hortatus, diligentiores eos effecit. Sed et P. Ignatius, dum ad se positiones Theologorum, ac Philosophorum, et compositiones eorum, qui litteris humanioribus dabant operam, mitti jubebat, ad studia haec serio capessenda multum animabat.

143. Fuerat Antonius Araoz usque ad principium hujus anni Valentiae, et suis concionibus per tres menses multorum animos ad spiritus profectum inflammavit, multorumque suspiciones, quas ex maledicorum colloquiis, etiam viri graves hauserant, luce veritatis dissipare curavit. Inquisitores etiam serio favere rebus nostris (postquam diligenter multa investigarunt, et ipsis plene veritas fuit perspecta) coeperunt. Et inter caeteros Archiepiscopus, vir sanctitate eximius, serio Societati favere, ac res ejus commendatas habere, se ostendit. Tantumdem alii doctrina et nobilitate clari facere coeperunt. Cum autem in Regis Philippi curia pernecessariam esse Araozii operam Faber scriberet, necesse habuit Araoz aliis valedicere. Complures discedentem sequi cupiebant, quod tamen minime permisit. In curia vero Regis Catholici in concionibus cum peculiari Dei favore se exercere coepit, et quamvis confessionum et spiritualium Exercitiorum occupatio, multum utrumque occuparet, labor tamen rescribendi multorum litteris et nobilium visitationes graviores erant. Aemilianus etiam de Loyola concionari cum admiratione multorum coeperat. Et quamvis

---

1 Andreas de Oviedo Ignatio, Gandiae, 18 Junii binae; 13 Octobris 46 et 20 Februarii 47.

auctoritatis plurimum Faber et ipse Araoz in curia regia, nec minus gratiae haberent, non deerat qui diligenter res ipsorum exploraret, et quo tandem evaderent attente exspectaret. Apostolicus Nuncius Poggius de rebus temporalibus, quod necessarium erat, providebat; unde aliis nobilibus, qui libenter necessaria suppeditassent, occasio beneficentiae adimebatur; a quibusdam tamen magnatibus aliquid admittere cogebantur. Quae autem Deus P. Fabri ministerio, antequam ex curia recederet, in his magnatibus, qui columnae videbantur, fuit operatus, scribit Araoz esse admiranda, et in altissima existimatione eum apud omnes esse; additque: « talis ille est, ut si experimento compertum vobis esset, ut est huic pauperi, qui sine tali Fabro relinquitur, gratias ageretis Deo, quod eum vobis videre liceat. Ejus anima plena est misericordiis ejus, qui earum Pater est et Deus totius consolationis. Confessiones audiebat plurimorum nobilium ac magnatum; et ejus recessum multae lacrymae sunt consequutae [1] ».

144. In insigni oppido Methymnae-Campi agi coeptum est de domo ibi instituenda, sed res ad aliquot annos dilata fuit. In oppido Vallisoleti P. Didacus Mendez cum paucis sociis, post curiae discessum, manserat, et messem spiritualem valde copiosam habebat. Ibidem autem Hermes ac Cornelius, Conimbrica missi, feliciter in Domino ex hac vita migrarunt. Quidam autem ex nostris cum magna ibi frequentia et fructu concionabatur, Doctor Nepos vocatus; sed hoc etiam anno, magno sui desiderio relicto, in meliorem et ipse vitam migravit [2].

145. Cum Complutum inviseret Araoz, in Collegio, quod Majus vocant, cum applausu insigni ac fructu concionatus est; quod subsequutae Confessiones, et spiritualia Exercitia expetita, et aliae publicae mutationes ad aedificationem aptae, testata sunt. Fuit inter collegiales eos, qui, inscio P. Araoz, pedibus

---

1 Araoz Ignatio, Valentiae, 11 Decembris; idem Bartholomaeo Ferron, ibidem, 22 Decembris, 45, et eadem die Elisabethae Roser; idem Ignatio, Gandiae, 16 Januarii, et Valentiae, 26 ejusdem mensis et 29; idem Ignatio, Matriti, 6 Martii; Bartholomaeo Ferron, ibidem, 3 Maii, et eadem die Ignatio; idem Fabro 21 et Ignatio 22 Maii 46.

2 Ut supra ad n. 143. Cornelius Wischaven junior, senioris nepos, non Vallisoleti obiit, ut narrat Polancus, neque in mari, ut refert Delplace (*L'établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas*, Append. I), sed in flumine raptus et suffocatus, postquam duorum dierum iter Conimbrica Vallisoletum versus confecerat. (Vide *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, tomo I, Append. 2, n. 20.)

nudis eleemosynas cum sacco permendicaret, et propter nobilitatem et auctoritatem non solum scandalum non est sequutum, sed ad aedificationem multorum id fuit. Nostris autem complutensibus, ut domi sacellum habere possent, Domina Eleonora Mascarenias necessaria dedit, et inter caetera altare quoddam penicillo depictum, quod Princeps Philippus ei dederat, et Reginae Elisabethae olim fuerat. In palatio Confessiones generales aliquae auditae sunt. Cum autem Vice-cancellarii Aragoniae morti adesset Araoz, et multas horas cum eo (nec enim deserere ipsum voluit) exegisset, aliqui magnates, qui et ipsi interfuerant, tantum exhortationibus et aliis mediis, quibus morientem juvabat, commoti fuerunt, ut ei aliqui ex eis significaverint, cupere se in ejus manibus mori ; et cum bonus hic rumor percrebuisset, ad alios morientes juvandos magno cum studio arcessebatur. Inter alios, cum mercator quidam insignis capite mulctandus esset, protestatus est ut sibi morienti adesset, alioqui, si ipsi aliter quam oporteret quicquam accideret, ut sibi Araozius imputandum sciret. Cum accidisset ut clericus quidam magno cum scandalo concionatus esset, rumor sparsus est quod de Societate nostra esset, aliis eum Ignatium esse, aliis Licentiatum affirmantibus ; die autem sequenti compertum est ipsum omnino insanisse. Et paucis post diebus, ipso festo Pentecostes, cum in maximo templo Araoz concionaretur, et quidem tam frequenti auditorio, ut intra templum non posset contineri, tam abunde omnibus satisfactum est, ut non hominem sed angelum locutum esse multi dicerent ; et vere digitus Dei ibi visus fuit, ut sanctus hic rumor alium praecedentem expelleret, et de nostris vesanum illum non fuisse constaret [1].

146. Cum quaestio orta fuisset de conjurationibus, quae contra locustas exerceri solebant, uni ex Inquisitoribus cum Patre Araoz res est commissa, et ad Dei gloriam cessit quod ab ipsis est constitutum; nam superstitionibus exclusis, modus et forma Ecclesiae consueta observanda tradita est ; et ex allatis testimoniis, quantum inde utilitatis sit consequutum constitit. Prae labore nimio (ut creditur) in gravem aegritudinem Araozius incidit, et bis in eam recidit ; adeo ut, quo tempore Faber

---

1 Ut supra ad n. 143 et litterae Araoz Ignatio, Matriti datae, in Dominica Trinitatis, id est, 20 Junii 46.

ad meliorem vitam Romae migrabat, ipse a medicis jam jam moriturus credebatur ; sed multorum orationibus ejus vita donata est. Aërem mutare coactus fuit, Principe ipso curam ipsius commendante Episcopo Pampilonensi et Gubernatori; quamdiu autem in curia aeger mansit, Nuncius Apostolicus eximia charitate pro infirmario fuit. Tanta sitis erat in multis verbum Dei ab eo audiendi, ut nec portas templorum ingredi permulti possent, nec febricitanti parcerent, ad concionandum importunis eum precibus trahendo; immo cum et ipse aegrotaret, et Comitissa de Palamos, morti propinqua, ut sibi adesset postularet; duabus noctibus illi adfuit et illo ipso die quo animam Deo reddidit. Cum Secretarius etiam Cobos in aegritudinem recidisset, sibi eum adesse, qui tamen id temporis aberat, peroptabat, ut in iis, quae ad animam pertinent, illi Secretarius esset [1].

147. Nostri, qui Barcinone versabantur, non inutilem proximis operam navabant. Eo anno orphanorum domus albis vestibus pueros indutos ibidem habere coepit, expensis Dominae Guiomarae Grallae, quae P. Fabro confitebatur. Is autem cum Romam navigaturus esset, Barcinone ob tertianam febrim substitit, et nihilominus concionibus et Confessionibus audiendis cum fructu pro more suo vacavit. Ea vero mora in causa fuit ut aestibus mediis canicularium dierum Romam ingressus in extremum morbum incideret [2].

148. Hoc anno 1546 ex provincia Lusitaniae decem in Indiam missi sunt, sex eorum sacerdotes, inter quos fuerunt Franciscus Perez et Henricus Enriquez; sed statim alii admissi locum ipsorum suppleverunt. Urgebat missiones has Rex serenissimus, sicut et Aethiopicam; inde enim scriptum fuerat optare Regem ut novus Patriarcha ab Apostolica Sede mitteretur; negabant enim se velle in posterum babylonicam doctrinam, in qua hactenus instituti fuerant. Ut autem sacerdotes consecrare posset, aliquis ex nostris in Patriarcham esse promovendus videbatur. Sed aliter rem habuisse nec tam sincerum animum Principis Aethiopiae aut subditorum ejus fuisse experimento postea compertum est [3].

---

1 Ut supra ad n. 145.

2 Faber Ignatio, Barcinone, 21 Junii 46.

3 Joannes III, Portugalliae Rex, de missione Aethiopica, et Patriarchatu, mense

149. Pater Simon non solum praeceptoris, sed et confessarii Principis officio fungebatur; qui decem annos natus, octavo quoque die, sexta feria, confitebatur, et eo pollebat judicio ut viginti annorum videretur. Erat autem messis in curia Regis copiosa; et qui eam superioribus annis perspectam habuerant, non poterant insignem mutationem ac emendationem non agnoscere; quod verbi Dei praedicationi et sacramentorum Confessionis et Communionis crebrae sumptioni acceptum, referendum est; alia etiam charitatis et pietatis opera ex his consequebantur [1].

150. Interim in Collegio Conimbricensi octoginta jam collegiales erant, ac praeter eos, quindecim vel sexdecim in hujusmodi Collegii necessariis servitiis occupati, et quindecim alii Confessiones audiebant; eorum autem Rector, P. Martinus de Sancta Cruce, non solum eos facilitate magna regebat, sed et aliis pietatis operibus incumbebat; inter quae illud unum fuit, quod monasterium quoddam monialium, adjutus aliquot concionibus Patris Stradae et aliorum e nostris, ad reformationem vitae egregie permovit [2].

151. In quadragesima P. Franciscus Strada verbum Dei praedicavit in diversis equidem ecclesiis; et cum jam assignati concionibus dies in singulis ecclesiis essent, magna in eas auditorum multitudo confluebat. Die autem Jovis Sancti, cum Mandatum Christi mane alio in templo praedicasset, a prandio domi de eodem praedicare debuit, et suggestum ad campum vicinum propter frequentiam auditorum educere oportuit. Sequenti autem die Veneris Sancti in cathedrali ecclesia de passione Domini praedicavit, Conimbricensi Episcopo praesente, qui eum ad concionandum invitaverat, cum alio quodam Episcopo, qui compluribus ex nostris et inter eos P. Ludovicum Gonzalez ad sacros ordines paulo ante promoverat; qui, quamdiu concio duravit, multas lacrymas effundebat. Cum autem jam absolutam esse praedicationem putarent, petiit Strada sibi Crucifixi imaginem dari; quam cum populo ostenderet, et verba quaedam ad compatiendum excitantia adjungeret,

---

Augusto 46; Ignatius, Regi Portugalliae, Doctori Michaëli de Torres et Simoni Rodericio, mense Octobri 46.

1 Araoz Ignatio, Fabro, Ferronio, aliisque toto hoc anno 46.

2 Faber Ignatio, 9 Januarii 45.

tantus fuit in universo auditorio a viris et foeminis planctus excitatus, ut per quartam horae partem, perinde ac si hominum fuisset una voluntas ac sensus, suspiriis et gemitibus ac vocibus flebilibus totum templum impleretur; adeo ut qui praesentes erant, nihil se unquam simile vidisse affirmarent, et prae dolore in multis anima a corpore velle recedere videbatur. Plurimi his praedicationibus et confessionibus a Deo commoti hoc tempore in Societatem ingressi sunt et inter eos Gaspar Franciscus, natione Flander, de quo infra, qui tunc in Philosophia promotus erat [1].

152. Coepit autem Collegium temporales reditus habere; nam quidam, cognomine Ariaga, musicus, cum ex hac vita decederet, possessionem quamdam, quae multa ducatorum millia aestimabatur, Collegio legavit. Rex etiam duo monasteria, alterum quidem ordinis Sancti Benedicti, Sancti Felicis, alterum ordinis Sancti Augustini, Sancti Joannis de Longavalle, partim Nuncii Apostolici, partim Summi Pontificis auctoritate, applicanda donavit. Cum autem ad possessionem capiendam Sancti Felicis, quidam ex nostris, Fernandez nomine, missus fuisset, coepit in eo templo in quadragesima tanta cum aedificatione et admiratione concionari, ut ultra viginti leucas bonus odor in Domino spargeretur; cumque eo duo sacerdotes ad Confessiones audiendas missi essent, egregium et ipsi fructum collegerunt, et subditi monasterii gratias agebant Deo, quod in nostrorum manus venire concessum ipsis fuisset. Pauculi quidam monachi, qui sine observantia ordinis sui ibidem degebant, per Exercitia spiritualia ad reformationem adducebantur; et unus eorum ad Collegium ad dies aliquot deductus, sic profecit, ut de anteacta vita graviter dolens, ad vitam in communi et sub obedientia exigendam fuerit paratissimus. Ad locum etiam alterius monasterii P. Morales, missus cum socio confessario, concionatus est eis et Confessiones excepit; et ipsi etiam

---

1 Martinus de Sancta Cruce Fabro, 22 Octobris 45, et Ignatio sub idem fere tempus aut anni sequentis initio. — Gaspar Franciscus est egregius ille Xaverii imitator, Gaspar Barzaeus. De eo ejusque nomine haec TRIGAULT: "Patrem Franciscum, matrem Agnetem dictam ferunt. Unde factum existimo ut in Lusitania Gaspar Franciscus appellaretur more suae gentis, cognomen a parentis nomine mutuatus, tanquam peregrinum minus, et Lusitanis auribus altero cognomine familiarius„. *Vita Gasparis Barzaei, Belgae, e Societate Jesu,* l. I, c. 1. DELPLACE, op. cit., ait ejus familiae cognomen fuisse *Berse,* quod latine dictum est *Barzaeus.*

[monasterii accolae] benedicebant Deum, quod in potestatem Societatis nostrae ipsos deduxisset. Monialium etiam varia monasteria Conimbricae, et unum etiam prope urbem exstans, magnos in spiritu progressus fecerunt, et communem vitam ac sub obedientia ducere constituerunt. Concordiae etiam inter aliquos dissidentes conciliatae fuerunt. Aedificium autem Collegii voluit Rex ut ex reditibus jam dictis fieret; nam ad nostrorum sustentationem, prout coeperat, necessaria ipse suppeditare volebat [1].

153. Cum autem P. Strada gravissima amissas aegritudine, quae prope ad sepulcrum eum deduxerat, vires recuperasset, in peregrinationem ad templum Sancti Jacobi in Compostella a Patre Simone missus est, ita ut in pauperum hospitalibus diverteret, et ex mendicato pro more peregrinantium viveret, et nihilominus praedicationi et aliis instituti nostri ministeriis, cum socio sacerdote, vacaret. Ad civitatem ergo, quae a portu nomen habet, cum pervenisset, magna cum charitate ab Episcopo exceptus est, nec recusare potuit, quin ad victum necessaria, quamdiu ibi versatus est, ei ejusque socio Episcopus subministraret. Postridie quam venerat, primam habuit concionem in campo quodam e regione cujusdam templi, quo major pars civitatis in solemni processione se contulerat; usque adeo autem hominibus praedicatio placuit, eorumque animos permovit, et avidos audiendi verbum Dei fecit, ut cum in posterum ter et quater in uno die concionaretur, minimum auditorium trium millium hominum fuerit, et saepe multo frequentius. Duos ibi menses haerere eum oportuit, in continuis et perutilibus occupationibus, tam populo quam religiosis utriusque sexus, qui aperte fatebantur, se novos animos novaque sui profectus desideria in se experiri. Canonici etiam, et alii clerici, magno cum fervore, suae salutis ac profectus media ab eo audire studebant; et multi se ipsos promptos offerebant, ad ea omnia facienda, quae ipsis suaderet. Aliqui omnino constituerunt religionem ingredi, quorum quidam in Conimbricensi Collegio admissi sunt; unus eorum erat ado-

---

1 Ignatius Simoni Rodericio sub finem hujus anni 46. — Publica instrumenta donationis, Litterae Apostolicae annexionis Monasteriorum Sancti Benedicti de San Fins et Sancti Joannis de Longavares.

lescens, canonicus ejus civitatis, qui alios etiam ecclesiasticos reditus habebat; qui cum se Conimbricam insalutatis parentibus conferret, illi qui magnam in eo spem sitam habebant, aliquos miserunt, qui juvenem consequuti in civitatem Portus reduxerunt; cum autem ante hospitalis portam, in quo nostri habitabant, deduceretur, et eo ingredi permissus esset, ad cubiculum unius ex patribus confugiens, suis significavit se inde non recessurum; cumque eo pater et alii primarii civitatis viri venissent, multisque modis Religionis ingressum dissuaderent, et inter caetera quartum praeceptum de honorandis parentibus objicerent, ille respondens primum praeceptum esse de Deo super omnia amando, stabilis in animi proposito permansit; accessit ad eum mater multis cum lacrymis; misit et fratres ipsius aliasque personas et litteras; et cum frustra omnia tentarent, vestes quasdam sericias, quas habebat, petierunt; quod ille perlibenter audiens, omnibus se vestibus usque ad calceos expoliavit, et ad eos misit, famuli cujusdam, qui ei inserviebat, vestibus utens; et si ei permissum fuisset, publice per urbem eleemosynam petiisset. Magna fuit et commotio et mutatio a Deo facta in illa urbe; alii enim in paupertate perpetua vivere, alii eremiticam et ab hominibus separatam vitam ducere, alii peregrinari constituebant; Confessiones autem erant tam crebrae, ut cum tertius Conimbrica confessarius missus esset, et quartus se illis in eadem civitate adjunxisset, ab aurora usque ad noctem satisfacere accedentibus non poterant, cum tamen in monasteriis et aliis ecclesiis multae Confessiones praeter morem audirentur. Pax inter varios discordes fuit conciliata; odia antiqua cessarunt; restitutiones factae; visitata hospitalia, et aegrotantes sacramento Poenitentiae et eleemosynis, quas ostiatim per urbem petebant, sunt adjuti; custodiam etiam publicam invisentes nostri, spirituali et temporali subsidio, in ea detentos consolati sunt; licet enim jam dudum quadragesima transacta fuisset, nullus ibi confessus fuerat, et aliqui sine eo Sacramento moriebantur; sed nec toto anno sacrum aut verbum Dei audierant, nec erat qui de Deo mentionem ullam faceret; coeperunt ergo et eis concionari, et eorumdem negotiis expediendis dare operam, et eleemosynas etiam multis, qui valde destituti erant, providerunt, et inita ratio est ut Missae sacrificium audirent et aquam benedictam

haberent. Situs quidam Stradae donatus est, et curatis ad id eleemosynis, ibi sacellum fuit institutum; ubi non solum qui in custodiis sunt, sed et alii, quod loco sit eminentiori , sanctissimum Christi Corpus videre possint; et quamvis aliqui sacerdotes ad tempus unius anni sacrum ibi facturos receperant, quia Strada id in perpetuo fieri optabat, ab Episcopo obtinuit ut peculiari in anno salario ad sacramenta administranda sacellanus institueretur; sed et eleemosynis et sacris imaginibus sacellum ornandum curavit; et tres honestos cives administratores ad id relinquens, ut, in subventionem detentorum in custodia, eleemosynas peterent, valedixit et carceri et aliis monasteriis, ubi concionari solitus erat; et apud omnes tantum sui desiderium relinquebat, ut essent qui peregrinantem sequi vellent, et quidem multis cum lacrymis; redire tamen ad propria omnes coegit. Et suam peregrinationem sequutus, ubique ad verbum Dei excipiendum avidissimos auditores invenit, eosque in Domino sacra doctrina refecit. Archiepiscopus Bracarensis serio ipsi injunxit ut quidquid ad bonam gubernationem archiepiscopatus conferre animadverteret, ipsi suggereret, omnia se facturum promittens; injunxitque etiam a prandio ut omnes ad concionem audiendam venirent; itaque brevi temporis spatio ecclesia cathedralis, quae magna quidem est, auditoribus tamen tota repleta fuit; et cum duas horas esset Strada concionatus, tanta cum aedificatione et tam avide audiebatur, ut cum finiendum erat, tunc incipere audientibus videretur. Noluit suum hospitium, scilicet hospitale pauperum, deserere; at Archiepiscopus omnino voluit necessaria eis et tam large subministrare, ut aliis peregrinis de Societate, qui tunc eo pervenerant, aliis etiam pauperibus, sufficeret. Ibi cum bis terve concionatus esset, Galliciam perrexit, quo ipsius fama jam pervenerat. Unde in civitate, Redondella nuncupata, ubi concionari coepit, qui ei praeerat, campanula per civitatem circum acta, omnes ad praedicationem venire jussit; quare ibi valde frequens auditorium, et quidem multis cum lacrymis ac devotione habuit. Cum vero a clerico quodam divite, sed, ut videbatur, dissolutiori quam par esset, hospitio esset exceptus, usque adeo ex ejus colloquiis hospes commotus est, ut terrenis rebus valediceret, et religionem ingredi omnino constitueret. Accidit autem ut aliqui peregrini Societatis, per civitatem Por-

tus, Conimbricam redirent, et in hospitali pauperibus inservirent; unum eorum cum de Societate esse aliqui honesti viri cognovissent, summa cum reverentia, genibus obvoluti, rogabant pro Patris Stradae reditu, quem si non obtinerent, ad Summum Pontificem se ituros asserebant; sed P. Simon libenter eis concessit, rogante etiam Episcopo, ut per mensem et amplius apud eos in reditu Strada maneret. Inde Conimbricam rediens, everrendi domum officium, ejus autem socius inserviendi coco acceperunt, quod multo illis magis quam civium portuensium veneratio placebat. Inter ea quae in portuensi civitate utiliter gesta sunt, congregatio fuit quaedam ad omnia pietatis opera instituta, cui qui nomen dant, singulis diebus dominicis congregantur, tum ad rationem reddendam eorum, quae pie ab ipsis in proximorum auxilium gesta sunt, tum quo prospiciant ut alia in posterum, quae necessaria videntur, fiant. Haec peregrinatio P. Stradae magnam in regno Portugalliae instituti nostri notitiam dedit, et ejus actiones finem ipsum instituti declararunt; unde ubique magna cum admiratione loqui de eo coeperunt; et tam serio omnia charitatis opera exercere, nullumque temporale commodum, sed solam Dei gloriam et proximorum utilitatem quaerere, ut novum valde, ita et admirandum videbatur. Aliqui Episcopi et Praelati magno studio aliquos de Societate expetere coeperunt, ad suas dioeceses vel loca in spiritu juvanda, alii etiam temporalibus bonis Collegium promovere, aut novas congregationes instituere cupiebant. Rex autem impense admodum et favere et adjuvare nostros pergebat.

154. Erant ex collegialibus aliqui qui, studio se ipsos vincendi et abnegandi, tam multa tentabant, ut fraeno prorsus indigerent; cum eorum unus, peregrinando, quamdam ecclesiam esset ingressus, in qua magna hominum turba cantibus et saltationibus saecularibus irreverenter operam dabat, in editum locum ascendens silentium eis indixit; cum autem illi tacuissent, coepit concionari supra illa verba Sancti Matthaei : *Domus mea domus orationis vocabitur,* et cum pauca dicere coepisset, vir quidam nigri coloris ad eum accedens, jussit ut taceret; cum ille diceret se Dei verba loqui, unde aequum non erat ut taceret, tunc ille alapas nescio quot impegit, quibus vehementer laetatus, ac Deum benedicens pro ea gratia, ejus,

qui percusserat, pedes osculari voluit et manum; cumque ille diceret: nonne igitur videtis ebrium esse hominem?, respondit se quidem ebrium non esse, sed intelligere quantum ipsi boni cum alapis contulisset, quod ipse nesciebat; et cum non cessaret a concionando, extra templum illum audire voluerunt, ubi cum aedificatione eis aliquandiu est concionatus.

155. Complurimi in Societatem admissi; ast multo pluribus id est negatum. Coepit votorum renovatio multis cum lacrymis Conimbricae fieri. Venit illis diebus saracenus quidam nobilis, et equitum Dux (*alcaydes* hujusmodi vocant), quem et aliae inter suos honorificae conditiones opperiebantur, sed cum Dominus cor ejus fidei lumine illustrasset, velut cervus sagitta percussus, conquiescere nullo modo potuerat, et ex Africa in Portugalliam trajecerat. Cum autem Rex eum Patri Simoni commendasset, brevi catechismum christianum edoctus, et a Ceutae Episcopo baptizatus est, et ad Conimbricense Collegium missus, ut exemplis et colloquiis nostrorum, et aliquid etiam amplius addiscendo, altiores in eo fides christiana radices ageret; et magnam de suo profectu exspectationem excitabat. Hoc tempore Portugallia provincia Societatis effecta est, et primus omnium Provincialis in ea, et in tota Societate, Pater Simon fuit institutus [1].

156. Hoc ipso anno, Cardinali Carpensi Societatis protectore id petente, in Siciliam primus de Societate P. Jacobus Lhoost missus est cum Vicario Agrigentini Episcopatus, qui praedicto Cardinali commendatus erat. Drepanum igitur cum se contulisset, pueros christianam doctrinam docere coepit, et eorumdem confessiones saepius audire, quamvis publice confiteri eo in loco homines erubescerent, ut de re nova et insolita. Invisebat hospitalia, aegrotantes ad confessionem inducendo; et tam eorum quam aliorum multas confessiones audivit. Hortabatur mancipia quaedam christianorum ut christianam Religionem susciperent, nec frustra cum omnibus id tentavit. Simul cum Vicario reformationi monialium studebat, quae cum proprio et sine disciplina religiosa vivebant; et tam con-

---

1 Martinus de Sancta Cruce Fabro et Ignatio, ut ad n. 151, Ignatius Simoni Rodericio, 25 Octobris 46.—Ignatio ex Portugallia missae schedulae, quibus fratres, suo fere quisque modo, vota se, signato nomine, renovare exprimebant.

cionibus quam confessionibus et particularibus colloquiis id efficere nitebatur. Unum ex his monasteriis, proprietate abjecta, ad reformationem est adductum. Cum etiam in visitatione dioecesis Vicarium comitaretur, se in concionibus exercebat, et in hospitalibus ad rectam vivendi formam pauperes et instruere et exhortari nitebatur. Accidit autem ut in domo quadam saracenorum, postquam senis aegrotantis confessionem audisset, saracenis persuaderet, ut ad Christi fidem converterentur; fatebantur illi quidem se non posse ad vitam aeternam sine Christi fide pervenire, sed se nondum ad baptismum esse dispositos affirmabant.

157. Inde Xacham [1] venit, et occasione aegrotantium invisendorum, circumstantes ad vitam christianis dignam exhortabatur. Et trium monasteriorum reformationi operam cum ipso Vicario dedit; et quia coeperat confessiones quarumdam monialium audire, bonum reformationis successum sperabat. In primis enim privatim singulas ad vitam sine proprio ducendam hortabatur. In examinandis etiam sacerdotibus, injungente Vicario, non parum laboravit; eosdemque ad vitam christianam, et bonam sui officii exsecutionem, aliosque ad Sacramenta suscipienda hortatus est. Eadem variis in locis, tam in clero, quam in monasteriis curabat; et integrum aliud monasterium in reformationem omnino adduxit; aliud, quod magnum erat, non totum sed ex parte reformare valuit, nonnullis tantum monialibus quidquid proprii habebant relinquentibus. Cum etiam in alio monasterio magnae discordiae profectum ejus impedirent, Abbatissae persuasit ut officio suo se abdicaret; omnium pax consequuta, et puellae saecúlares ex monasterio exclusae, et cura cuidam viro data recipiendi, distribuendi, et vendendi, quae suo labore moniales conficiebant, et, clausura observata, ad egregiam reformationem sunt adductae. Bibonam etiam cum venisset, similia curavit, et quando totum monasterium non admittebat reformationem, aliquam unam vel alteram hortabatur, ut, quod proprium habebat in manus Abbatissae resignando, reformationi initium daret; quod bonum habuit successum.

158. Duobus in locis nostri in India hoc anno residebant, Goae scilicet et in maritima ora Comurini; si tamen ii secundi

---

1 Sic pro *Sciacca*, urbe ad oram Siciliae meridionalem.

residere potius quam discurrere per varia ejus provinciae loca dicendi sunt. Reliquerat inde recedens P. Franciscus Xavier, socium Franciscum de Mansilla, cum alio sacerdote hispano et tribus ex indigenis ad sacerdotium promotis. Accesserunt iis hoc anno 1546 P. Antonius Criminalis et Joannes de Beira, qui magno cum fructu animarum, ad Dei gloriam ibidem versati sunt; multi quidem eorum ministerio Christi fidem susceperunt aut in eadem sunt confirmati. Duo tamen ex eis ad Molucas insulas a P. Francisco Xaverio sunt evocati, sed alii in eorum locum, eodem anno ex Portugallia venientes, sunt transmissi. Regio horrida est et sterilis; vescuntur lacte, oryza, carne ac piscibus; panem et vinum non habent; hominum ferocia ingenia, et mutuo in se invicem saevientia, efficiebant ut nostri in perpetuo periculo ac labore viverent; sed cum ad Dei obsequium cedere suam operam viderent, caetera aequo animo ferebant. Duo Principes Silani Goae baptizati, de quorum reditu magna regni illius ad Christi fidem reductio sperabatur, obierunt. Et ad christianos illius provinciae instituendos cum quinque viri religiosi ordinis Sancti Francisci et alii sacerdotes saeculares se contulissent, nostrorum opera non fuit necessaria. Mortuorum Principum consanguineus quidam, Rex regionis, quae Candia dicitur, Christi religionem eo tempore susceperat, quem magna regni pars sequuta est.

159. Secundus locus, ubi nostri firmius residebant, Collegium Goense fuit, cujus curam P. Nicolaus Lancillotus, magno labore, patientia, prudentia atque charitate, simul cum onere pueros docendi, suscepit; qui pueri quidem ex utroque parente indo, non autem, ex utroque vel altero lusitano esse debebant; qui enim ex matre inda et lusitano patre nascuntur, experientia docuerat quod non essent ad finem hujus Collegii idonei. Quamvis autem indigenae, quamdiu inculti relinquebantur, velut pecora campi, aut potius ut ferae silvarum se gerebant; cum institutione bona erudiri coeperunt, optima ingenia habere comperti sunt, unde non solum interpretum officium in variis linguis, sed etiam concionatorum, aliquando cum fructu facturi sperabantur. Missarum et vespertini officii cantus, magna cum consolatione spirituali auditorum, singulis diebus festis, eorumdem neophytorum optime instructorum opera, in templo personabat. Cum autem in ea insula

Goae, quaedam idolorum templa diruerentur, eorum reditus huic Collegio alendo fuerunt applicati; sed et Rex duo millia ducatorum annui reditus eidem assignari jussit. Et ex sexaginta pueris, qui in Collegio tunc alebantur, media pars latinum sermonem addiscere incipiebat, et ex eis aliqui bonos fecerant progressus. Non erat autem nomine Societatis admissum hoc Collegium; sed ad pueros indos instituendos, et Collegii curam habendam, aliquot ex nostris ibi manentes, compluribus etiam catechumenis docendis, ac singulis dominicis diebus baptizandis operam dabant, ut et christianorum veterum confessionibus, et quidem multis generalibus, audiendis aliisque piis exercitationibus. Sed partim laboribus nimiis, partim ob calidissimam illius coeli temperiem (sunt enim sub torrida zona), Nicolaus in febrim incidit et multum sanguinis exspuere incipiens, in suspicionem phthisis venit. Sublevatus tandem eorum opera, qui eodem hoc anno ex Portugallia profecti erant, munus gubernationis illius relinquere non est coactus. Sentiebat tamen ad fructum ulteriorem ex illis regionibus in horreum Domini referendum, et ut nostri intemperiem aëris commodius ferre possent, domos ac Collegia Societatis pluribus in locis esse constituenda, ut sic juvenes illarum nationum erudiri in scientia ac pietate possent, qui ad aestum regionum aptiores, in illa Domini excolenda vinea latissime patenti, laborare possent; et ad hoc ipsum cum in doctrina, sanctitate, simul et aetate maturi essent, in Societatem admitti debere, si quos Deus vocaret, arbitrabatur; unde et onus illius Collegii totum, a Societate subeundum, augendumque numerum juvenum instituendorum existimabat.

160. Interim dum his in locis haec aguntur, P. Franciscus Xavier, cum socio illo, qui mercium ac navis venditae totam pecuniam pauperibus in oppido Sancti Thomae erogaverat, Malacae aliquandiu versatus, ad Macazares inde solvere voluit; sed urbis ejus praefectus cum significaret se sacerdotem quemdam, virum religione praestantem, cum quibusdam aliis lusitanis, in magna et bene instructa navi, Macazarem versus misisse, ut illis opem ferrent in rebus omnibus necessariis, qui Christi sacris erant recenter initiati, admonuit ut tantisper Malacae se contineret, dum navis illa rediret, et de statu in quo illae insulae essent, renunciaret. Secutus Pater

Franciscus praefecti consilium, tres ibi menses cum dimidio commoratus est; quo tempore partim concionibus, partim confessionibus audiendis (praecipue pauperum in hospitali decumbentium, in quo ipse hospitium habebat); partim pueros, ad Christi fidem recens conversos, doctrina christiana imbuebat; tum pacem inter multos milites et cives non paucos, inter se acerbis odiis dissidentes, conciliavit. Post solis occasum singulis diebus universam urbem lustrabat, tintinnabulum manu gestans, cujus sonitu excitatos cives admonebat, ut pro iis, qui in Purgatorio cruciabantur, Dei clementiam implorarent; aderantque ipsi non pauci pueri, ex his quibus pietatis elementa tradere solitus erat. Sed cum jam subsideret illa ventorum motio, quae ab insula Macazare redeuntibus erat opportuna, nec tamen quidquam rescivisset de iis, quae a sacerdote et militibus ibi acta fuerant, ad aliam Regis Portugalliae arcem, quae inter Molucas insulas sita erat, in insula de Ternate, et nomine communi Maluco dicebatur, se contulit. Duae sunt ibi insulae, quae intervallo sexaginta leucarum inter se distant; harum altera, Ambueno vulgo dicta, ambitum fere triginta leucarum habet, et satis est frequens hominibus, et septem christianorum oppida jam tunc continebat. Eo veniens Franciscus infantes ac pueros nondum baptizatos, aqua sacri baptismatis abluit; ex quibus cum multi mortem statim obierint, visum est quod eos in hac vita Dominus detinuerit, donec viam salutis eis per baptismum aperiret. Postquam haec omnia loca lustrasset, invectae sunt in portum octo lusitanorum naves, et spatio trium mensium, quo illic constiterunt, innumeris occupationibus Franciscum distinebant; nam et concionibus omnes ad pietatem excitabat, et eorum confessiones audiebat, aegrotos visitabat, et morientibus assistens, ut bene se ad transitum ab hac vita compararent, disponebat; quod tamen longe difficillimum esse asserit iis, qui legi divinae, viventes, minime paruerunt; nam eo majori diffidentia divinae misericordiae moriebantur, quo, dum sani essent, majori confidentia in diuturnis flagitiis volutati fuerant nec ullo modo ab eis evocari se sinebant. Inter multos milites pacem ineundam curavit, in quo vitio plerumque milites esse solent.

161. Hinc classis in Indiam profecta est; ipse vero cum socio Malucum se contulit. Juxta quam arcem, ad sexaginta

etiam leucas, alia est insula, quae ab incolis Omoro dicitur, in qua olim ingens hominum multitudo baptismum susceperat, sed post mortem sacerdotum, qui eos in Religione instituerant, omni praesidio doctrinae fuerunt destituti. Est autem regio illa periculis plena propter gentis perfidiam et varia venenorum genera, quae solent in cibo et potu commiscere. Id autem impedimento fuerat quominus alii sacerdotes, qui christianis prospicerent, illuc navigarent. Franciscus vero, etiam cum vitae suae periculo, illis consulendum ratus, primo quoque tempore eo proficisci decrevit; et in Deo totam spem conjiciens, nihilominus experiebatur illorum verborum Christi: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, vim atque sententiam oratione quidem esse explicatu facillimam, sed re non perinde facilem; cum enim casus incidit ut pro Deo vitam exponas, nescio quomodo fit, ut quod paulo ante praeceptum praecipuum videbatur, obscuritate magna involvatur; et tunc, inquit ille, ne doctissimi quidem vim tam praeclarae sententiae consequuntur, nisi Domini clementia eos erudiendos susceperit. Amici hominem obnixe rogabant ne in terram adeo periculis obnoxiam navigaret; postquam autem nec precibus, nec lacrymis se proficere videbant, perutilibus quibusdam remediis contra venena Franciscum munire nitebantur, quae ille nullo modo admisit; ne antidotis onustus, timore etiam, quo carebat, oneraretur, cumque vitae suae praesidia in Dei clementia collocasset, cavendum sibi existimavit, ne ipsi, alia remedia requirenti, fidei fructus minuerentur. Itaque gratias eis agens pro omnibus remediis, orationes tantum eorum ad Deum expetivit. Prius tamen quam Maluco recederet, tres ibi menses exegit. Est autem ea civitas cum arce a portugallensibus habitata, quibus inde ad reliquas insulas, quae aromata ea praebent (quae clavum vocant), facilis patet aditus. Eo autem trimestri pro more suo concionibus dedit operam, tam dominicis quam festis diebus; et a prandio quotidie neophytos christianam doctrinam docebat; explicabat autem eam publice diebus dominicis et festis item a prandio. Fuit autem tam copiosus puerorum ac puellarum, virorum etiam ac mulierum, concursus et qui doctrinae explicationem consequutus est fructus, ut nec agricolas, nec piscatores; nec alios, quocumque te

converteres, aliud quam orationem dominicam, Ave Maria, Credo, Salve, opera misericordiae, et hujusmodi cantare videres. Cumque paucis his diebus summopere animos hominum sibi devinxisset, ad insulas Mauri (sic enim *Omoro* interpretamur) perrexit, in quibus complura loca christianorum erant; at quod procul ab India sitae sunt, et quia sacerdotem quemdam, ipsis missum, de medio sustulerant, jam pridem visitati non fuerant.

162. Tribus igitur mensibus ibidem P. Franciscus commoratus est, quo tempore multos infantes ac pueros baptizavit, omnes insulas illas post loca christianorum perlustravit, multumque consolationis spiritualis et attulit illis, et ipse invicem accepit. Propter assidua bella, quae inter se gerunt, periculose admodum in illis insulis habitatur; gens barbara satis est; scripturis carent, unde nec legere, nec scribere norunt; his, quos oderunt, facile venenum propinant; regio ipsa alioqui aspera est, et ad iter faciendum perdifficilis, rebus ad victum corporis necessariis destituta; neque enim noverunt quid sit triticum, vel vinum uvarum, nec carnes, aut pecora ulla habent, praeter raros quosdam porcos domesticos, nam apros silvae multos habent; multa ex illis locis aquis ad bibendum idoneis carent; oryzae copiosus est proventus; abundant etiam arboribus, quae cibum ipsis et potum praebent, et ex cortice etiam vestitum; contra morbos omnino prorsus antidoto carent, cum tamen morborum plurimas causas habeant; unde Franciscus aiebat, multo melius insulas *sperandi in Deum*, quam insulas *Mauri* vocari posse; unde spiritualium consolationum plenas ipse sibi invenit. Natio quaedam est inter illos, quam Javaros vocant, qui suam felicitatem in eo constituunt, ut quoscumque possint occidant; referuntque quod suis etiam filiis non parcant, nec conjugibus, si alios quos occidant non habeant; saeviunt autem maxime in christianos. Earum insularum una est, quae fere semper tremit, atque ignem multumque cinerem evomit; aiunt incolae ignem maximum, qui sub terra est, petras ipsas, quae subtus sunt, comburere (quod rationi consonum videtur, cum accidat saepe ab inferioribus, saxa ignita ad arborum magnitudinem torqueri); et cum ventus grandior spirat, tantum cineris ex illo monte descendit, ut homines, qui in inferioribus locis agros colunt, tam pleni cinere domos re-

deant, ut tantum oculi, nares et os in eis appareant, ut potius daemonum, quam hominum speciem prae se ferant. Referebant etiam incolae apros ab hoc cinere et excaecari et occidi, quos postmodum mortuos inveniunt; sed et in ora maritima, flantibus eisdem ventis, pisces multi mortui inveniuntur, eo quod aquam cum eo cinere mixtam bibant. Cumque Franciscum interrogarent, quidnam illud esset, respondebat infernum esse, quo eorum animae, qui idola adorabant, detrudebantur. Dumque ipso die Sancti Michaëlis, Missam Franciscus celebraret, tam fortiter terra contremuit, ut timeret ne altare subverteretur.

163. Hoc in itinere, quo a promontorio Comurini Malacam versus Franciscus navigavit, magna ex tempestatibus, et ex hostibus non exigua, pericula passus est; quorum illud maximum fuit, quod cum in magna navi, et ventis vehementibus incitata, in vada deferrentur, sic leucam unam confecerunt, ut gubernaculum infima parte semper arenam raderet; et si vel in latentes scopulos, vel in vada inaequalia navis incidisset, quod jam jam futurum existimabant, fracta navi, haud dubie omnes interiissent. In Deo solo spes omnium defixa tunc erat, et ita eumdem adjutorem experti sunt, ut qui pro ipsius amore pericula aggreditur, ut Franciscus aiebat, re ipsa comprehendit, omnia imperio et nutu Dei administrari; nec tamen mortis timor cum Christi solatiis, quae etiam in duris rebus confert, est comparandus; nec mors illis, quos Christus consolatur, venit formidanda. Et cum perfuncti periculis, eorum magnitudinem oratione consequi non possint, relinquitur tamen in mente tanti beneficii memoria altius impressa, incitatque ac roborat ut nullo labore, propter Christum suscepto, frangantur, sed ad perpetuam ipsius venerationem et obsequium confirmentur. Censebat autem P. Franciscus meliorem praedicandi Christum opportunitatem in Malucis, quam in India esse, unde eo evocandos operarios Societatis ex ipsa India existimabat. Regio illa insulis innumerabilibus distincta est, ut scribit, et an aliqua illius pars continens sit, non esse exploratum; omnes tamen fere insulas cultoribus frequentes esse, qui facile Christi religioni se consecrarent, si essent qui ad eam eos adducerent; et si in arce Maluci aliquod instituti nostri Collegium fieret, pene innumeros ad Christi religionem

adjungi posse existimans, dare operam decrevit, ut in illa extrema mundi regione, domus una Societatis aedificaretur. Ethnici, vel gentiles, plures sunt quam Mahometi sectatores, et ab eis odiis acerbis dissident; mahometani enim ethnicos cogere nituntur, ut vel Mahometi sectam sequantur, vel mahometanis serviant; illi cum et libertatem ament, et Mahometi nomen habeant invisum, valde repugnant. Ad Christi religionem multo sunt propensiores; a septuaginta ante id tempus annis, incolae illarum regionum Mahometum sequi coeperunt, quorumdam casichium opera, qui ex Meca, Arabiae urbe, profecti erant, et ex gentilibus magnam multitudinem ad Mahometi perfidiam pertraxerunt; sed valde rudes sunt in his, quae ad sectam istam pertinent, unde eo facilius ab ea possent ad christianam Religionem transferri. Homines colore fusco sunt; et quaedam sunt insulae, quarum incolae vescuntur humanis carnibus, et hoc fit, cum bella gerunt, et aliqui in pugna cadunt; si autem quis morbo confectus intereat, a reliquo corpore abstinent, manus vero et postremas pedum partes abscisas in deliciis habent. Eo usque immanitas progreditur, ut si alicui sit convivium lautius apparandum, postulet a vicino, cui pater est natu grandis, ut eum sibi tradat jugulandum, ac invitatis apponendum; sed ne gratis id fiat, conditionem apponit, ut et ipse qui fecit, vicissim patrem suum, postquam senio confectus fuerit, et ille similes epulas vicinis adornare voluerit, tradat. Et intra mensem eo se velle pergere Franciscus scribit, quod acceperit incolas cupere ab immanibus sceleribus ad christianam pietatem se convertere. Tanta etiam apud ipsos effraenatae libidinis sunt portenta, ut omnis oratio ea reformidet. Sunt autem illae insulae mira coeli temperie, proceris ac densis arboribus consitae, crebris pluviis fecundatae; oppida autem tam ardua et tam excelsis in locis sita, ut incolis ad hostium impetum depellendum nullis moenibus sit opus; equorum usus nullus apud illos esse potest; terrae motus ibi frequentes sunt, et magni, et ipsa fremitus magnitudo incredibilem horrorem incutit; complures insulae ex his ignem longius emittunt, tanto cum clangore, ut nulla tormenta aenea, cum globos jaculantur, similem edant; ac ingentia saxa eminus suo impetu jaciunt; et tanquam inferni quaedam imago a Deo proposita, tamen sceleratos homines a peccatis non revocat. Sunt etiam illae insulae

inter se linguis dissidentes, imo in eadem insula hoc oppidum diverso idiomate ab illo utitur. Malacae tamen idioma in illis regionibus satis est usitatum ; ideo, cum ibi versaretur Franciscus, in eam linguam Symbolum Apostolorum cum brevi illius expositione, et alias orationes, ac legis praecepta vertenda curavit; quo facilius, de divinis rebus cum illis sermonem habens, intelligeretur. In insula *Ambueno* nuncupata, vidit Franciscus caprum haedos proprio lacte nutrientem, quod quidem ubere unico, quod habent prope genitalia, gestabat; et suis ipse manibus lac emulsit, cum rem alioqui non crederet; et quidam nobilis lusitanus caprum illum in Lusitaniam mittebat.

164. Mercator quidam lusitanus, qui a sinarum regione opulentissima venerat, dicebat a viro gravi et honesto ex ea gente interrogatum fuisse, an christiani suillis carnibus vescerentur, cumque respondisset christianos illas non aspernari, se tamen libenter auditurum qua de causa id interrogaret, tandem sinam dixisse aiebat, esse nationem in media regione illorum, montibus inclusam, et moribus ac vitae instituto dissimilem, a suillis carnibus abstinentem et multos dies festos solemni ritu celebrantem. Dubitabat Franciscus an christiani essent, quales aethiopes sunt, qui legis veteris umbras amplectuntur, an potius illi judaei, de quorum statu ambigitur ; nam mahometanos non esse claris indiciis constabat. Quod christiani essent ex his, qui a Sancto Thoma fidem acceperunt, suspicandi causa erat ; quia non pauci referebant Apostolum regionem sinarum penetrasse et magnam illic multitudinem ad Christum adduxisse, et Ecclesia graeca, antequam lusitani in Indiam se conferrent, ad complura loca Episcopos mittere solita erat, qui christianos a Sancto Thoma conversos et ab eis descendentes instruerent.

165. Curavit hoc anno idem P. Franciscus, per litteras ad Portugalliae Regem datas, ut et concionatores in ea loca mitteret, ubi arces et portugallensium populi versantur, nisi a Christi fide eos, temporum tractu, degenerare defectu doctrinae vellet, et ut Sanctae Inquisitionis officium in India constitueret, ne multi qui ex perfidia saracenorum, vel judaeorum ad fidem Christi conversi essent, ad mores pristinos ex parte redirent. Facultatem etiam absolvendi in casibus in bulla *Coenae*

reservatis, et dispensandi in votis, etiam adeundi limina Apostolorum et Sancti Jacobi in Compostella templum, perneces-sariam esse, partim ipse, partim Lancillotus affirmant [1].

166. Quamvis hoc anno latius patere, et nostrae Societatis et nostrorum in varia loca Europae et Indiae missorum fructus coepit; duo solum Collegia inchoata fuerunt, ut superius est dictum, unum Bononiae, et alterum Pinciae, vel, ut dici solet, Vallisoleti [2].

ANNUS 1547

167. Anno 1547 ineunte, et in toto ejus decursu, Romae et ubique ad Dei gloriam Societas multum est aucta et ejus ministeria non parum; bonus autem odor plurimum admodum augebatur. Unde cum multis ex locis P. Ignatius ad mittendos in vineam Domini urgeretur, paucos Romae poterat retinere; qui tamen, Deo propitio, multorum simul officiis fungebantur. Ab onere monasterii Sanctae Marthae jam se P. Ignatius, instituta una societate virorum et alia matronarum romanarum, quae ei operi pietatis vacarent, liberarat. Pater Andreas Frusius in templo nostro coepit concionari; sed et Hieronymus Otellus, nondum ad sacerdotium promotus, concionandi talentum, cum miro animi candore et simplicitate conjunctum, expendere Romae coepit, in monasterio Sanctae Marthae, in hospitali incurabilium, et aliis in locis; toties concionabatur, ut aliqua hebdomada decem et septem conciones haberet. Accidit autem ut in monasterio Sanctae Annae monialibus praedicatu-

---

1 De iis, quae a n. 158 narrata sunt, vide quas toto hoc anno 46 et initio sequentis litteras scripsit Xaverius, necnon et quadrimestres Lusitaniae.

2 Nihil hoc anno de sociis, qui Parisiis commorabantur, habet Polancus; nihil Orlandinus; nec nos documenta ad eos spectantia reperimus, praeter unum, quod minime praetermittendum videtur: exemplum, scilicet, litterarum, quas dedit Ignatius *charissimis in Christo Paulo Antonio d'Achillis, Joanni Baptistae de Violis, Petro Antonio de Salvaticis et Joanni Pelletario, Parisiis degentibus*, de usu facultatum hominibus Societatis concessarum, mense Junio hujus anni 46. — Ad hunc etiam annum spectant, praeter ea, quae in *Cartas de San Ignacio* et *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro edita sunt*, sequentia nondum edita. Litterae Joannis III, Regis Portugalliae, ad Ignatium, de Inquisitione, 13 Augusti 45 et 6 Maii 46; Ignatii ad Araozium de reditu dominae Elisabethae Roser Roma Barcinonem; Cardinalis Augustani, de Concilio, ad Jaium, Ratisbonae 29 Aprilis 46, et aliae quibus eumdem Jaium ad castra invitat, Neoburgi, 20 Septembris 46.

rus, concionem in duas partes divideret; et in priori quidem religiosas ad paupertatem sinceram, et nihil ut proprium retinendum est adhortatus ; et cum jam sibi videretur eas ad abdicationem rerum hujusmodi inflammasse, subdidit : interim, dum paululum conquiesco ad secundam partem concionis persequendam, ite ab cubicula vestra, et quidquid proprium habeatis, ad pedes Abbatissae portate, quandoquidem jam intellexistis quod, si vel acum tanquam propriam retineretis, id ipsum ad inferos posset vos deducere ; illae confestim surgentes, ad suas cellas se conferunt, arculas aperiunt, et omnia, quae ibi tenebant, ad pedes Abbatissae deferunt; et sic demum secundam concionis partem audierunt. Non id viderat Hieronymus, cum velum, pro more positum, monialium aspectum prohiberet; sed concione absoluta, Abbatissa hominem arcessit, et summa cum laetitia spirituali quod gestum erat retulit [1].

168. Secretarius Societatis et confessionibus audiendis vacabat, et mane concionem, a prandio lectionem, in templo habebat; nec interim serviendi culinae, aut refectorio munus omittebat; idemque Procuratoris generalis officio et christianae doctrinae explicandae dabat operam. Versabatur is Pistorii initio hujus anni, et in octo monialium monasteriis singulis hebdomadis concionabatur, et ad spirituales meditationes eas adducere curabat, et quidem non absque fructu. Festis autem diebus in templo quodam ex primariis civitatis (quod Episcopus Societati donare voluerat) concionabatur. Nec interim exhortationes ac spirituales instructiones, quae quadam in congregatione, de qua superius scriptum est, habebantur, intermittebat ; et quia complures, tam ecclesiasticae quam saeculares personae proficiendi gratia ad eam convenirent, et fructus non contemnendus in ea civitate ex ea sperari posset, ejus constitutionibus efformandis, ut ipsi proficerent et alios per pietatis opera juvarent, adlaboravit. Cum Duce aut Ducissa etiam seorsim aliqua charitatis opera ad ipsorum aut subditorum spiritualem utilitatem cum tractasset, et in compluribus Florentiae locis concionatus esset, quia ei consanguinei permolesti erant, Romam a P. Ignatio Martio mense vocatus est [2].

---

1 Ignatius, seu ex ejus *commissione* Polancus, universae Societati, 31 Octobris 47.
2 Polancus Ignatio, Pisis, 15 Decembris 1546.

169. Conciliabat Ignatius per se et per suos non solum Pontificis sed etiam Cardinalium, et Praelatorum, ac eorum oratorum animos, quos primarii Principes Romae habere solent. Illud exempli gratia narrabo. Scripserat Joannes de Vega, qui Caroli V Imperatoris orator fuit et deinde Siciliae Pro-Rex, Episcopo Philippo Archinto, almae urbis Vicario, in P. Ignatii et Societatis commendationem; respondit autem Vicarius, se commendationem istam eo pacto admittere, ut vicissim cum aliquid acciderit, eidem Pro-Regi et Ignatium et religiosam ejus domum commendare possit, veniamque petit, si cum ipso de affectu erga Societatem contendat. Cardinalis etiam de Mendoza, tunc Episcopus Cauriensis, postea vero Burgensis, cum Ignatium et socios ex animo diligeret, et a quodam eorum aliquid etiam auxilii in spiritualibus Exercitationibus habere voluisset, de Collegio Societatis Salmanticae instituendo agere coepit; cum autem intellexisset Doctorem Michaëlem de Torres Societatem ingressum esse, atque eumdem Salmanticae mitti posse, id Cardinali auditu gratissimum fuit. Doctorum enim hominum amator atque fautor erat, et amicitia praedicti Doctoris Michaëlis de Torres plurimum Romae fuerat usus. Qui, quamvis anno 46, ut dictum est, et Societati se Romae addixisset, et voto etiam id confirmasset; quia tamen a majori Collegio Complutensi Romam ad gravia negotia missus fuerat, donec Complutum rediens, negotiorum gestorum rationem redderet, non potuit palam vitae suae propositum prae se ferre; sed hoc anno rebus expeditis, se ad obedientiae ministeria praesto esse significavit. Unde in gratiam Cardinalis de Mendoza hoc anno initia Salmanticensis Collegii sunt Doctori Michaëli de Torres commissa, licet non nisi sequenti Salmanticam se contulerit[1].

170. Cum autem Siciliae Pro-Rex, Joannes de Vega, et ejus uxor, summae pietatis foemina, domina Eleonora Osorio, opera Societatis uti, non solum ad proprium profectum, sed etiam ad multorum piorum operum in regno Siciliae directionem vel institutionem cuperent, P. Hieronymum Domenech, Bononia revocatum, in Siciliam P. Ignatius transmisit; ubi et Pro-Regis confessarius fuit, et ad multa charitatis opera, ut infra dicetur, strenuus cooperator exstitit.

---

1 Ut supra, ad n. 167.

171. Venerat Romam P. Martinus de Sancta Cruce, qui Collegii Conimbricensis cum Rector fuisset, quia reditus a Rege Collegio assignati, ut fieri solet in initiis, quibusdam litibus obnoxii erant, ut auctoritate Sedis Apostolicae res constitueretur, in curiam Summi Pontificis se conferre debuit; sed Ignatius, qui ad negotia spiritualia officiosissimus erat, haec temporalia ne domi quidem, quamvis ab aliis, tractanda esse sentiebat; unde P. Martinum noluit in professa domo nostra manere, sed apud oratorem Regis Portugalliae, et quidem saecularium presbyterorum more indutum. Citationes enim et alia hujusmodi, quae tractantibus negotia saecularia satis familiaria esse solent, existimabat domum professam non decere [1].

172. Pauculae et quidem piae mulieres, anno proxime elapso et hujus etiam initio, sub obedientia Societatis, sic Summo Pontifice volente, fuerant. Sed tantum negotii Ignatio, utilioribus rebus intento, facessebant, ut conjiciens in posterum tale onus Societati minime convenire, a Pontifice Paulo III impetravit, ut nunquam hujusmodi mulieres, sive moniales essent, sive quacumque ratione, in communi, vel privatim sub obedientia nostrorum vivere vellent, admitterentur; quod 13 calendas Junii hoc ipso anno concessum fuit [2].

173. Urgebat almae urbis Vicarius Ignatium, ut eorum, qui ad sacros ordines promovendi essent, examinationi, aliquem de Societate designaret; et quamvis opus sane pium id esset, Societati nostrae parum convenire P. Ignatius judicabat; non potuit tamen optime merito de Societate Vicario, id omnino negare; sed conditionem hanc addidit, ut nostri non definirent quinam essent idonei censendi, necne, sed ut referrent Vicario, vel ejus locum tenenti, quid in examinato invenissent. Adjecit etiam, ut promovendi prius alicui ex nostris generaliter confiterentur; deinde si vellent examinari, ab alio

---

1 Ignatius Rodericio, de negotiis propter quae Romam venerat Martinus de Sancta Cruce, mense Octobri 47; in eis etiam agit de admittendis in Societatem; de promissione ingrediendi Societatem; de libertate qua gaudere debent, qui Societatem ingrediuntur, disponendi de iis quae possident; de obedientia ab omnibus Simoni in Lusitania praestanda. — Idem Barcinonam de iis, qui cum Martino de Sancta Cruce Romam venerant ut Societatem ingrederentur.

2 La controversia de D. Silvestre con el Doctor Ferrer, in causa dominae Roser, 26 Martii 47; sententia contra Ferrer. Alia contra dominam Roser. Quomodo intelligenda informatio dominae Roser, 3 Maii 47. Vide supra ad n. 87.

deputato examinarentur; et hoc modo se periculum facturum esse, in ipsius Vicarii gratiam, an hoc munus susceptum ad Dei honorem cederet; quod si experimento non ita esse comperiretur, ut relinquere id sibi per Vicarium liceret. Cum autem hoc munus ab eodem sit postea relictum, satis elucet quod Societati ad Dei gloriam parum convenire sit compertum. Hoc etiam tempore parochis urbis, aliquis ex nostris lectionem de rebus ad ipsorum officium spectantibus, perlegebat; cui cum adesset, qui locum Vicarii tenebat, poenam proposuit eis, qui sine causa lectionem praedictam omisissent. Christianae doctrinae expositio, et puerorum confessiones, pro more sunt continuatae. Hoc eodem anno tentatum fuit a religioso quodam, et pio admodum viro, ut congregatio quaedam sacerdotum, qui in Longobardia de Somascha dicebantur, cum Societate nostra in unum corpus uniretur; sed P. Ignatius modeste significavit sibi non videri ad Dei gloriam id fore; unde illi cum Religione clericorum regularium, quae a Cardinali Theatino nomen accepit, uniti fuerunt [1].

174. Quamvis Valentiae et Gandiae congregationes inchoatas esse jam diximus, nondum tamen superior aliquis, qui Rectoris munus apud ipsos obtineret, fuerat institutus. Scripsit ergo P. Ignatius ad utramque congregationem litteras, et multis rationibus ostendit superiorem ipsis esse necessarium, cui obediant tamquam ipsi, quique cum omni ea auctoritate praesit, qua, si Ignatius praesens esset, praeesse posset. Si quis autem hujusmodi superiori parere nollet, ut a Societate recederet. Modum autem electionis hujusmodi Rectorum, tunc quidem eum esse voluit, quem in Generalis electione prima Societas tenuerat; et id tamdiu observari voluit, quamdiu per constitutiones publicatas aliud statueretur; et quem sic elegissent, ipse ex tunc approbabat; addidit etiam hunc modum tenendum quamdiu nullus ibidem professus esset [2].

175. Venerabilis vir Gerardus, Carthusiae Coloniensis Prior, cum nostros, qui Coloniae versabantur in Domino diligeret, et

---

1 Polancus, *ex commissione* Sancti Ignatii, ignoto cuidam (Laynez?), quae Suae Sanctitatis Vicario de promovendorum ad sacros ordines examine a nostris peragendo proponenda sunt, 10 Decembris 47. — Summa omnium quae in hac re gesta sunt, ab ipso Polanco confecta. — Catalogus eorum qui apud nostros examen subierunt.

2 Ignatius Araoz, *Sobre el hacer prepósitos particulares*, mense Octobri 47.

subsidiis etiam temporalibus eorum paupertatem juvaret, multosque vicissim religiosos opera nostrorum ac potissimum per Exercitia probatos in suum monasterium admisisset, universae Societati communicationem orationum, ac omnium piorum operum sui monasterii est impertitus; huic ergo P. Ignatius officiosis litteris gratias agens, vicissim monasterium ejus omnium bonorum Societatis particeps effecit. Et cum idem Prior aliquot grana a Summo Pontifice benedicta, quibus gratiae de apostolica liberalitate valde copiose collatae fuerant, postularet, septem sphaerulas ad eum transmittens, significavit, quod ab aliis, quibus ea donabat, id exigere solebat, ut si nunquam generalem confessionem totius vitae fecissent, semel eam instituerent, et in posterum singulis saltem mensibus ad sacramentum Confessionis et Communionis accederent [1].

176. Domus probationis non erat quidem Romae distincta; illi tamen qui admittebantur, praeterquam quod Exercitiis spiritualibus excolebantur, et in hospitali in ministeriis tam spiritualibus quam corporalibus exercebantur, per plateas et frequentissima urbis loca, et eleemosynam petere, et etiam concionari per compita, et aliis modis honoris proprii amorem ac sui aestimationem superare nitebantur. Cum tamen semel, atque iterum et tertio id factum erat a viris alioqui gravioribus, non ulterius permittebat Ignatius eos progredi; hoc enim agebat talia initio permittendo, ut affectum excellentiae superantes, libertatem majorem in Domino, cum humilitate conjunctam, sibi adquirerent, et ubi opus esset, stultitiam hanc in mundi oculis ad aedificationem adhibere, ne id arduum et difficile admodum videretur. Hoc eodem anno ratio scribendi quarto quoque mense et alia ad unionem Societatis, per communicationem litterarum curandam, ab Ignatio constituta sunt [2].

177. Qui Tridenti versabantur hujus anni initio, nequaquam otiosi desidebant, cum quotidie binae congregationes

---

1 Prior majoris Carthusiae Ignatio, 15 Junii 44; Ignatius Priori Carthusiae Coloniensis, 11 Junii 47.

2 Polancus, *ex commissione,* Simoni Rodericio, de constituenda Romae probationis pro novitiis domo a Collegio distincta, mense Octobri 47. Idem, *ex commissione,* de iis quae Romam e singulis Societatis domibus scribenda sunt et de modo et tempore scribendi, sub finem anni 47.

haberentur, mane quidem de reformatione morum, post meridiem autem de dogmatibus fidei. Fuerat autem sessio de Justificatione die 13 mensis Januarii hujus anni habita ; et ea absoluta, de Sacramentis agi coeptum est. Curaverat autem Cardinalis Sanctae Crucis, Legatus, ut haereticorum errores, ut supra dictum est, nostri colligerent; et prout collecti ab eis et propositi fuerant, ita congregationi theologorum a Legatis fuerunt proposita; et primo errores de sacramentis in genere; secundo circa Baptismum ; et tertio circa Confirmationem ; et de his suas sententias Patres illi magna cum approbatione omnium dixerunt. Scribit P. Canisius haec verba : " Omni seposito affectu, sincere testari possum, esse multos hic undecumque doctissimos theologos, qui acute, diligenterque et sapienter summis de rebus judicent ; verum intra illos omnes duobus hisce, Laynio et Salmerone, gratiores omnibus atque admirabiliores non esse alios. Cum horae unius spatium paucis ad dicendum maneat, tres horae et amplius, opinor, dicenti Patri Laynez, ab ipso Cardinali praeside tribuuntur. „ Sed et iisdem commissum est ut ex Conciliis sacris, decretis Summorum Pontificum, ac sanctorum Doctorum scriptis, ea loca adnotarent, ubi errores hujusmodi condemnati fuerunt; et prout etiam haec a nostris oblata fuerunt Legatis, ita et theologis examinanda proponebantur; et nihilominus P. Jacobus Laynez in concionandi munere persistebat. Pater quidem Ignatius evocaverat Patrem Laynez, ut se Florentiam transferret; sed Cardinalis Sanctae Crucis, Legatus Sedis Apostolicae, rescripsit ei utilitatis publicae causa illum a se retentum esse, quoniam ei onus injunxerat, ea, quae paulo ante dicta fuerunt, colligendi; rogabatque Ignatium, ut aequo animo ferat, quod illum adhuc aliquantulum retineat ; nihilominus ad primam Ignatii voluntatis significationem, etiam si velit opus imperfectum relinqui, Laynium se dimissurum pollicebatur. Sed cum has occupationes magni momenti esse Ignatius intelligeret, cumque Vicarius Pontificis Archintus, qui Tridenti etiam versabatur, affirmaret nullibi gentium posse nostros cum majori fructu versari, cum quotidie eorum opera uterentur, non esse inde revocandos quamdiu Concilium duraret, censuit. Die tertia mensis Martii sequentis sessio septima de Sacramentis celebrata est ; et undecima ejusdem mensis, cum motu proprio, Concilium in aliam civitatem,

propter aëris infesti periculum, Summus Pontifex transferendum censuisset, sessione octava, ejusdem mensis undecima die celebrata, Bononiam Concilium transferendum esse decretum est. Medici enim, cum grassaretur morbus quidam (*petechias* vulgo vocant) pestem etiam consequuturam timebant. Erat id temporis cum nostris, scilicet, Patribus Laynez, Claudio, Salmerone, etiam magister Petrus Canisius, qui Colonia eo venerat; et absoluto Concilio, omnibus inde recedendum fuit. Sed pergratum accidit P. Claudio, quod antequam inde recederet, epistolam ab Episcopo Labacensi acceperat, cujus verba haec inter caetera fuerunt: "Certiorem dilectionem vestram reddimus me petitionem vestram de absolutione ab Episcopatu Tergestino sacrae regiae Majestati obtulisse; et S. M., habito vestrae vestrorumque confratrum devotae petitionis respectu, vos ab Episcopatus hujus munere clementissime absolvisse. „ De confratribus loquitur, quia et P. Ignatius et Pater etiam Bobadilla Regi scripserant, et Cardinalis etiam Carpensis, ut protector Societatis, eodem officio functus fuerat; quae res Claudium admirabili laetitia perfudit. Omnes igitur, absoluto Concilio, in Italiam venerunt, et cum ipsis P. Canisius. Is ab Archiepiscopo Coloniae ad Imperatorem prius missus fuerat et omnia, quae ab eo expetebantur, confecerat. Inde autem a Cardinali Augustano Tridentum cum mitteretur, fratribus Coloniensibus, quae ad bonam anni partem necessaria erant, reliquit. Patres Laynez ac Salmeron, qui Legatis subditi erant, ab iis Tridento 14 Martii Bononiam missi sunt. Claudius autem, cum a Cardinali Augustano ad Concilium missus esset, non tam facile Tridento recedere potuit; cum praesertim Cardinalis Tridentinus, nomine Augustani, ne inde recederet, significasset, exemplum in hoc secutus hispanorum Praelatorum, qui, ut Imperatori gratificarentur, Concilium ne alio transferretur repugnabant. Postmodum tamen veniam a Cardinali Tridentino et Augustano obtinuit, ut obedientiae satisfaceret suorum superiorum, et simul cum P. Canisio Patavium veniret; quamvis P. Ignatius etiam illi, ut Bononiam se conferret, injunxerat. Cum ergo Patavium simul cum Patre Laynez, P. Salmeron venisset, in morbum gravem admodum et periculosum incidit, de quo ipse testatur ad Ignatium scribens, quod insignia a Domino beneficia acceperit, non solum

quia omnia sacramenta Ecclesiae, et tam amabilem societatem Patris Laynez et aliorum collegialium dederit, sed quia in extremo illo discrimine gratiam tribuerit, ut, magna animi laetitia, divinae voluntati suam conformaret, magna etiam cum cognitione peccatorum, ac miseriae propriae, et magna cum spe in divina misericordia constituta; cui tamen placuit, praeter spem medicorum et omnium, quasi a mortuis eum resuscitare. Urgebat interim suis litteris Cardinalis Sanctae Crucis, Legatus, Patrem Laynez, ut, si posset sine incommodo P. Salmeronis, qui jam meliuscule se habere coeperat, Bononiam se primo quoque tempore conferret, quia jam inter theologos de articulo Poenitentiae agi coeptum erat; et ea, quae in ipsius gratiam, Tridenti tam ipse quam P. Salmeron elaborassent, secum ut ferret hortabatur. Post ejus discessum, quod fuit tertio die Paschae et comite P. Canisio, Pater Salmeron brevissimo tempore convaluit; et ita convaluit, ut et hoc etiam peculiari Dei dono sit adscribendum, quod in summa debilitate virium a febribus relicta, tam brevi tempore, in pristinum statum rediisset. Quod Patris Ignatii et aliorum orationibus, sicut et vitam, Salmeron acceptum ferebat. Interim cum jam advenisset P. Claudius Tridento, Venetias ad salutandum Priorem Sanctissimae Trinitatis accedentes, Bononiam deinde se contulerunt. Jam tum occupatum Patrem Laynez invenerunt in his, quae ad Concilium pertinebant. Cum enim de sacramento Poenitentiae per tres continuas horas suam sententiam dixisset, ex Legatorum voluntate, circa reliqua Sacramenta aliquid elucubrare debuit; unde difficilius, a Concilio avelli poterat, ut se juxta votum P. Ignatii, Florentiam transferret. Occupabatur etiam in confessionibus audiendis, et in Sancti Petronii templo concionari etiam frequentissimo cum auditorio, ac satisfactione et fructu, ut sperabatur, coeperat; dabatque interim operam, ut ex eleemosynis partim Praelatorum, partim populi, monasterio Conversarum mulierum aliquod initium fieret. Quamvis autem P. Claudius Bononiam ad Concilium se contulisset, non ei tamen interesse, ut procurator Cardinalis Augustani, potuit, cum ii Praelati, qui Carolo Imperatori gratificari voluerant, tam ex Hispania, quam ex aliis nationibus, Tridenti adhuc subsisterent. Qua etiam de causa, licet congregationes variae sint habitae, ubi, ut scribit Vicarius Pontifi-

cis, nostri mirum in modum bene se gerebant, nulla de dogmatibus vel de reformatione sessio Bononiae est habita; nona etenim et decima, mense Aprili et Junio sequenti habitae, nihil aliud quam prorogationes continent; et ita Concilium sub finem hujus anni et alterius initium, vel suspensum, vel dissolutum est, donec Julius III sub finem anni 1550 illud resumendum Tridenti decrevit [1].

178. Hoc anno P. Franciscus Palmius, qui prius quidem discipulus fuerat Societatis, et ut inchoaretur Collegium opera piarum quarumdam personarum curaverat, ipse etiam se totum, mense Junio, Societati consecravit, unde qui de aliis de Societate bene mereri studuerat, eamdem cum illis vocationis gratiam a Domino consequutus est. Venerat Bononiam Faventia (ubi optimum odorem, et magnum sui desiderium reliquit) Pater Paschasius, idemque in vinea Domini, tota quadragesima hujus anni utiliter admodum, in confessionibus et spiritualibus Exercitiis laboravit. Cardinalis etiam Sanctae-Crucis, Legatus, octavo quoque die ei confitebatur; sed cum ex nimiis laboribus aegritudinem capitis contraxisset, ejusdem Cardinalis consilio, valetudinis recuperandae gratia, ad balnea quaedam prope Montem Politianum se contulit; et stillante supra caput aqua, multo melius habere coepit. Nec tamen omnino ibi otiosus fuit; nam et Sacramenta aliquando ministrabat, et pauperes quasdam virgines, ex eleemosynis aliorum, qui simili distillatione utebantur, vestiendas curavit; et in villa quam frater Cardinalis habebat (Vivum vocant) spiritualia Exercitia tam ipsi fratri Cardinalis, quam ejus uxori, dederat, et generales eorum confessiones audierat. Ad Montem Politianum deinde se conferens, multis idem beneficium contulit; et inter alios tribus sororibus Cardinalis Sanctae-Crucis Exercitia spiritualia exhibuit, et cum multorum confessiones, et non paucas generales vitae totius, audivisset, plurimosque in spiritualibus meditationibus exercitatos reliquisset, et juxta suum sta-

---

1 Cardinalis Sanctae-Crucis Ignatio, de retinendo Laynez in Concilio, Tridenti, 5 Februarii; idem Laynez, eum ad Concilium invitans, Bononiae, 30 Martii; Cardinalis Augustanus Jaio, dolens de translatione Concilii, 18 Aprilis; idem Ignatio, 8 Augusti; Laynez Ignatio, 19 Martii et 27 Aprilis 47; Salmeron Ignatio, Tridenti, 10 Julii, ternas, et 20 Octobris 46; idem eidem, Venetiis, 16 Aprilis, binas; Bononiae, 24 Septembris, item binas; et 1 et 14 Octobris, 26 Novembris et 17 Decembris 47.

tum reformationi serio vacantes, Bononiam rediit, ubi toto eo anno, copiosa admodum messe, versatus est; et ejus opera spiritualia Exercitia, praesertim primae hebdomadae, quae generales confessiones sequebantur, latissime utriusque sexus personis patuerunt; nam aliquando duodecim simul in hujusmodi exercitationibus versabantur. Monialibus etiam cujusdam monasterii, quod mutuis discordiis, cum civitatis scandalo, dissidebant, utilem operam praebuit. Concionabatur interim Pater Franciscus Palmius, et confessionibus etiam plurimis vacabat; nam P. Salmeron, dies noctesque, in his quae ad Concilium pertinebant, occupabatur; licet enim sessiones non fierent, congregationes tamen erant continuae, et praeter ea quae de Sacramentis dicta sunt, etiam de indulgentiis et purgatorio agebatur. Habuerat Pater Salmeron, et aliquando exercebat, potestatem a Legato Sanctae-Crucis acceptam, absolvendi aliquos, qui in lutheranorum errores inciderant; aliquos enim divina Bonitas ad saniorem mentem revocabat. Dixit etiam suam sententiam idem Salmeron de Missae sacrificio per biduum, et quidem cum summa auditorum satisfactione, si unquam alia de re ea contigerat. Aliquorum item nobilium confessiones, quos Dominus movebat, ut a tenebris peccatorum et haeresum interdum pedem referrent, audiebat. Cardinalis tamen cum studiis et laboribus ipsum opprimi animadverteret, quod diu congregationes urgebant; injunxit ut a summariis quibusdam conficiendis, quae ipsi commiserat, abstineret. Quamvis autem, admonente P. Ignatio, sollicite locum aliquem idoneum Societati quaerebant, nullum tamen, qui instituto nostro quadraret, invenerunt, licet Cardinalis ipse Sanctae-Crucis suam eis operam obtulisset. Interim in Sanctae Luciae templo, tam multis Sacramenta administrabantur, ut in festo Natalis Domini sexcenti fere sacram Communionem acceperint; et non pauci, qui vel in haeresi occulte vixerant, vel ob lectionem librorum haereticorum gravibus excommunicationibus irretiti erant, Ecclesiae unitati restituti sunt; nec defuit ex primaria nobilitate, qui in Exercitiis spiritualibus proficeret [1].

179. Recesserat Bononia, et quidem bona cum venia Cardinalis Sanctae-Crucis, P. Jacobus Laynez, postquam et ille,

---

1 Ut supra ad n. 177; et Paschasius Broet Ignatio, sine die, sed 1547, Bononiae.

et alii tres, scilicet Claudius, Salmeron et Canisius suas sententias dixerant; et PP. Claudio et Salmerone in Concilio manentibus, fere medio mense Junio cum Canisio viae comite, qui sub autumnum Romam vocatus est, Florentiam pervenit, et in ecclesia cathedrali ad frequentissimum auditorium coepit concionari, magna cum omnium satisfactione. Quamvis autem ad habitationem, hospes antiquus, doctor Joannes de Rosis, medicus, domum suam et omnia necessaria humaniter admodum exhibebat, et alii permulti offerebant, existimavit tamen Pater Laynez ad Dei gloriam et majorem aedificationem fore, et nostrae vocationi magis consonum, si in aliquo hospitali habitarent; et sic in hospitali Sancti Pauli, quod in civitatis commodo loco situm est, diversati sunt, et ex oblatis eleemosynis a D. Petro de Toledo, expensis, ut putabatur, Ducissae vivebant. Concionatus est P. Laynez in octava Sancti Joannis, eo enim tempore magna cum devotione ea civitas verbum Dei audire solebat. Et primo quidem die de ipso Sancto Joanne, sequentibus autem diebus de his, quae Joannes concionabatur, scilicet, de regno Dei et de modo ad illud perveniendi; et ut ipse Laynez fatetur, peculiare Dei auxilium, supra id quod sperabat, imo et optabat, accepit. Affirmabatque P. Frusius se nihil absolutius vel audivisse, vel se auditurum sperare, in spiritu, doctrina et omnibus aliis, quam fuerunt illae conciones. Quamvis dies essent feriati, crescebat tamen et numerus, et attentio, et satisfactio auditorum, imo et admiratio ac, ut creditur, fructus (ut dicere viderentur ore vel corde, nunquam loquutus est homo sicut homo ille, inquit idem Frusius), tam ecclesiasticorum quam saecularium; et praeter morem, ut ultra octavam progrederetur, ipsum rogabant. Canonici praeterea cathedralis Ecclesiae, ut in suo templo in sequenti quadragesima concionaretur urgebant. Plurimi et quidem diligentissime locum aliquem idoneum ad Collegium instituendum quaerebant: et quidem, dum concionabatur, sex vel septem loca ei obtulerunt. Complures etiam primae notae homines apud Ducem ac Ducissam, ut quid rarum et insolitum ejus conciones commendabant, unde illi admodum laetati, suam operam etiam offerebant. Signum etiam percepti fructus fuit, quod post octavam Sancti Joannis sollicite multi et inter alios Alexander Strozzius, ut concionari et praelegere aliquid populo inchoaret, vel in cathe-

drali Ecclesia, vel Sancti Laurentii, urgebant. Viri etiam primarii et inter alios Vicarius, et D. Stephanus Columna, qui militiae Princeps apud Ducem erat, ejus opera uti in rebus gravioribus coeperunt. Cum autem canonici pecuniam, pro more suo, in eleemosynam offerrent, et quamvis ipse recusaret accipere, nihilominus ipsi urgerent, in eo tandem convenerunt, ut ea pecunia in pauperum eleemosynam dispensaretur, et ut praepositus capituli dispensator esset; quod etiam ad aedificationem cessit. In ipso autem hospitali et celebrandi et confessiones audiendi commodum locum habebant. Julii decima septima post meridiem, primam epistolam canonicam Sancti Joannis in cathedrali Ecclesia praelegere coepit; nec infrequentius habuit auditorium, quam cum in octava Sancti Joannis concionaretur, nec minus fructus sperabat. In tribus etiam vel quatuor monasteriis monialium, virorum gravium rogatu, coepit concionari. Nomine autem Ducis cum ab eo peteretur, ut in sequenti quadragesima in cathedrali Ecclesia concionaretur, se id facturum recepit. Concionari nihilominus perrexit diversis in locis, et crebro aliquando id facere necesse erat, ut etiam quorumdam confessiones audire. Cum autem instante Perusino Episcopo, P. Ignatius ad Laynez scripsisset, ut in illam civitatem se conferret, graviter id admodum amici florentini ferebant; quarta tamen die Septembris populo post lectionem valedixit rediturus brevi omnino. Supra tria hominum millia esse videbantur, qui ad lectiones accedebant, et magna aviditate, qua verbum Dei audiebant, fructum ex eo se percipere ostendebant [1].

180. Cum autem Perusium pervenisset, ut P. Ignatius injunxerat, Legato et Episcopo, imo et ipsi civitati, aliquem de Societate nostra petentibus gratificari cupiens, statim ad Legatum se contulit (aberat enim Episcopus) et benigne ab eo, et primariis aliis viris exceptus, in hospitali voluit divertere; et quamdiu curia Pontificis ibi erat, et tempus vindemiae homines avocabat, potius aliquid praelegendum, quam concionandum Legato visum est. Sermonem ergo Domini in Monte interpretari coepit, auditorum frequenti numero et in dies

---

1 Laynez Ignatio, Florentiae, 2 Julii; mense Augusti; 24 Septembris 47, et 29 Januarii 48.

crescente, quamvis id temporis (occiso Placentiae D. Petro Aloisio, Summi Pontificis filio), res perturbatae satis essent prout, nomine Collegii doctorum, Julius Oradinus, litteris ad Patrem Ignatium datis testabatur; et ipsa civitas, et Legatus, magna cum aedificatione et gloria Dei, tum Sacrae Scripturae lectionibus, tum concionibus (ad quas postea est invitatus), tum confessionibus, tum aliis pietatis operibus Societati consuetis proficiebat. Unde id ab Ignatio contendebant, ut ad conciones in adventu habendas ibidem Laynez relinqueretur; sed Florentinis promissio facta id impediebat. Episcopus quidem erat id temporis Mediolani, sed officiosis litteris ad Ignatium, et ad ipsum Patrem Laynez, quod sibi gratus fuisset ejus labor et ad perpetuum aliquod opus se propensum habere animum significat; et nobiles quidam et pii homines, qui privatim ab eo orandi et meditandi rationem instituebantur, et civitas ipsa, post bellum et a Pontifice castigationem, humilior et ad profectum magis disposita erat, et ad id ipsum propendere videbatur; hoc igitur initium fuit benevolentiae peculiaris Perusinae urbis erga Societatem. Unde amici quidam post aliquot annos, memores hujus Patris, Collegium Societatis nostrae expetierunt et obtinuerunt [1].

181. Primo vere hujus anni missus est Florentiam P. Andreas Frusius cum Hieronymo Otello, diacono, et initio quidem non invenerunt ostium admodum apertum ad Societatis ministeria exercenda, et aliquandiu ad superius dictum, Joannem de Rosis, medicum diverterunt. At cum in monialium monasteriis quibusdam exhortationes facere coepissent, et, adventante sancta hebdomada, passionem etiam Domini die Veneris Sancti praedicassent, jam talenti expendendi initium aliquod fecerunt. Cum ergo P. Andreas in quodam templo concionaretur, populum invitavit, ut ad christianam doctrinam addiscendam veniret, vel suos mitterent ad parochialem ecclesiam Sancti Pauli, quae ipsis ad hoc et ad confessiones audiendas oblata erat. Post vespertinum igitur officium, magna eo conveniebat hominum multitudo, tam adultorum, quam puerorum, et ter in hebdomada P. Andreas catechistae munere fungebatur. Invisebant etiam hospitalia ad aegrotantium consolatio-

---

1 Ut praecedenti n. 179.

nem. Hieronymus autem in duobus locis, extra et prope urbem concionabatur, et ex villis vicinis frequens auditorum concursus ad verbum Dei audiendum aderat, qui Hieronymum, necdum sacerdotem, ad Missas dicendas et ad audiendas confessiones urgebant; quod in causa fuit ut de eo ad sacerdotium promovendo P. Ignatius cogitaret. Dederat autem ei Vicarius facultatem per totam dioecesim praedicandi, sicut et aliis de Societate, quam, benevolentiae gratia, propria manu scribere voluit. In confraternitatibus etiam, ad quas convenire solet florentinorum magna multitudo, conciones varias habuit. Adjuvabat interim in christiana doctrina docenda P. Andream, postquam ille ex suggestu ea, quae oportebat, declaraverat. Principes ipsi bene animati erga Societatem erant, ac Ducissa praesertim ex quo, initio hujus anni, a quodam de Societate aliqua in scriptis acceperat, quae ad animae ipsius aedificationem et commune bonum pertinebant. In colloquiis etiam familiaribus P. Andreas primarios aliquot viros et consolari et juvare in spiritu coepit; Exercitiis etiam spiritualibus aliquos excolere et ad meliora promovere idem aggressus est, et tanta in quibusdam vitae mutatio facta fuit, ut dexterae Excelsi omnino videretur. Datum, mense Junio, in urbis medio templum Hieronymo Otello, ut qui eatenus in monasteriis verbum Dei praedicaverat, in frequentia civitatis eodem munere fungeretur; et quidem tam frequens accessit auditorium, ut brevi de commutando templo in aliud capacius agendum fuerit; et ejus auditores serio de vitae mutatione (prout a quibusdam auditum est) agebant. Civibus etiam aegrotantibus, ad eos animandos et consolandos, aderat; in tertio die Pentecostes tantopere auditores Hieronymus commovit, ut magnis cum fletibus populus vocem ad Dei misericordiam implorandam simul extulerit. Egit quidem eo fere tempore D. Petrus de Toledo cum praeposito ecclesiae Divi Joannis, penes quem est cathedrali Ecclesiae concionatorem providere, de Patre Laynez Bononia evocando, ut in tota octava (sicut superius dictum est) concionaretur. Erat autem tam fervens in praedicando Hieronymus, ut cum summo mane in ecclesia quadam extra muros, quae Sancti Chyrici dicitur, fuisset concionatus, secundam concionem, in ecclesia Montis-Coelii dicta, ante meridiem, tertiam autem a prandio in consueto templo, quod

Sanctae Mariae de Ricci dicebatur, haberet. Et fuit inter mulieres, quae ipsum avide audire solebant, una, et quidem dives, nec deambulando assueta, quae omnibus tribus concionibus interesse voluit. Confraternitas quaedam tam libenter eum sequebatur, ut cum per quasdam constitutiones impedirentur confratres in aliis piis occupationibus, ne ad ipsum audiendum venire possent, ipsas constitutiones immutaverint, ut ejus concionibus frui possent. Coactus demum fuit in templum D. Michaëlis, ut magis amplum, conciones transferre, quas ne post adventum quidem Patris Jacobi Laynez intermisit. Cum autem per hujusmodi labores, quia corpori etiam per abstinentiam macerando dabat operam, pallidior et macilentior factus esset; unus hospes et amicus noster, medicus, ad P. Ignatium scripsit, obtulitque suam operam, si ei Hieronymi cura, quod ad corpus attinet, committeretur. Offerebatur eidem Hieronymo a capitulo Collegiatae ecclesiae Sancti Laurentii, quae suggestum habet insigne, templum ipsorum ad praedicationem adventus, et multa pollicebantur; ille tamen ad superiorem negotium rejecit, et interim apud Sanctum Michaëlem concionari pergebat; et nihilominus per villarum florentinarum ecclesias ac pagos vicinos cum aedificatione et optimo odore Societatis concionari non omittebat, et cum per has significatum esset, quod inde alio recessurus erat, satis moleste discessum ejus ferebant; et Sancti Michaëlis parochus copiosum ex concionibus fructum provenire testabatur, et in festo Assumptionis Beatae Virginis ducentos et quinquaginta ad communionem se admisisse; multi etiam ad communionem singulis mensibus suscipiendam adducti erant. Pater autem Andreas Frusius ex scripto Patris Laynez primam epistolam canonicam Sancti Petri frequenti cum auditorio interpretari coepit; militibus etiam quibusdam et aliis personis spiritualia Exercitia proponebat [1].

182. Interim cum Cardinalis Augustanus ab Imperatore Carolo V, post victoriam de haereticis Principibus in Germania reportatam, suae Ecclesiae restitutus esset, per litteras Patrem Claudium in Germaniam revocabat; de quo idem Cardinalis Augustanus ad P. Ignatium scripsit, si unquam alius uti-

---

1 Andreas des Freux, Ignatio, Florentiae, 16 Aprilis; Bartholomaeo Ferron, 23 ejusdem mensis et 21 Maii et 2 Julii 47.

lis Germaniae aliquando fuisset, eum P. Claudium his temporibus esse, tantumque posse in posterum praestare, ut nihil Deo gratius facere Societas, quam ipsum remittere in Germaniam, possit. Jam enim introductum se ait in Ecclesiam augustanam, ubi et celebrare coepit et concionari; sed ad Dei et Sanctae Sedis apostolicae honorem, et Sanctae Ecclesiae exaltationem necessarium Claudii adventum et operam affirmat. Hujus tamen reditus hac, quae subdetur, occasione impeditus fuit. Dux Ferrariae Hercules, ab Archidiacono mutinensi, qui Guido de Guidonibus dicebatur, eidemque Duci a confessionibus fuerat, interrogatus fuit, an qui tam multos haberet ministros, per quos suae ditionis gubernationem, reditus ac bona temporalia administraret, an, inquam, haberet aliquem, qui in his, quae ad animae suae salutem pertinerent, consilium ipsi sanum atque auxilium dare posset. Respondit Dux cum lacrymis, se habere neminem, et rogavit eumdem Guidonem ut omni sollicitudine unum aut alterum sibi mittat in his, quae ad spiritum pertinent, exercitatum, et in his, quae ad doctrinam et conscientiae nodos solvendos attinent, instructum, quia omnino vitae mutationem facere constituebat, et talis viri arbitrio omnia, quae ad animam pertinent, sé facturum in se ipso et sua ditione pollicebatur; nec aliud se ab eo expetere, quam ut veritatem in omnibus ipsi libere dicat. Promisit Guido suam operam et statim animum ad Societatem adjecit, et ex tribus, unus ei occurrebat admodum idoneus futurus, scilicet, Pater Laynez, Paschasius vel Claudius; quia tamen benevolentia magna Societatem prosequebatur, non prius unum eorum Duci nominavit, quam ad P. Ignatium scriberet. Scripsit igitur; et quia Ducissa ex regio quidem sanguine Principum Galliae, sed in haereticorum erroribus versata erat, gallum aliquem Patrem idoneum magis fore existimare se subindicavit. Cum autem Pater Ignatius Societatis operam non defuturam Duci, optime de se merito, significasset, et rem penes eum totam reliquisset, magna cum laetitia Guido P. Claudium Jaium Duci suggessit, quem rumor ille episcopatus non admissi illustriorem majorisque auctoritatis apud multos fecerat. Dux autem per suum oratorem animi sui propositum Summo Pontifici significavit; ille vero perlibenter Claudium Duci concessit. Scripsit ergo, Pontificis nomine, Cardinalis Farnesius Cardinali Sanctae-Cru-

cis, Concilii Legato, hanc esse Summi Pontificis voluntatem, ut Patrem Claudium, quandocumque ejus opera a Duce Ferrariae requisita esset, ad eum ex Concilio mitteret; neque enim ei Principi, ad Dei honorem et animae suae ac suorum subditorum auxilium, hoc postulanti, id negare potuisse, pro paterno affectu, quo Summus Pontifex eum prosequebatur. Dux etiam ipse, his Roma litteris acceptis a Legato, Claudium petiit sub finem Julii. Quamvis autem ejus opera et P. Salmeronis, post discessum Patris Laynez, satis Legato utilis esset in his quae ad Concilium pertinent, nihilominus Claudium Duci concessit, postquam uterque de iis quae ad purgatorium, atque indulgentias et Missae sacrificium attinent, sententiam dixissent, et summarium quoddam de rebus ad praedictas materias pertinentibus ex parte confecissent. Pater autem Ignatius, ab eodem Claudio consultus quomodo se gerere cum Duce deberet, officiosis verbis animi sui desiderium inserviendi cum tota Societate Duci Ferrariae, qui primus inter Principes saeculares, ipsis in initiis nascentis Societatis eam suo favore et opera juvisset, significat; et hanc de ipso benemerendi occasionem libentissime amplectendam esse, inserviendi pro gratitudinis debitae ratione Suae Excellentiae; et quod ad modum attinet procedendi, sive per praedicationem, sive per catechismi explicationem, sive alia spiritualia Exercitia, unicam esse responsionem; scilicet, quandoquidem a Sua Sanctitate ad Ducem sit missus, ut ejus opera ille utatur in his, quae ad Dei gloriam esse judicaret, et in omnibus ab ipso Duce se dirigi sinat, et pro Superiore eum habeat in his, quae ad Dei obsequium, ipsius ac subditorum auxilium pertinent, quamdiu Ferrariae fuerit; quod si ipse libertatem permitteret, curaret ut ipse quibuscumque vellet pietatis operibus, pro instituti nostri ratione, vacaret. Bona ergo cum venia Legatorum de Monte et Sanctae-Crucis (cum quibus convenit, ut quando de rebus novis agendum esset in Concilio, rediret), Ferrariam die Sancti Laurentii pervenit; cum autem Duci litteras Cardinalis Sanctae-Crucis obtulisset, humaniter ab ipso exceptus est; qui eidem significavit, quod ad negotia pia, et ad alios et ad se pertinentia, ipsum evocasset. Interim autem in hospitali Sanctae Annae et pauperibus infirmis, consolatione et auxilio spirituali indigentibus, et externis etiam in confessionibus et spiritualibus Exercitiis, operam navavit.

Cum autem ageretur de omnium hospitalium ferrariensium unione, congregationibus quorumdam ecclesiasticorum et saecularium nobilium, ea de re agentium, intererat. Dux autem et habitationem commodam in ipso hospitali, et omnia abunde suggeri jussit. In quodam autem pio loco puellarum orphanarum, multas utriusque sexus hominum confessiones audivit, multisque Eucharistiae sacramentum ministravit; conciones etiam ibidem habere coepit, cum gratum id esse Duci (a quo id opus institutum fuerat) intelligeret; nec tamen deerat quotidiana messis in amplo illo Sanctae Annae hospitali; brevi autem in orphanarum ecclesia, quae Sancta Maria de la Rosa dicitur, auditorum frequentia contineri jam non poterat. Crescebat interim crebro confitentium et communicantium numerus; adivit etiam Episcopum, qui Cardinalis Salviatus erat, qui omnem suam auctoritatem eidem communicans, perlibenter quamdiu Ferrariae versaretur, eius opera usus est. In colloquiis etiam familiaribus multis et consolationem et auxilium in Domino afferebat; nec in uno hospitali solum pauperibus consolationem et auxilium Sacramentorum impendebat. Fatebatur multo majore cum consolatione, se inter foetorem atque aerumnas aegrotantium in xenodochio, quam inter odores curiae versari [1].

183 [2]. Cum autem praefectus hospitalis Sancti Pauli, praesset etiam ecclesiae Sanctae Felicitatis, suos hospites rogavit [3], ut quandoquidem Hieronymus aliquandiu in paroecia Sancti Michaëlis verbum Dei proposuisset, suis etiam apud Sanctae Felicitatis templum praedicaret. Insigne illud templum est et amplum, et cum ibidem Hieronymus concionaretur, ut numerus ita etiam auditorum fructus augeri potuit. Nec distantia locorum, aut ventus, aut pluvia auditores, quin eo se con-

---

1 Hercules, Ferrariae Dux, Ignatio, de P. Claudio Jaio, 30 Julii; Cardinalis Farnesius Ignatio, de Jaio Ferrariam mittendo, Pontificis jussu et Ducis desiderio, 23 Julii; Ignatius Tridentum Jaio, mense Augusti 47.

2 Videtur hic deesse aliquid; nam ex abrupto redit ad Otellum misso Jaio. (*Nota in ora paginae apposita.*)

3 Laynez et Otellum.

ferrent, impediebat. Complures etiam alii parochi ejusdem operam in suis ecclesiis expetentes, in festis praesertim, quae ab ipsis celebrari solebant, eum invitabant; eis autem, qui primi operam ipsius petebant, concedere solitus erat; et postquam conciones adventus cum fructu absolvisset, Pratum, quod est oppidum vicinum Florentiae, ad sacros ordines suscipiendos missus est [1].

184. Cum Cardinalis Sanctae-Crucis intellexisset Perusium mittendum esse Patrem Laynez, rogavit, ut etiam Eugubium (qui episcopatus ipsius curae commissus erat) accederet; distat enim Perusio viginti tantum milliaribus; cum autem ibidem undecim tantum dies commoratus esset, sex habuit conciones, Vicario petente, in monialium Cardinali subditarum monasteriis, de rebus ad earum vocationem spectantibus. Et quidem, ut Vicarius testatus est, non poenitendo cum fructu in eo laboravit, nunquam enim res hujusmodi moniales se audivisse aut intellexisse fatebantur. Sed etiam ad populum habuit conciones, tam frequenti auditorio, ut ne tempore quidem quadragesimae tantus ad verbum Dei audiendum concursus fieri soleat; de his etiam dubiis, quae conscientias aliquorum sollicitas habebant, consultus, et de aliis ad Sacras Scripturas pertinentibus, sic respondit, ut mira cum consolatione sit omnibus satisfactum; quod patuit ex muneribus (quamvis non admitterentur) et aliis modis, quibus animi sui benevolentiam cives testabantur.

185. Quia etiam cives Montis Politiani a P. Ignatio obtinuerant, ut saltem in ipso transitu aliquid consolationis spiritualis Pater Laynez ipsis impenderet, recedens Eugubio, eo se contulit, et tribus continuis diebus populo, cum magna ipsius satisfactione concionatus est, et semel in quodam monasterio ordinis Sanctae Clarae; contulerunt etiam cum ipso aliqui, quae ad ipsorum conscientias pertinebant; plurimorum etiam confessiones audivit. Archipresbyter, vir primarius ejus civitatis, semper concionibus intererat, magnamque erga Societatem benevolentiam prae se ferebat. Aliquem ex nostris certe ad tempus aliquod sibi adesse magnopere expetebat. Ideo cum Florentiam Laynez pervenisset, licet sancte occupatum Patrem

---

1 Ut supra ad n. 179.

Andream Frusium in Sacrae Scripturae lectionibus et concionibus, ac aliis pietatis functionibus, pro more Societatis, invenisset, mittendum tamen ad eam civitatem existimavit; ipse vero cum Hieronymo Florentiae substitit; qui quidem Hieronymus in dominicis adventus, mane apud Sanctum Laurentium cum satis frequenti auditorio, a prandio vero apud Sanctam Felicitatem, reliquis autem hebdomadae diebus, diversis in monasteriis, concionabatur. Ipse vero P. Jacobus Laynez dominicis et festis diebus in cathedrali Ecclesia, quinque hominum millibus, ut referebant, audientibus, concionabatur; et ex utriusque concionibus non consolatio solum, ac satisfactio, sed fructus etiam non vulgaris est consequutus. Quod ex parte attentio, et promptitudo ad eleemosynas in opera pia ipsis commendata faciendas, et ad sacramentum Confessionis et Communionis major solito frequentia, et ecclesiasticorum ad vivendi formulam vocationi suae consentaneam reductio testabatur. In monasterio etiam monialium aliquando et ipse P. Laynez concionabatur, et mirum in modum religiosae mulieres, ac praesertim monasterii cujusdam hospitali Sancti Pauli (ubi nostri divertebant) conjuncti, magnam vitae mutationem, et in sui cognitione ac vera obedientia progressum, ut quae illis praeest affirmabat, fecerunt, adeo ut renovatae in spiritu sibi omnino viderentur; in hospitali etiam ipso, tam pauperes, quam ministri, qui eis inserviebant, et peccata confitebantur crebrius quam solebant, et concordiam inter se majorem retinebant, et demum majores in spiritu progressus faciebant. Ipso die Conceptionis Beatae Virginis, postquam in summo templo concionem habuisset P. Laynez, rogatu praefecti arcis, toti praesidio militum, ipso praefecto ac ejus uxore et familia praesente, hispanice concionatus est; et quidem cum magna omnium spirituali consolatione; et jam inde ab eo tempore complures milites ad Patrum habitationem se conferentes, vitae mutationem, et se ad Poenitentiae sacramenta crebro accessuros, promittebant. Multi, postquam casus conscientiae cum Patre Laynez contulissent, quae ab ipso significabantur, juxta Doctorum sententiam, esse ad salutem necessaria, tam in restitutionibus quam in aliis rebus magni momenti, se facturos pollicebantur. Arcessiti etiam ab aegrotantibus vel consolationis, vel confessionis gratia, suam illis operam praestabant, et

vitae mutationem post sacramentum Confessionis serio et ipsi pollicebantur. Offerebantur sex vel septem loca Societati, quamvis nullum eorum Laynez admisit, cum ad nostri instituti ministeria minus idonea viderentur. Concionibus adventus magna cum aedificatione populi absolutis, omniumque infirmorum hospitalis ac ministrorum confessionibus auditis, aliorum plurimorum, et inter caeteros totius fere domus Ducissae, confessiones P. Laynez audivit; nam ab ipso die Nativitatis, usque ad ultimum Decembris in hunc pium laborem, cum magna domus illius consolatione, non intermissis confessionibus, incubuit; et a praesidio militum arcis invitatus, id ipsum militibus praestitit. Dum haec gerebantur, Alexander Strozzius, vir magnae apud Ducem auctoritatis, et Societatis nostrae valde studiosus, Ducem hortatus est, ad Collegium aliquod in sua ditione inchoandum; et cum suam operam Dux obtulisset, affirmabat idem Alexander, in renovatione studiorum, quae Pisis brevi facienda erat, initium ejusmodi Collegii in illa civitate se sperare [1].

186. Nec poenitendus etiam fructus, tam in populo, quam in monasteriis ex praedicatione P. Hieronymi Otelli fuerat consequutus, et ad sequentis quadragesimae conciones, a canonicis Sancti Laurentii et praefecto Sanctae Felicitatis expetebatur; cum autem ad suscipiendos ordines Pistorium mitteretur, et Prati Episcopum invenisset (quod oppidum decimo milliario, tam Florentia, quam Pistorio distat) ibidem apud Episcopum mansit, et a canonicis et ab ipso Episcopo rogatus, in summo templo concionatus est, cum paulo ante alio in loco id fecisset; et a prandio in duobus monialium monasteriis idem praestitit et quidem coram ipso Episcopo, qui non mediocrem inde fructum sperabat [2].

187. Pervenit P. Andreas Frusius Montem Politianum calendis Decembris, qui amanter ab Archipresbytero et aliis exceptus est; et ut suis litteris Archipresbyter testabatur, tantum spiritualis consolationis ac beneficii ex P. Andreae praesentia acceperunt, ut nec ipse nec civitas illud unquam oblivioni essent tradituri; et tamquam a Deo missum se eum excepisse

---

1 Laynius Ignatio, 24 Septembris 47, et 29 Januarii 48.

2 Andreas Frusius Ignatio, 2 Julii 47.

scribit, quia eo tempore venit, cum sollicite inter amicos et patronos aliquem, qui ibi concionaretur, Archipresbyter quaereret; et ut ex improviso advenit, ita fructus statim cerni visus est. Acciderat quippe ut qui concionator eo adventu futurus erat, aliqua verba prima Dominica Adventus diceret, propter quae necessario debuit Florentiam se conferre, ut Duci, penes quem male audiebat, satisfaceret; instituerunt ergo ut P. Andreas conciones ejus loco prosequeretur; quod non solum libenter ille praestitit sed ter etiam in hebdomada, quae populo illi valde opportuna videbantur, praelegit; et quamvis populus vehementer in ipsum affectus sit, ipse tamen Archipresbyter prae caeteris illi devinctus erat, et tantopere in spiritu profecit, ut omnino Deum ejus cor tetigisse videretur; magna is apud suos erat auctoritate, ejusque exemplum magni momenti futurum erat. Cum autem P. Andreas ex suggestu suam operam his, qui privatim ea uti vellent, obtulisset, multi ad eum confessionis gratia, quinque autem aut sex ut in meditationibus spiritualibus exercerentur, venerunt; quos Pater, et alios etiam, qui se ad id ipsum disponebant, adjuvisset plurimum, si a P. Ignatio, qui ejus opera ad res alias, ad universalius Dei obsequium pertinentes, indigebat, Romam non fuisset evocatus. Agebat Archipresbyter cum ipsa civitate de loco quodam magnae devotionis Societati offerendo, et tam graviter Patris Andreae discessum tulit (miro enim affectu illi adhaeserat) ut diceret se velle Monte Politiano recedere, quia ejus absentiam tolerare non posset. Praeter ea quae dicta sunt, antequam Monte Politiano P. Andreas recederet, concordiam quamdam magni momenti inter aliquos dissidentes, et alia pietatis opera paucis illis diebus conficienda curavit.

188. Hoc anno Collegium Patavinum duodecim vel quatuordecim collegiales habuit, et praeter studia, quibus operam dabant, complures ex scholasticis ejus universitatis in spiritualibus Exercitiis, et in Sacramentorum ministerio, sicut alios etiam ex ea urbe juvare nitebantur, nec sine fructu proximorum ibidem, vel solo exemplo, vel colloquiis familiaribus, versabantur; diebus autem dominicis et festis major ad eos Confessionis et Communionis gratia fiebat concursus; unus eorum qui in rebus spiritualibus exercebatur, cum retraheretur ab amico quodam, non solum ejus suasionibus non cessit,

sed absolutis, magno cum fructu, suis exercitationibus, alios ad easdem, offerendo et habitationes et expensas, invitabat.

189. Inter eos qui ex eo Collegio hoc anno egressi sunt unus fuit P. Elpidius, qui aliis praefuerat, et suo loco P. Petrum Fabrum flandrum, ex P. Ignatii praescripto, superiorem reliquit. Alter etiam ab eodem Collegio egressus est, P. Stephanus Baroellus, qui Bassanum se contulit, ubi jam Pater Laynez semel atque iterum concionando, optima verbi Dei semina, et quidem in terram bonam, non pauca seminaverat. Coepit autem Stephanus tum praedicationi, tum etiam confessionibus audiendis vacare; puerorum etiam non exiguam multitudinem in spiritualibus rebus juvare studuit; sed Exercitia peculiari cum fructu multorum proposuit; Sanctum Sacramentum Eucharistiae ducentis et amplius personis communicabat; confraternitati cuidam Sancti Viti, quae piis operibus egregiam operam navabat, Sacramenta sunt ab eo administrata; monialibus etiam prodesse studuit. Sed quod prae caeteris aedificationi fuit, illud erat, quod cum magna rerum temporalium penuriam ipse pateretur, multaeque occasiones pecuniam sumendi sese offerrent, nihil unquam accepit, ne de his quidem quae ad ipsum, domum mittebantur. Nec solum concionibus monasteria aliosque in melius provehere conabatur, sed etiam familiariter colloquendo, et in scriptis aliqua ipsis bene vivendi documenta praebendo; tantoque affectu multi, qui ab eo instructionem spiritualem habebant, hominem prosequebantur, ut et patrem et matrem, qui ipsum genuerant, benedicerent. Et moniales aliquae fletibus et votis ad Deum missis (una, inter caeteras, per annum nudis pedibus incedere promiserat) eum in confessarium impetrare studuerunt. Quo in monasterio sine paupertatis observantia prius vivebant, et jam dudum ad Sacramenta non accesserant; sed cum ei confessae fuissent, sic Deus earum oculos aperuit et cor immutavit, ut magnis Dei donis coeperint abundare, et suspiriis ac lacrymis de praeterita vita compunctae, in spiritu renovatae sunt, et quidquid proprium haberent abdicantes, magnos dein in spiritu progressus fecerunt. Cum autem Bononiam inde evocaretur, et postridie Nativitatis Sanctae Mariae Virginis proficisci deberet, tam multi eum confessionis gratia urgebant, ut aliquot dies praeterea ibidem haerere ut satisfaceret omnibus debuerit;

multos praeterea cum ad peccata et vitia relinquenda et virtutes sectandas juvisset, bonis civitatem auctam reliquit. Cum autem Venetiis et Patavio transisset, et aliqui ipsius opera et colloquiis in ipso itinere profecissent, Bononiae etiam concionibus, et confessionibus, et spiritualibus Exercitiis tradendis aliquandiu occupatus fuisset, Romam, quo evocatus fuerat, multum laboris in itinere passus, se contulit.

190. Cum sacerdos quidam, nomine Sylvester Landinus, Romae in adversam valetudinem venisset, et in ea satis impatienter et morose se gessisset, diligenter quidem P. Ignatius curavit, ut sanitati restitueretur; quoniam vero parum aedificationis, cum aegrotaret, bonus ille sacerdos reliquisset, ut domum suam se conferret Ignatius injunxit, non quidem omnino a Societate hominem dimittens; sed tamen ille, conscius impatientiae suae, id timebat. Et tandem vir alioqui valde bonus, correctionem Patris admittens, Malgratum Sarzanensis dioecesis, quae patria ipsi erat, confirmaturus interim valetudinem se contulit, dubius animi an eum P. Ignatius in Societatem revocaturus esset; quo in dubio, data opera, correctionis gratia, relictus erat. Toto in itinere optime se gessit, partim concionando (partim privatis colloquiis ad bene vivendum alios exhortando), partim confessiones audiendo; et quidem cum fructu non poenitendo, laboravit. Lucae vir quidam primarius domum suam in Societatis usum offerebat, alii cives pecuniam ei non solum offerebant, sed et recedenti post tergum projiciebant, cum Lucae eum detinere non possent; noluit tamen eam admittere; alii saltem ut equum ad iter acciperet petebant; nec deerant qui dicerent, "sequar te quocumque ieris„. Cum Massam pervenisset, sacerdotem quemdam, Rochum nomine, spirituali amicitia sibi conjunctum invenit, egregie illum quidem occupatum in aegrotantibus, in pauperibus et orphanis juvandis. Qui licet centum et quinquaginta pagorum vel oppidulorum curam gereret, ex Sancto Paulo lectionem unam Massae quotidie praelegebat, et noctu ad orationem homines, et ad eleemosynas et jejunia inducebat. Hanc ille curam P. Sylvestro relinquere optabat, ut ipse alibi praedicaret, si Patri Ignatio id probaretur, quamvis alioqui messis satis copiosa P. Sylvestro non deesset. Coepit enim is in praecipuo templo ibi concionari; et cum multis modis ei pecuniam obtrudere conarentur, cum

magna eorum aedificatione eam rejecit. Monialis quaedam, quae sexdecim annos extra monasterium vixerat, facultate quadam a Sede Apostolica non bene obtenta, cum ipsi confiteri vellet, antequam eam admitteret, promissionem ab ea redeundi ad suum monasterium (a quo reditus ejus expetebatur) exegit; et post confessionem, Rochus ille, suis expensis, Parmam, ad suum monasterium decenter reducendam ab se recepit. Cum quidam monachus, ordinis Sancti Augustini, populo errores quosdam praedicasset, et inter caeteros, quod Beatissima Virgo non solum in peccato originali concepta fuisset, sed venialiter etiam peccasset, publice hominem reprehendit, unde populus illum deseruit, nec se talia auditurum in posterum promisit. Sarzanam deinde veniens, pacem inter quosdam patres et filios, qui vicissim sibi manus inferre voluerant, conciliavit. Malgratum postea, inde in patriam suam perveniens, afflictum admodum invenit populum, quem tempestas horrenda, ipso die Sanctae Magdalenae anno 1546, sic vastaverat, ut nec vineas, nec arbores, nedum fructus relinqueret, et vix quatuor annis sperabatur ex eis ullus fructus. Consolari ergo per Sacramenta sancta homines curavit, et paulatim, ut singulis diebus festis aliqui ad communionem accederent curavit. Commodus illi ad praedicandum locus datus est, et tam laici, quam ecclesiastici ejus opera uti expetebant, et a suis malis consuetudinibus recedebant. Fuit qui cum triginta annos concubinam tenuisset, eam a se tandem abjiciens, Sylvestrum sequi volebat; et plurimi alii in illis locis, a Castilione (quod oppidum est in ditione Florentiae) usque ad Pontemtremulum, ei se conjungere in divino obsequio optabant, et reditus suos ecclesiasticos in communi conferre parati erant. Archipresbyter Malgrati, qui plures quam viginti ecclesias habebat sub cura sua, uno die, cum Missa nova diceretur, ut ter concionaretur, ab eo obtinuerat, ex tota illa provincia hominibus eo convenientibus, primo quidem, mane apud populum ante Missam novam; secundo, in novi sacerdotis domo post sacrum, in platea quadam ramis desuper operta, ubi sacerdotes cum laicis auditores erant; tertio autem, post vespertinum officium, ubi soli sacerdotes erant, dimisso populo, ubi de reformatione, et de constitutionibus ad eam pertinentibus est actum, et ut alicui id curae injungeretur, qui observationem curaret;

et se contentos fore dixerunt, dummodo P. Sylvester eam curam exerceret, nec detrectare potuit constitutionum conficiendarum munus. Et postmodum, quatuor jam in locis sacerdotes ad confessionem et communionem populum adducere octavo quoque die coeperunt, et concionandi officio ipsi etiam fungebantur. Cum autem in festo Assumptionis Beatae Virginis, in saltationibus et aliis parum ad Dei honorem pertinentibus populus terere tempus esset solitus, tota multitudo ad conciones et vespertinum officium in ecclesia fuit deducta. Ter eo die Pater Sylvester concionatus est, et quia ad confessionem multi permoti fuerant, in diem sequentem illae differendae fuerunt; ait etiam non solum confessionibus et concionibus messem uberem ibi paratam esse, sed et martyribus, cum circa ea loca pessimi haeretici versarentur, qui nullum haberent ciborum delectum diebus Veneris et quadragesimae, purgatorium et venerationem Sanctorum negarent, nec signo Crucis se munire, nec Pater, aut Ave Maria, aut alias orationes dicere vellent; erant etiam qui infernum esse negarent, et Missarum Sacrificia impedirent, detestarentur Summum Pontificem et Cardinalium Collegium. Stringebat homines Sylvester, partim rationibus et auctoritatibus, partim etiam minis; ex suggestu etiam publice eos exagitabat et confundebat, cum eorum peccatum publicum esset ; et sic os obturabat hominum ut illi ne hiscere quidem auderent. Sacerdotes ipsi, qui prius parum benevoli erant, arctissimo charitatis vinculo se ei conjunxerunt, et concionari etiam ipsi, et populos ad sacramentum Confessionis et Communionis, octavo quoque die sumendae, hortabantur; propriae etiam vitae reformationi cum laicorum aedificatione dabant operam. Cum ex provincia quadam, quae Garfagnana dicitur, ad verbum Dei praedicandum invitaretur, quod non haberet Patris Ignatii litteras, id facere non est ausus. Non cessabat tamen in vicinis patriae locis, in nundinis, in plateis, et ubicumque hominum fiebant conventus, et etiam in ecclesiis verbum Dei seminare ; quod tam gratum erat parochis, ut si quis ex subditis adesse recusaret, minarentur se non amplius eos in ecclesiam admissuros. Accepit tandem a P. Ignatio litteras, quibus in gremio Societatis retineri cum intellexisset, incredibili gaudio perfusus est, et crebra litteris oscula imprimens, genibus flexis gratias egit Deo. Cum enim ob impatien-

tiam, de qua supra egi, timeret se a Societate separandum, ut placaret P. Ignatium, plura sacrificia in honorem Dei, Beatae Virginis, et Angelorum, ac Apostolorum obtulerat; et beneficio impetrato, totidem in gratiarum actionem obtulit. Cum autem pergeret in consuetis ministeriis, aliqui religioni se addixerunt utriusque sexus; eleemosynae largius fiebant; concordiae inter dissidentes reconciliabantur; blasphemiae reprimebantur, et festa sanctius observabantur. Cum autem quidam ex clero, reformationi adversantes, non solum contradicerent, sed mortem etiam ei minarentur, significandum eis curavit, se ad martyrium esse paratum, si tali beneficio eum Dominus dignaretur; veritatem interim se semper dicturum, donec ipsi vitam in melius mutarent; proinde spem abjicerent, quod taciturus esset, donec bono vitae suae exemplo populum aedificarent. Domini temporales et spirituales illi favebant, et qui gubernabat ea loca, pro Duce Florentiae, cum uxore et familia ei confessi sunt, ejusque conciones audiebant, etiam in plateis; et de ejus sanctitate et zelo mira apud homines erat existimatio. Scripserunt autem ad P. Ignatium, tam Gubernator, quam Vicarius Episcopi, petentes illum inde non removeat, saltem ad tempus aliquod. Litterarum Gubernatoris summa haec est, quod divina Bonitas per P. Sylvestrum Landinum uberes ibi fructus producat, et quod sit necessaria ejus praesentia, ut consolidentur pietatis certa opera, tam in confessionibus et communionibus frequentandis, quam in concionibus atque lectionibus, in reprimendis blasphemiis, in pace inter multos ineunda, sicut jam inter aliquos est inita, ubi etiam mors aliquorum hominum intervenerat, et aliis pietatis ac misericordiae operibus. Officialis etiam Marchionis de Feleaerro [1] non privatas tantum personas, sed populos ad concordiam per eos redactos affirmat; apostatas ad suam religionem, eo auctore, redeuntes; bonas constitutiones ad peccata publica excludenda factas; aliquos, qui in tenebris vitiorum versabantur, luce boni exempli jam aliis aedificationi esse; quod catechismum edocuerat; et cum tantum diebus festis, et raro, ad Missae sacrificium homines accederent, ejus opera factum esse, ut

---

1 Sic clare in mss.; sed quis hic Marchio fuerit et an ejus cognomen seu titulus bene itexpressus necne, nullibi adhuc reperire potuimus.

quotidie frequentes Sacrum audirent. Addit etiam officialis quod labores indefessus P. Sylvester sustineat, quod quotidie jejunabat, et pane non triticeo, sed ex panico vesceretur, et aquae potu uteretur, dies et noctes in proximorum auxiliis occuparetur; quod ejus familiaria colloquia omnis aetatis hominibus essent aedificationis plena; et quod non solum ejus conciones essent maxime fructuosae, verum etiam vitae exemplum, et modestia in victu et vestitu, perpetua quaedam esset praedicatio, nec reperiri posse qui tantopere provinciam illam, in magna alioqui necessitate constitutam, supra quam dici possit, consolari ac juvare sic valeret; ideo P. Ignatium obsecrat, ne Patre Sylvestro provinciam illam privet [1].

191. Missus fuerat primo vere hujus anni 1547, ut supra diximus, P. Hieronymus Domenech ad Pro-regem Siciliae, Joannem de Vega. Panormum ergo initio mensis Maii pervenit, et pietatis operibus dare operam eo in regno coepit. Invisit eum P. Jacobus Lhoost, qui in dioecesi Agrigentina, simul cum Vicario, utiliter admodum in Domino laborabat, et quaedam monasteria monialium, quae anno praeterito ad observantiam suae religionis reductae fuerant, confessionibus, et praedicationibus in officio continebat; aliquae etenim moniales, quae non libenter reformationem ferebant, negotium facessere melioribus solebant; magna tamen animi laetitia, in communi vivendi ratione juxta ipsarum institutum, Dominus eas perfundebat. Praelegit interim clero epistolam B. Pauli ad Titum; sed diebus dominicis et festis lectio tam populo quam ipsis communis erat; aliis autem ferialibus diebus, solis clericis, et paucis quibusdam nobilibus adjunctis, de iis, quae ad ipsorum officium et mores pertinebant; libenter autem clerus quae suggerebantur admittebat, et ad suum officium faciendum se comparabat. In concionibus etiam auditorum crescebat multitudo, et in multis eorum Deo serviendi desideria augebantur. Archipresbyter quidam, qui oppido, in quo quatuor millia familiarum degebant, praepositus erat, sexdecim sacerdotes deputavit, qui curae oppidi exercendae vacarent. Hic assiduus auditor Patris Jacobi erat, et eum magna benevolentia prose-

---

1 Sylvester Landinus Petro Codacio, Margrati, 8 Septembris 47; idem ibidem Polanco, 7 Februarii 48.

quebatur. Sed et hospitali per eleemosynas subveniri curavit, et alios aegrotantes extra hospitalia invisebat, eos, qui ipsis assistebant, praecepta Dei docens, et ad confessionem exhortans. Quoddam monasterium monialium reformationi, quam alia susceperant, resistebat; sed et illud, cum de profectu spirituali aliorum et fervore rescivisset, eadem imitari coepit.

192. Dedit etiam operam ut monasterium pro mulieribus, quae a turpi vita ad sanam mentem redire volunt, institueretur. Missus est praeterea in quoddam oppidum a Vicario, ubi unum ex eis monasteriis, quae reformationem acceperant, ob gubernationis defectum, valde coeperat perturbari; sed adveniente Patre Jacobo, Dominus rursus moniales ad observantiae studium, magna cum devotione et lacrymis reduxit; Abbatissae et aliquot monialium confessiones Jacobus audivit; omnes autem sanctissimum Eucharistiae sacramentum susceperunt. Alias etiam in eodem oppido confessiones audivit, ac sacerdotibus persuasit, ut aegrotantes officiosius inviserent. In duo alia, vel tria oppida missus etiam a Vicario, similia his praestitit; nam et Abbatissam monasterii, cum aliquot monialibus sacramento Poenitentiae consolatus est, et perseverantes in observantia sui instituti reliquit. Statutum etiam ibi fuit, ut sacerdotes aegrotantes visitarent, et oppidi illius Vicarius promisit, se ne id omitteretur curaturum. Ad civitatem deinde rediens, sub Paschae tempus, messem uberrimam usque ad octavam Paschae ibidem habuit, et a triginta retro annis fatebantur nunquam a se fuisse visam hujusmodi ad sacramenta Confessionis et Communionis accedentium multitudinem. Non est silentio praetermittenda hujus P. Jacobi obedientia, cui cum P. Ignatius injunxisset, ut octavo quoque die scriberet, quamvis nuncio-rum deesset commoditas, et eadem essent crebro repetenda, nullam tamen elabi hebdomadam permisit quin scriberet, licet multae simul ejusdem litterae quandoque perferebantur. In schola etiam quadam pueros catechismum edocuit. Cum autem Vicarius Cardinalis Carpensis, ad Pro-regem salutandum, Panormum se conferret, secum P. Jacobum deduxit; unde mense Maio Patrem Hieronymum, qui recens advenerat, magna animi laetitia amplexus est; usque ad Pentecostem Panormi manens, et in monasterio Conversarum confessionibus et communionibus, sicuti et aliorum eo convenientium, et in quibusdam etiam

concionibus occupatus, Agrigentum rediit, et in solitis se functionibus charitatis exercuit, donec mense Augusto, a P. Ignatio Romam, ut inde Lovanium proficisceretur, est evocatus.

193. At P. Hieronymus, cum primum Panormum pervenit, et amanter admodum a Pro-rege et ab ejus uxore, domina Eleonora Osorio, fuisset exceptus, utriusque confessiones audire coepit. A Pro-regina, quae inde decesserat, commendatum valde fuerat dominae Eleonorae monasterium Conversarum; quae cum rescivisset spirituali et temporali auxilio valde illud indigere, utriusque auxilii afferendi curam Hieronymo commendavit. Cum autem P. Hieronymus illuc se contulisset, in eo statu monasterium invenit, ut si praesens remedium non adhiberetur, timendum esse judicaret, ne pium illud opus omnino concideret. Qui electi fuerant ab ipsa civitate ut hujus monasterii curam gererent, etsi jam mensis post electionem praeteriisset, nullam tamen monasterii curam suscipiebant, quia laboriosam admodum ejus gubernationem fore intellexerant, tum propter discordiam monialium, quae Abbatissae subesse nolebant et de recessu potius cogitabant, tum quia populus, ad quem intestinarum turbarum permearat rumor, voluntatem huic operi subveniendi abjecerat [1]. Adivit deputatos P. Hieronymus, et ne desponderent animo hortatus est, et omnem operam, nomine Pro-reginae, ac favorem obtulit; unde illi animati, manum operi admoverunt. Curavit autem P. Hieronymus ut, ex eo monasterio Abbatissa educta, ad suum monasterium unde egressa fuerat, reduceretur; quod jam pridem Vicarius, et deputati faciendum judicabant, si aliam quae Conversis praeesset invenire possent. Pater ergo Hieronymus matronam quamdam, viduam primariam, ac spiritu divino praeditam, quae huic operi, ut inchoaretur, ab initio favorem praestiterat, conveniens rogavit eam, ut ejus monasterii curam tamdiu susciperet, dum alia, quae praeesset, quaereretur; quod cum matrona

---

1 Paragraphus haec sic in mss. se habet: "...nullam tamen monasterii curam suscipiebant, tum quia laboriosam admodum earum gubernationem fore intellexerant, partim propter discordiam monialium, quae abbatissae subesse nolebant sed de recessu potius cogitabant, partim quia populus protestasset rumores, voluntatem huic operi subveniendi abjecerant." Ubi recte hujus scripti antiquus et diligens scrutator in ora paginae haec verba apposuit: *Videtur deesse aliquid;* et alius: *desiderantur aliqua.* Nos autem, ut sententia sit, quam exprimunt litterae Patris Domenech infra memorandae, verba aliqua immutavimus et alia pauca addidimus.

fecisset, totum monasterium pacavit, et Drepano duas vel tres moniales evocandas curavit, quarum una Conversis praeesset, et aliae juvarent. Praeterea P. Hieronymus spiritualia Exercitia Conversis proposuit, ac earum confessiones generales audivit, et consequuta est mira rerum omnium immutatio, et in dies magis proficiebant ; praescripsit eis etiam formulam quamdam vivendi, et idoneum confessarium eisdem quaerere studuit, ut ipse ad vacandum aliis operibus pietatis expediretur ; octavo quoque die confitebantur et communicabant; maxima pars in communi vivebant; Vicariam etiam cui obedirent, elegerunt. Demum tantus fervor poenitentiae et devotionis in illis mulieribus subsequutus est, ut exceptis duabus, vel tribus, reliquae omnes, quae fere triginta sunt, velut eximiae imitatrices Magdalenae viderentur. Temporalibus etiam earum necessitatibus subveniendum curavit, et duos Marchiones, qui inter nobiles eleemosynas in earum usum quaererent, rogavit ; quod illi pie praestiterunt. Cum praeterea in festo Corporis Christi, in quadam abbatia jentaculum magnis sumptibus Pro-regi et civitati pararetur, hunc morem, quem offensae Dei nonnullae consequebantur, auctore P. Hieronymo Pro-rex abolevit ; et pecuniam, quae inutilibus sumptibus impendebatur, in Conversarum subsidium applicavit ; aliis etiam, ut mulctarum, emolumentis sic monasterium fuit adjutum, ut illud experiretur, *quaerite primum regnum Dei, et caetera adjicientur vobis;* nam et domus, quae praediis augenda erat, aucta est, ut et numero et spiritu Conversarum monasterium augeretur.

194. Admonuit etiam P. Hieronymus Pro-regem quod alia monasteria ejus civitatis reformatione valde indigere compertum ipsi erat. Cum autem Pro-rex viros aliquos primarios et pios, simul cum P. Hieronymo, congregari jussisset, et de remedio adhibendo ageretur, cura data est P. Hieronymo, ut monasteriorum regulas videret, et ut simul cum Vicario ea inviseret ; et quamvis in aegritudinem incidens Hieronymus, aliquandiu monasteriorum in meliorem statum reductio dilata est ; nihilominus, valetudine recuperata, pium opus est prosequutus; et P. Ignatio Romae juvante apud Sedem Apostolicam (id Joannes de Vega, Pro-rex, litteris ab eo expetierat), prout in monasteriis Catalauniae fecerat, non frustra laboratum est. Nam ut ipse Pro-rex scribit, sub hujus anni finem

duo monialium monasteria Panormi, opera ejusdem P. Hieronymi sunt reformata. Effectum est praeterea ut illud Innocentii decretum, quo cavetur ne medici aegrotos invisere pergant, nisi prius confessi fuerint, Panormi publicaretur, adjuvante doctore Ignatio Lopez, et Pro-rege pro animi sui pietate id jubente ; itaque jam passim cernebatur Sanctissimum Sacramentum ad aegrotantes allatum, et medici sacculos tunicarum plenos habebant scriptis testimoniis, quod aegrotantes confessi essent ; nec confessarii tam multis poenitentibus infirmis sine magno labore satisfacere poterant. Effectum est deinde ut edictum per totum regnum promulgaretur ; quod perutile fuit, cum multis in locis homines publice confiteri erubescerent; et per manus P. Hieronymi, centum litterae, subscriptae a Pro-rege, cum adjunctis edictis expeditae fuerunt. Et sic demum in omnibus ejus insulae locis edictum promulgatum est.

195. Domus praeterea orphanorum utriusque sexus Panormi est instituta, de qua etiam Pro-rex Romam scripsit, et a P. Ignatio juvari voluit ; cum autem ad hoc opus domum et ecclesiam idoneam invenissent, cumque civitas supra duo millia scutorum, annui reditus, ad puellarum orphanarum dotes haberet, minus difficile fuit, auctoritate Pro-regis, ac dominae Eleonorae charitate adjuvante, ut haec pietatis insignis opera, puerorum scilicet ac puellarum, et initium et progressum etiam haberent. Curabat interim P. Hieronymus ut inter congregationes quasdam pax, quae magni momenti erat, conciliaretur ; quod ad quietem cujusdam civitatis pene universae, scilicet Drepani, multum conferebat ; et demum aliis hujusmodi pietatis functionibus P. Hieronymus vacabat, propter quas P. Ignatio domina Eleonora gratias agit, qui eum in Siciliam miserat.

196. Quamvis autem Pro-rex, et ejus domus, statis temporibus, in civitate Montis Regalis versaretur, quia Panormo tribus tantum milliaribus distat, eo se P. Hieronymus ad confessiones et illius, et dominae Elisabethae, ipsius filiae, conferebat; et tam ipsa, quam domina Eleonora, decimo quinto quoque die communicabant, quod ut novum eo in regno, ita et magnae aedificationis fuit. Ibidem etiam praesente Pro-rege, et frequenti auditorio, concionatus est, non sine populi com-

motione et satisfactione; in quodam etiam monialium monasterio, urgente domina Eleonora, concionatus, ad lacrymas uberes auditores commoti sunt; Exercitia etiam spiritualia primae hebdomadae proposuit monialibus, nec ulterius est progressus quod Panormum illi esset redeundum.

197. Custodias etiam publicas cum inviseret P. Hieronymus, plurimos pauperes ob exigua debita ibi retineri observavit; curavit ergo cum Pro-rege ut aliquam pecuniae summam ex poenis applicaret, qua viginti ex his debitoribus pauperibus liberavit, ex quibus aliqui unum aliqui duos annos in carcere detenti fuerant, et quidem cum detrimento uxorum ac filiorum non exiguo; quatuordecim aliis facultatem impetravit, ut cum custode ad publicum quoddam opus (scilicet, *un bastion)* egrederentur, ut suo labore mercedem aliquam, qua se liberarent, lucrarentur. In spiritualibus etiam Exercitiis virum quemdam ad optima quaeque promovit; duos etiam sacerdotes per eadem in spiritualibus exercuit; quorum alter orphanis magister erat; alter ad confraternitatem clericorum instituendam, quae pueros toto regno gratis doceret, Messanam venerat, cujus etiam socius fuit adjutus. Messanae etiam in quadam primaria ecclesia coepit concionari, quod diebus dominicis et festis consequentibus praestitit.

198. Invenit autem Messanae complures, qui in spiritu proficere optabant; et ille sacerdos, qui in spiritualibus Exercitationibus se exercuerat, praeterquam quod ipse valde profecit, multis aliis ea ipsa communicavit, et duodecim in eis exercuit, et in omnibus admiranda metamorphosis cernebatur; sed prae aliis, juvenis quidam, mercator, sui profectus etiam externa documenta et non vulgaria dedit. Ipse P. Hieronymus tres simul exercuit, et inter alios, Baronis filium ecclesiasticum, quem cum ejus pater edomare non posset, tres menses in triremibus habuerat, et admirandam hic etiam vitae mutationem in bonum fecit. Comes etiam quidam, de Condiano dictus, per eadem Exercitia valde profecit. Duo item alii nobiles ad id aspirabant, et quoddam monialium monasterium et alii non pauci; sed unus satisfacere omnibus non poterat; cum praesertim, praeter conciones dominicis et festis diebus habitas, feriatis diebus in variis monialium monasteriis concionaretur. Orphani pueri, qui a suo magistro Exercitia spiritualia acceperant,

magnos in spiritu progressus faciebant, et latissime hoc per spirituales Exercitationes beneficium patere coepit.

199. Magno abusu homines Messanae in templis deambulare tempore divinorum officiorum soliti erant, unde non exiguae Dei offensae sequebantur; effecit autem P. Hieronymus, habita Pro-regis auctoritate, ut toto in regno is abusus aboleretur; Messanae quidem edictum contra hujusmodi homines est promulgatum, deinde per totam insulam, Vicariis ut id promulgarent injunctum est.

200. Cum etiam suggereret Pro-regi utile admodum fore, si ludimagistri suis in scholis doctrinam christianam discipulos edocerent, ipsius cum voluntate (quam ad omnia pietatis opera propensam inveniebat), excudi typis brevem tractatum catechismi curavit, ut postmodum auctoritate Pro-regis, toto in regno id edictum promulgaretur, ut praeceptores ad catechismum docendum tenerentur; ipse etiam operam suam offerebat ad hanc consuetudinem per singulas urbes inducendam, in quibus interim Dei verbum potuisset concionari; et quidem peregrinando, cum socio Juliano, id praestare cupiebat. Ad id tamen cum facultate P. Ignatii esset opus, responsum ipsius exspectavit; et interea quidam, qui in Exercitiis spiritualibus sub ipso profecerat, cum patentibus litteris Pro-regis bene animatus ad christianam doctrinam ubique docendam profectus est.

201. Doctore Ignatio Lopez, medico, suggerente, et domino Didaco de Cardona, regni sindicatore, negotium promovente, serio agi coeptum est de Collegio Messanae instituendo. Pro-rex et ejus uxor ad hoc opus valde propensi erant, nec solum Messanae sed Panormi, Catanae et Calatagironae institui Collegia posse Pro-rex judicabat; sed ab ipsa civitate Messanensi rogari voluit, antequam ipse ad P. Ignatium scriberet. Res ergo in Consilio civitatis proposita a domino Didaco de Cardona, successum prosperum et perfacilem habuit; imo si non susciperet civitas hujus Collegii instituendi curam, privati quidam nobiles suis sumptibus reditus parare constituebant. Sed statim, quod a civitate petebatur, obtentum est; id erat, ut commodam habitationem et ecclesiam Collegio instituendo, et ad fundationis initium quingentos aureos annui reditus, firmos et stabiles, daret. Meditabatur quidem civitas stu-

dium generale, vel Universitatem, Messanae instituere, sed a Societate quatuor tantum praeceptores exigebat; ex quibus unus Grammaticam, alter Philosophiam, tertius Theologiam scholasticam, quartus conscientiae casus praelegeret. Cum autem nobilium quaedam confraternitas, Divo Nicolao dicatum sacrarium, cum domo conjunctum, haberet, in civitatis et etiam operis tam pii gratiam, facile suam ecclesiam, quae pulchra satis et magna erat, illi obtulerunt, et quidem in via quadam primaria civitatis, et in salubri situ, cum horto et habitatione studiis commoda et quieta satis. Accesserunt tandem jurati civitatis ad Pro-regem, Joannem de Vega, a quo et consensum (qui necessarius erat) facile impetrarunt, et litteras ad P. Ignatium, et ad oratorem Caroli Imperatoris in Urbe, ut ea, quae a Summo Pontifice necessaria essent ad Universitatem, impetraret; de augendo etiam Collegio jam tunc cogitantes, abbatiam aliquam ex his, quae in regno Siciliae satis multae sunt, et hospitalibus ac piis operibus aliquando applicabantur, petere statuebant. Scripsit ergo civitas et dominus Joannes de Vega P. Ignatio, pro beneficio magno Collegium hoc Messanae institui petentes, quod ipsis libenter concessum est initio sequentis anni; sub finem enim quadragesimi septimi id petierunt [1].

202. Confectum erat primis mensibus hujus anni 1547 bellum Germanicum a Carolo V Imperatore, qui Ducem Saxoniae, cum Landgravio, captum penes se detinebat. Erat tunc in ea provincia P. Nicolaus Bobadilla, et initio anni apud Episcopum Passaviensem, qui eum magna benevolentia et honore prosequebatur. Ibi latine Bobadilla in quadragesima concionabatur, et aliis pietatis officiis dabat operam, quod et Ratisbonae postea fecit, cum post Pascha eo se conferret. Hic, licet senatus corruptus, ut et magna pars civitatis, esset, non inutiliter laboravit; et inter caetera effecit, ut publica supplicatio, seu processio solemnis, ad gratias Deo agendas de victoria Imperatoris contra Principes lutheranos celebraretur; et alia etiam publice

---

1 Quae a n. 191 hucusque continentur, excerpta sunt ex litteris P. Hieronymi Domenech, quarum plures quo die scriptae fuerint non constat, aliae vero, et quidem postremae die 4 Julii 47 datae sunt.—Vide etiam litteras italicas Juratorum et populi nobilis civitatis Messanensis Pro-regi Joanni de Vega, 17 Decembris, et eorumdem Ignatio, 18 Decembris 47.

fieri curavit juxta catholicum ritum, quae ab aliquot annis, ea in civitate, intermissa fuerant. Magna ejus erat apud Praelatos et Principes Germaniae gratia et auctoritas, sed apud Regem Romanorum Ferdinandum praecipue; unde Episcopi Viennensis et Wratislaviensis, et alii magnae auctoritatis viri, ejus favore apud praedictum Regem, in suis negotiis ecclesiasticis utebantur. Et habita ratione temporum et locorum, non poenitendum ex illa sterili Germaniae vinea fructum capiebat.

203. Ratisbonam ad Aistetensem Episcopum, sibi amicissimum, evocatus est, ubi charitas in labores non exiguos hominem conjecit. Exercitus caesarianus, cum id temporis stipendia non ei darentur, ut assolet, molestus erat etiam amicis Principibus; unde, cum Aistetensis Episcopus milites a sua ditione arcere vellet, ut latrocinia et caedes hominum vitarentur, curavit causam suam per Patrem Bobadilla apud Imperatorem agere; quam egit ille diligenter, sed maximo cum labore, dum ultro citroque it et redit propere ut rem urgeret; favorem tandem impetravit majorem ipsi Episcopo Aistetensi a Caesare, quam ulli Principum Germaniae fuisset concessum. Sed et nimiis laboribus in morbum incidit; recuperata tamen sanitate, ad curiam, cui, gratissimus erat, rediit; ubi Cardinalis Augustanus in cathedrali sua Ecclesia in pontificalibus sacrum, coram multis Principibus ac nobilibus celebravit; quae res, ut nova postquam exturbati fuerant Augusta catholici, ita gratissima catholicis fuit [1].

204. Coloniae interim qui de Societate nostra versabantur, et confessionibus et aliis consuetis Societatis ministeriis vacabant; et aliqui in spiritualibus meditationibus se exercentes, Deo in Societate se consecrarunt.

205. Lovanium pervenerat magister Daniel, Roma missus, ubi aliquot ex nostris, quos Dominus vocaverat, versabantur, sed initio non omnes simul; his vero primis mensibus anni, in unum locum omnes convenerunt, ideo praecipue quia Romam mittendi non videbantur, antequam sua studia ibidem absolverent, qui non ea absolvissent. Decima octava autem Februarii,

---

1 Bobadilla Cardinali Sanctae-Crucis, sine die sed hoc anno 47; idem Claudio Jaio, Tridentum, Ratisbonae, 4 Junii; idem Salmeroni, Augustae, 16 Augusti 47, et Ignatio, 8 Aprilis 48.

in commune, quod singuli habebant, contulerunt, et donec aliud P. Ignatius constitueret, P. Cornelium [Wischaven] sibi superiorem constituerunt. In conductitia domo degebant ; uni tamen ex nostris dum, ut caeteris se adjungeret, a Collegio, ubi paedagogum egerat, recedebat, Collegii Praeses illud se libenter nostris resignaturum significavit. Erant autem id temporis, praeter Cornelium et Danielem praedictos, P. Adrianus Adriani, qui jam duos annos, postquam se Societati addixerat, Cornelio cohabitaverat; quartus erat Nicolaus Florentii Gaudanus[1] Theologiae bacchalaureus formatus, qui tamen id temporis Bergis, dum aliud ab obedientia constitueretur, pastorem agebat; erat ibidem M. Cornelius Brogelmans, et M. Antonius Vinchius, bacchalaureus etiam Theologiae formatus, et alii quatuor vel quinque, quorum magna pars, votis emissis, divino obsequio in Societate se mancipaverant. Et cum reliquos suo patrimonio Daniel juvaret, ad debita quaedam solvenda suis expensis (quia nulli adhuc reditus erant, nec ex eleemosynis vivere eis licebat), in patriam se contulit. P. Jacobum Lhoost in superiorem expetebant, et ideo, ut superius dictum est, a P. Ignatio fuerat e Sicilia evocatus. Interim regulas quasdam, prout poterant, dum aliae a P. Ignatio mitterentur, ad disciplinam domi retinendam observabant; sed spiritus Domini, in eis abundans, efficiebat, ut perpaucis admodum regulis, in officio continerentur. Nullus enim erat inter illos, qui et vitae exemplo, et doctrina, et peculiari Dei vocatione, ad Societatem aptus non videretur.

206. Occupabatur quidem P. Cornelius in confessionibus audiendis, et quidem generalibus non paucis, et Exercitiis spiritualibus, nunc huic, nunc illi tradendis; multos ad varia religiosorum monasteria mittebat, qui tam libenter excipiebantur, ut ex quibusdam locis ad eum venirent, cum locus aliquis vacaret, et se multos menses exspectaturos pollicebantur, ut ad eorum monasteria aditum haberent, quos ille mitteret; sed nunquam exspectare oportuit, cum semper satis multos idoneos haberet, qui loca illa monasteriorum vacantia implerent. At-

---

1 Idem est Nicolaus Gaudanus et Nicolaus Florentii Gaudanus, scil., Nic. Gaudanus Florentii filius. *(Nota ad oram paginae apposita, non hic sed inferius, ubi denuo de Gaudano sermo fit.)*

tamen multis ejus ministeria non admodum grata Lovanii erant; unde simul cum P. Antonio Vinch, ipso in autumno hujus anni, Romam a P. Ignatio evocatus venit. Bergis autem Pater Nicolaus tam frequens habebat in concionibus auditorium, ut diu antequam concionem inchoaret, ad locum in ecclesia habendum ire oporteret. Magna eum dilectione et veneratione populus colebat; nec mirum, cum et doctrina et concionandi gratia, et aliis admodum raris Dei donis praeditus esset. Ex vicinis etiam civitatibus ad eum audiendum confluebant; haeretici multi, Deo favente, ad catholicam Religionem ejus opera conversi sunt; et ut canonicus, qui eum hospitio exceperat, affirmabat, tota illa civitas exemplo et concionibus ejus commota erat, et multi ad vitae reformationem adducti fuerant, alii ad eamdem aspirabant, et ad confessiones et communiones frequentissime accedebant, et communicantium octavo quoque die numerus augebatur; quae res, nova admodum illis in locis, et ideo magis admiranda videbatur [1].

207. Pauci ex nostris hoc anno Parisiis versabantur, quibus P. Paulus de Achilles praeerat; inter quos P. Baptista Violaeus et P. Pelletarius erant. Spiritualia Exercitia quibusdam proponebant, et apud carthusienses Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta multis octavo quoque die ministrabant. Cum autem ex Concilio Tridentino Episcopus Claramontanus Parisios rediisset, per suum Vicarium, ad Collegium Longobardorum missum, eos salutavit; cum autem ad ipsum accessissent, magna eos humanitate ac benevolentia excepit, et de fructu, qui opera Societatis proveniebat, ac praesertim in Concilio, multa retulit, et ex oratione P. Salmeronis multos ad lacrymas fuisse compunctos; animi etiam sui de Collegio Societatis erigendo, et quidem Parisiis, declaravit; addens brevi animi sui propositum se opere ostensurum. Aliqui Societati se adjungere decreverunt hoc anno, inter quos unus fuit P. Robertus Claysonius; sed et alii Flandri, et quidem Theologiae studiosi, hoc ipsum constituerunt, quamvis non id temporis sint exsecuti. Quaerebant autem domum aliquam, quae propria esset, Episcopo Claramontano juvante, donec domum suam claramontanam in via Citharae expeditam haberet; alii etiam juvabant, non ta-

---

1 Vita mss. Patris Cornelii Wischaven.

men eam quae conveniret invenerunt, aliquot scholasticis si aliunde mitterentur, excipiendis [1].

208. Redierat sub anni hujus initium, in curiam Principis Philippi, P. Antonius Araoz, cui commiserat P. Ignatius nostrorum qui in Hispania versabantur curam, et post P. Simonem, Portugalliae provincialem, secundus ipse fuit; et quidem universa Hispania provincia ipsius tunc erat, terris quidem late admodum patens; sed loca in quibus Societas residebat pauca, et homines etiam, qui Societati parebant, non multi erant. Coeperat tamen Societas, ut in praecedenti anno visum est, congregatiunculas habere quinque; unam Compluti, ubi octo vel decem hoc anno versabantur; altera Pintiae (Valle-oletum vocant) ubi tres, vel quatuor; tertia et quarta Valentiae et Gandiae, ubi etiam octo vel decem plus minusve in singulis versabantur; quinta Barcinone, ubi tres vel quatuor; pauci praeterea in curia Regis, et aliis in missionibus erant. Toleti quidem nobilis matrona, domina Elisabetha de Silva nomine, domum offerebat, et magnam vim pecuniae, ad reditus in Collegii dotationem emendos, paratam habebat, sed in quadam domus parte, pueros orphanos habitare, Societatis nostrae curae commissos, optabat; et quia juxta instituti nostri rationem id non erat, quamvis Toleti Collegium expetendum esset, P. Ignatius admittendum dominae de Silva donum non censuit. Movebantur et alii ad Societatis Collegia expetenda, quae juvare sumptibus suis parati erant; ut Hispali, Caesaraugustae, et aliis in locis; et Marchionissa de Pliego aliquos volebat collegiales Hispali sustentare, et plures etiam si Cordubae Collegium institueretur; sed paucitas operariorum dilatari Societatem non permittebat [2].

209. Reditus Patris Araoz in curiam multis consolationem non mediocrem, ut scribit Apostolicus Nuncius, attulit; nam praeter confessiones et conciones, hospitalium et carcerum visitationes, familiaribus colloquiis et litteris multos ad meliora promovebat. Complutum se contulit, Matrito vicinum, ubi ali-

---

1 Alphonsus Salmeron, *Rdo. in Xto. P. Paulo Antonio de Achillis apud Collegium Longobardorum, Parisiis,* Bononiae, 1 Septembris 47.

2 Araoz Ignatio 24 Aprilis 47. Vide etiam in *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, t. I, pag. 127, notam 4; et ejusdem Fabri litteras domino Joanni de Aragon, Matriti datas 13 Januarii 1546, pag. 284 et sequentibus.

quoties, magno cum spiritu et fructu concionatus est et populo et Infantibus, Philippi Principis sororibus; et magnam Compluti Societatis notitiam dedit, et existimationem auxit. Villanova, nondum sacerdos, in spiritualibus Exercitiis perutilem operam viris quibusdam, ad Dei gloriam praeclara talenta habentibus, dedit. Admissus tunc est P. Joannes Alvarez, qui primum gradum inter philosophos obtinuerat, et tres annos Theologiae studuerat; praeclaris Dei donis praeditus, et magnae humilitatis operibus et mortificationis affectu conspicuus, qui in concionando postea plurimum valuit. Pater etiam Joannes de Valderabano, jam theologus, tunc fuit admissus. Erat eo tempore Compluti P. Michaël de Torres, qui, quamvis anno praecedenti Gandiae simplicia vota Societatis emiserat, ad conficienda tamen quaedam negotia, toto fere hoc anno quid in animo haberet hominibus celabat; firmus nihilominus in animi sui proposito, cum canonicatus et cathedra ei offerretur, admittere noluit, et optimum sui odorem Compluti sparsit. Cum Gandia Caesaraugustam venisset, paratos animos multorum ad Societatem amplectendam reliquit, et quamvis ad jacienda ejus Collegii fundamenta, concionator aliquis merito expetebatur, duo tamen sacerdotes ex nostris, cum aliquo fratre coadjutore, hoc ipso anno Caesaraugustae residere, et quidem populo pergrati esse, coeperunt, nec minus utiles. Hi fuerunt Patres Rojas et Hercules, ex quibus neuter in Societate perseveravit, et tamen, dum alii accedebant, Dei providentia eorum ministerio ad multorum aedificationem utebatur.

210. In quadragesima P. Araoz Matriti cum peculiari Dei favore concionatus est, quo tempore Aemilianus, P. Ignatii nepos, summae spei juvenis temporalem vitam cum aeterna, summo sui desiderio ac dolore illi provinciae Cantabriae relicto, commutavit. Et cum multi in Societatem admitti peterent, tamen perpaucos, ob domus et rerum temporalium angustias, et ut delectus severior haberetur, Araoz admittebat. Vallisoleti insigne oppidum, ubi pauci ex nostris erant, a P. Ignatio per litteras petiit, ut congregationem illam, quae ibi concreverat, firmam ipsis et perpetuam relinqueret, et alia interim pietatis opera, quae Romae curabat, promoveri ab ipso postulavit. Versabatur autem ibi noster ille pusillus grex cum magno fructu, et paulatim augebatur. Episcopus etiam Palentinus, ob

similem causam, P. Ignatio scripsit, sed prius ei congratulatus est, quod clericalem ordinem, ad antiquam institutionem et statum B. Petri Apostoli, illius perfectionis et paupertatis exemplo, Societas reducere niteretur. Erat et in Hispania, praesertim in curia, optimus odor sparsus de nostris qui in Concilio versabantur.

211. Interea Dux Gandiae, Franciscus de Borgia, cum initio anni in oppido suo Gandiensi versaretur, sollicite Collegii sui atque Universitatis expeditionem curabat, quae eodem anno Romae, P. Ignatio adjuvante, obtenta est; et ea fuit prima Universitas, quam Societas habuit; et licet exiguum Collegium esset, omnium primum firmam in Hispania dotationem habuit. Eodem Duce instante ut Societatis nostrae Exercitia auctoritate Sedis Apostolicae approbarentur, Summus Pontifex Paulus III domino Joanni de Toledo, Cardinali et Episcopo Burgensi, qui haereticae pravitatis Inquisitor erat, ac Episcopo Philippo Archinto, Almae Urbis Vicario, et Fratri Aegidio Foscharario, sacri palatii magistro, examinanda ea tradidit, qui omnes, magno consensu, versiones duas latinas, quarum una impressa circumfertur, adhibita etiam emendatione [1], approbavit. Cum autem idem Dux, ad inchoandum Collegium Caesaraugustae et Hispali, ad eumdem P. Ignatium officiose scriberet, ille cui res Societatis in Hispania minus perspectae erant, quam ut posset quidquam certi constituere, subscriptionem sui nominis in alba papyro ad Ducem transmisit, ut habita ratione rerum Societatis eo in regno, superscriberet illo chyrographo vel subscriptione, nomine ipsius P. Ignatii, quod ei scribendum videretur; quae confidentiae significatio mirum est quantopere Ducis animum, alioqui sibi et Societati valde devinctum, strinxerit ac consolatus fuerit. P. Stradam, licet ad Regem Portugalliae scriberet, ex eo regno avocare, ut Hispali, vel Caesaraugustae concionaretur, non potuit; nihilominus caesaraugustano Collegio, ut superius diximus, initium dedit; exiguum quidem, sed tamen unicum Collegium hoc anno, in Hispania, imo et in Societate universa inchoatum. Evocatus est interim a

---

1 Ita perspicue in mss.; sed mendum videtur pro *commendatione;* nam commendationem quidem continent Apostolicae litterae; emendationem vero nullam faciendam injungunt, nec factam reperimus. — Hic ad oram paginae scripsit aliquis, et recte: "De hoc dictum est etiam superiore anno."

Principe Hispaniarum Philippo Dux Gandiae ut in conventu, vel Diaeta regnorum Aragoniae, quae in oppido Monzon vocato, pro more fiebat [adesset], et quamvis contemplationi et orationi deditus Dux, apud Regem per litteras se excusare tentavit; non solum id non obtinuit, sed officium tractatoris (sic enim vocant eos, qui negotia praecipua conventus tractare solent), est illi injunctum; quod non solum Regis confidentiam, sed etiam de prudentia ipsius, et rerum gerendarum dexteritate, existimationem ostendit. Quamvis autem in Regis et regni negotiis occupatissimus erat, in his quae ad reformationem monasteriorum Catalauniae pertinebant, egregiam operam id temporis navavit. Venerat et Pater Antonius Araoz in idem oppidum de Monzon, nam Regis curiam sequi tenebatur consuetis Societatis ministeriis occupatus; cum autem in morbum gravem incidisset, et in domo Ducis ipsius curatus esset, ut vires melius recuperaret, Barcinonem est missus. Agebatur tunc de officio oeconomi Principis (Majorem domus vocant) eidem Duci Francisco conferendo; quod cum animadverteret idem Pater Araoz, admonuit P. Ignatium, ut videret quid facto opus esset, jam enim anno proxime elapso simplex votum Societatis idem Dux Gandiae emiserat; suggessitque ut dispiceret an per professionem, licet secretam ad tempus, stabiliri magis in sua vocatione Dux Gandiae deberet, dummodo aliqua ratio iniri posset, ut temporalium bonorum suorum administrationem habere ac distributionem tandem facere valeret, dum liberis suis utriusque sexus consuleret. Non neglexit P. Ignatius quod prudenter suggerebatur, et suppresso nomine, facultatem hanc profitendi a Summo Pontifice, relicta ad tempus bonorum administratione, obtinuit [1].

212. Aliqui hoc anno in Societatem et Gandiae, et Valentiae, et Pintiae admissi sunt; inter alios, Gandiae, Magister Franciscus de Saboya, qui filiorum Ducis Francisci praeceptor erat; is, confecto Philosophiae cursu atque Theologiae, gradum doctoris suscepturus jam erat, ut qui egregie in ea profecisset; bonus etiam erat concionator, et mansuetudinis ac virtutis valde rarae. Praeterea P. Balthasar Diaz, Patris Andreae con-

---

1 Araoz Ignatio, Vergara, 1 Octobris, 7 et 19 Novembris 46; Matriti, 20 Martii, 24 Aprilis, 25 Maii 47; et Caesaraugustae, 9 Julii 47; Dux Gandiae Ignatio, 9 Junii, 46.

sanguineus. Venerat etiam Barcinone Antonius Cordeses. Curriculum autem artium a P. Francisco Onfroy inchoatum persequutus est magister Emmanuel de Saa, qui juvenis cum P. Ludovico Gonzalez ex Portugallia Valentiam venerat, ubi etiam cum ingenii et eruditionis laude litteris operam dederat, et conclusiones in Theologia, cum septemdecim annorum esset, docte sustentaverat. Adjecit Dux collegialibus suis vineam Collegio vicinam, olivos vineae admixtos complures habentem; quo et vinum et oleum ad sustentationem corporis haberent, qui Samaritani more, vinum et oleum spirituale, hominibus per peccata vulneratis, adhibere deberent; unde, petente Duce et ejus filiis, orationibus et psalmis vinea benedicta fuit, et primus, pallio relicto, qui vitem plantavit, ipse Dux fuit, cujus filius vitibus, ut Isaac, oneratus, patre effodiente, humo vites suggerebat, quas in Sanctorum nomine, suo ordine collocabat; tantumdem Marchio de Lombay, ejus filius, et alii praestabant. In die qui Beato Sebastiano sacer est, sub cujus invocatione templum Collegii erat exstructum, in eo concionatus est Pater Andreas, cum magna populi, qui intererat, aedificatione ac fructu; sedulo autem neophytis (qui plurimi sunt in ditione Ducis Gandiae) concionari studuit, sed utinam labori fructus respondisset; confessiones etiam audiebat et quidem aliquorum qui magnopere tali medicina indigebant; fuerunt inter eos quidam externi, qui nunquam confessi fuerant [1].

213. Pater Miron Valentiae spiritualia Exercitia quampluribus dedit, inter quos quidam magister Vincentius, in Theologia doctor, et egregius concionator, admissus in Societatem est. Sed quia tenerum admodum erga consanguineos affectum ostendebat, nec satis vocationis beneficium agnoscere videbatur, consultus P. Ignatius, quamvis in magna operariorum penuria, hominem tamen a Societate dimitti jussit. Cum autem rerum temporalium penuria Valentina nostra congregatio premeretur, mille ducatorum subsidio eos Dux Gandiae sublevare voluit. Contradictiones etiam nonnullas, ut accidit, experiri Valentiae coeperunt. In studiis autem scholastici egregie proficiebant. Cum autem etiam matronae nostrorum opera juvarentur, nobilissima quaedam foemina, domina Joanna de Cardona

---

1 Araoz Ignatio, 20 Februarii 47.

nominata, a P. Mirone et aliis nostris in spiritu promota, admirandos in via Domini fecit progressus, et si Societas admisisset, illa utique Societatis obedientiae se subjecisset; in studio poenitentiae, mortificationis, et charitatis, eo progressa est, ut in xenodochio pauperum aegrotorum ministerio se totam impendere voluit, et magna cum devotione plagas pauperum osculari solita erat; in oratione quinque, septem et novem horas aliquando simul expendebat, genibus perpetuo flexis, et terram sudore madefactam relinquebat; et cum ejus maritus pridem interfectus fuisset, ipsa postquam spiritum Domini hausit, ad domum ejus qui occiderat, ut cibum caperet se contulit, et ut magis se ipsam vinceret, ea manu cibum capere voluit quae maritum confoderat; et in eodem hospitali, magna sanctitatis fama relicta, mortem obiit. Ex Majorica etiam jam tunc ad Collegium ibi instituendum Societas invitabatur, et aliquem scholasticorum numerum, ibi in studiis alere cives volebant [1].

214. Hoc anno 1547 res Societatis in Portugallia magnum incrementum acceperunt. In curia quidem Regis et Ulyssipone progrediebantur nostri in his exercitationibus, de quibus annis superioribus scriptum est. Pater Strada Regi, cum satisfactione magna, concionatus est. Princeps etiam, qui magistro et confessario P. Simone utebatur, proficiebat; et opera charitatis consueta exercebantur. Cum autem scripsisset P. Ignatius ut aliquos scholasticos ad se mitteret, sex P. Simon facile misit, et plures etiam, si vellet, obtulit. Tam multi enim sese offerebant Societati Conimbricae, ut eos domi excipere cunctos non posset; centum et quindecim hujus anni initio in Collegio habitabant, ex quibus nonaginta duo scholastici erant. Expendebat Rex singulis annis tria millia ducatorum in eorum subsidium. Inter alios hoc anno admissos, adolescens quidam fuit, Carvallus cognomine, qui cum Societatem ingredi aliquandiu optasset, nec tamen Conimbricae admitteretur, nihil cum eo communicans, qui curam ipsius gerebat, ad P. Simonem, qui in curia versabatur, perrexit, et cum magis ei paupertas et ejus indicia, quam divitiae placerent, antequam ad Simonem

---

1 Araoz Ignatio, 20 Februarii 47; Miron Ignatio, Valentiae, 8, 11 et 25 Octobris; 3, 12 et 15 Novembris 47.

accederet, vestes suas quas gerebat, cum mendico quodam commutavit, et illius vestibus indutus, a P. Simone ut admitteretur litteras impetravit; et cum a paedagogo in reditu comprehensus esset, constanter nihilominus in suo proposito perseveravit; et quia patrem ejus ferebatur eum desponsasse, cum recederet, scriptum reliquit : *Si quis non reliquerit patrem aut matrem, fratres, et sorores, et etiam uxorem, non potest meus esse discipulus.* Constitutus fuerat, post discessum Patris Martini de Sancta-Cruce, Rector Collegii Conimbricensis Pater Ludovicus Gonzalez, qui Valentia redierat, et magnos in spiritu fecerat progressus, et Societatis institutum, ejusque finem, ac verae humilitatis et abnegationis sensum intimum prae se ferebat. Curavit autem is, ut qui litteris etiam humanioribus dabant operam, recte atque ordinate id agerent, unde majores in litteris progressus facere coeperunt. Cum autem a P. Simone litteras accepisset, quibus quatuor ex fratribus accersebat, ut ad eos aethiopes mitterentur, qui regnum Manicongo dictum incolunt, quorum magna pars baptizata quidem est, sed quod doctrina destituerentur, christianis vitam dignam non habebant, plurimi etiam in paganismi tenebris versabantur, vix exprimi posset quanta animi alacritate nuncium illud collegiales exceperint; et tam Rector, quam collegiales, prae lacrymis ex desiderio hujus missionis, vix loqui poterant. Quatuor electi fuerunt, scilicet, Georgius Vaz, Christophorus Ribeiro, et Jacobus Diaz, omnes sacerdotes; quartus fuit Didacus de Soveral, quos Ulyssiponam proficiscentes, magnis fletibus et suspiriis reliqui prosequebantur, non quia illi abirent, sed quod ipsi manerent [1]. Missiones etiam factae sunt non paucae, nec parum utiles; Patres Antonius Gomez et Gonzalvus Vaz, omnes ferme civitates atque oppida vicina, a monasterio Sancti Felicis usque ad Portum, circuierunt, et Evangelio Christi repleverunt; est autem ea pars regni Portugalliae inter Dorium et Minium; praeter conciones autem vacabant audiendis confessionibus; nec solum in templis, sed etiam in campis, turbis sequentibus, aliquando bis et ter singulis diebus concionabantur. Ipsi autem in hospitalibus habitabant, ex mendicatis eleemosynis vivebant, et tam exemplo, quam praedictis ministe-

---

1 Vide infra n. 219.

riis, uberrimum fructum in horrea Domini colligebant. Admirabantur homines contemptum divitiarum et commoditatum carnis, et indefessos labores pro animarum salute; et quorum magni faciebant vitam, facile amplectabantur doctrinam. Pauperibus suam operam libenter impendebant; divitibus libere loquebantur; impios a sceleribus deterrebant; pigros a desidia revocabant; pios ad meliora promovebant. Missus etiam est Pater cognomento Morera, et Sylvester Alphonsus ad civitatem Guardiae; et P. Sylvester in loco Belespera, in concionibus et doctrina christiana docenda, etiam ad loca vicina excurrens mansit, et quidem cum fructu valde uberi; P. Morera in civitate Guardiae mane concionabatur, et post meridiem catechismum explicabat; lectionem praeterea, ex evangelio Sancti Joannis, canonicis praelegebat, ut occasionem eorum defectus publicos reprehendendi commodiorem haberet; et si non resipuissent, acerbiora minabatur. Cum autem interea dissiderent, alii enim Episcopum, alii decanum sequebantur, inter se homines conciliavit; et quae ad officiorum divinorum rationem pertinebant, reformari curavit. Publica etiam peccata ut vitarentur in causa fuit. Accidit autem ut ecclesiasticum quemdam, virum honoratum, qui in peccati publici faece haerebat, nec ab eo Episcopi, vel cujusque auctoritate avelli poterat, primo cum humilitate admoneret, deinde severius reprehenderet; initio autem minabatur ille multa mala, et se fustibus mulctaturum Patrem affirmabat; tandem, cum constantiam ejus et charitatem videret, illi omnino cessit, et peccatum relinquens, laudare magnopere Societatem coepit; Patremque exhortabatur ad perseverantiam in hoc procedendi modo; nullum enim tam obstinatum hominem fore aiebat, a quo non impetraret quod vellet, cum a se id obtinuerit, quod nullius auctoritas aut vires obtinuissent [1].

215. Pater etiam Emmanuel de Nobrega per pagos ac oppida, quae prope Guardiam erant, in hominibus instituendis, et a peccatis mortalibus abstrahendis (inter quos sacerdotes quidam erant, qui cum suis concubinis, tamquam cum uxoribus versabantur), et ad castitatem et christianis dignam vitam revocandis, zelum suum ostendebat; aliquando nudis pe-

---

1 Simon Rodericius Ignatio, Almeirini, 15 et 17 Januarii, et pluries toto hoc anno 47.

dibus, et in magna paupertate hujusmodi charitatis functionibus se intendebat, quod in oppido de Gabugal, non sine copioso fructu, ex concionibus et christiana doctrina relato, illi accidit. Ostiatim quaesitis eleemosynis vivebat, ac commoditatem victus et habitationem oblatam repudiabat. Minabatur Dei justitiam his, qui a peccatis publicis non recederent; et in concione quadam, in fervore spiritus, hoc promisit, quod, si non recederent a peccatis hujusmodi manifestis, ad singulas eorum domos se iturum, et altis clamoribus a Deo justitiam contra illam domum petiturum; et hic terror, populo incussus, magnae emendationis causa fuit. Alio in loco, qui factionibus ac simultatibus oppidanorum inter se ardebat, postquam concionatus esset, descendit ex suggestu, et genua flectens ante eos, magno cum fervore, ut inter se in concordiam redirent, supplex petebat, et ab iis nomine illorum, et ab illis nomine horum veniam petebat; unde in causa fuit, ut et omnes auditores genua flectendo, veniam ad invicem peterent; itaque et in hoc, et in omnibus aliis locis, in quibus versatus est, ad concordiam plurimos reduxit. Injuriis tamen publice aliquando afficiebatur, ne illa apostolica praerogativa deesset, scilicet, *pro nomine Jesu contumeliam pati*. In alio quodam oppido, cum eo defessus et famelicus pervenisset, nihilominus concionari statim coepit, sed quia impeditioris erat linguae, dilabebantur ex ejus concione omnes; cum autem admonuisset parochum, ut praemoneret populum, quod post meridiem esset concionaturus, ille molestiam hesternam sentiens, dixit populo: " Clericus ille balbus in quadam ecclesia concionabitur, ipsum audire potestis; sed vereor ne parum utilitatis sitis consequuturi, quia tandem ille nihil boni est dicturus. „ Venerunt nihilominus auditores, et ex ejus concione tantum consolationis acceperunt, ut omnibus modis apud se eum retinere, etiam a Rege eam gratiam petendo, curarent, et se omnes confessionem octavo quoque die frequentaturos pollicebantur. Mulierem quamdam ab infantia daemon vexaverat, tamque familiaris ei erat, ut in aurem suggereret, quod facere eam vellet. Cum ergo misera foemina Patri Nobregae confessa esset, ab eo salubriter admonita est, ne quidquam amplius ex his, quae daemon diceret, auscultaret, ac si importunus illi esse pergeret, responderet, ut P. Nobregam, si quid vellet, acce-

deret; et sic demum mulier (ut postea intellectum est) libera a daemone mansit.

216. Nec solum ad horam populi horum Patrum concionibus commovebantur, sed fructus constanter in eis perseverabat; ut accidit oppido de Camigna, ubi primi illi Patres Antonius Gomez et Gonzalvus Vaz concionabantur, et universum oppidum ad confessionem accessit, deinde eam consuetudinem inchoavit, ut crebro ad confessionem et communionem accederent, et fere quinquaginta confessiones singulis diebus audiebant; sic etiam in oppido de Viana, paulo post mediam noctem surgere eos oportuit, ad orationem et studium concionibus necessarium, ut tempus diei utriusque sexus confessionibus tribuerent. Nihil autem magis hominum animos movebat, quam id observare, quod sine ullo propriae utilitatis emolumento, tantumque desiderio salutis eorum, homines religiosos et doctos sic laborare animadverterent; et publici fletus in concionibus, et populorum ad optima quaeque commotiones, quod digitus Dei ibi esset facile ostendebant. Multi etiam institutum Societatis sequi voluissent, sed quia illiterati erant non admittebantur; praeter paucos quosdam, qui cum venissent Conimbricam, et bono ingenio et mediocri eruditione praediti inventi essent, admissi sunt. In civitate autem Portus tanta hominum multitudo ad confessiones mota est, ut ne omnes quidem sacerdotes qui Conimbricae erant, illis satisfacturi essent; et facile haec missio docuit quanti referat exemplum, ut efficax sit doctrina, et ministerium nostrum; et cum ii duo Patres valetudinarii essent, et causa confirmandae valetudinis, ad Sanctum Felicem missi essent, unde et ad hanc missionem perrexerunt, facile cernitur, quod Dei peculiari gratia, et non debilium instrumentorum talentis, tam late patens tunc et copiosus fructus acceptus ferri debeat. Cum autem in quodam oppido mane concionaretur Gonzalvus, et a prandio tauri agitandi essent, dixit Gonzalvus se a prandio concionaturum, et consideraturum quinam essent mundi servi et qui servi Dei, nec se concionem relicturum, licet tantum unicam haberet vetulam audientem; et sic populus commotus est, ut nullus prorsus venationi taurorum interesse voluerit; quin potius, ut se servos Dei ostenderent, ante concionandi tempus Ecclesiam implentes, ipsum concionatorem evocarunt, ut verbum Dei sibi

praedicaret; et admirando prorsus cum fervore spiritus in via Dei populus ille procedebat.

217. Pater Franciscus Strada Ulyssiponae frequentissimo auditorio et magno cum fructu concionabatur, numerusque eorum qui quotidie, in divi Antonii templo, ad sacramenta Confessionis et Communionis accedebant, et corporum suorum castigationi vacabant, augebatur.

218. Conimbricae interim in Societatem admissus est dominus Joannes, Ducis Aveirensis filius; is quidem a patre, institutionis gratia, in Collegio collocatus fuerat, et cum aliqui nobiles, ipsius consanguinei, ne ad Societatem animum adjiceret praecavere vellent, non paucis antidotis contra vocationem istam juvenem praemunierant; ubi autem Collegium ingressus, spiritualem fratrum conversationem et in laboribus animi alacritatem observasset, statim pulsari spiritu Domini coepit ad idem institutum suscipiendum; memor tamen documentorum, quae a consanguineis acceperat, et in spem succedendi patri in ducatu, cum unicus esset ei filius, erectus, praecogitatis antidotis, hujusmodi inspirationibus resistebat; fatebaturque ipse catalogum quemdam penes se habuisse, quo omnia ea continebantur, quae in Societate ipsi displicebant, quem quotidie et legebat et meditabatur; nihil tamen omnes hujusmodi rationes perinde dissipabat atque litterarum lectio, quae spiritualem fructum ex opera Societatis provenientem explicabant. Sed hoc ille remedium excogitaverat, ut praedictarum litterarum lectioni se subduceret; itaque, dum alii ad has litteras legendas conveniebant, non ausus lectionem hanc exspectare, alio recessit; cum autem, eis perlectis magna cum illorum consolatione, in sacellum oraturi pro P. Ignatio et Societate se contulissent, ratus ipse perlectas litteras, ad alios collegiales se adjunxit. At ecce legebatur ibidem epistola quaedam, qua diligentiam adhibitam ad P. Claudium episcopatus onere liberandum significabat Ignatius. Et cum in lectionis initio, fratrum perturbationem timentium quo res tandem vergeret, et fine jam audito, multis lacrymis consolationem contestantium observasset, tantopere hic animorum affectus Joanni placuit, ut apud se omnino constitueret Dei castra ibi esse; et postquam decem alios dies negotium Domino commendatum esset, multis cum lacrymis ad pedes P. Ludovici Gonzalez se proje-

cit, et ut admitteretur in Societatem obtinuit, se ipsum, quod tamdiu Spiritui Sancto restitisset in tam clara vocatione, accusando. Cum autem in spiritu multum proficere coepisset (admiranda Dei judicia sunt prorsus), beneficium tamen hujus vocationis non conservavit. Alii etiam non pauci id temporis Societati nomen dederunt.

219. Septimo calendas Augusti litteras a P. Simone Conimbricae acceperunt, quibus quatuor ex collegialibus eam sortem decernebat ut ad aethiopes mitterentur in regnum magni Congi. Cum enim et illius regionis Rex et multi ex nobilibus olim Christi fidem suscepissent, doctrinae penuria ad paganismi mores relabi ferebantur; multi etiam sacro baptismate abluti non erant; et cum non sine miraculo Christi fides ibidem fuisset promulgata, non deserenda ea messis Regi Portugalliae videbatur. Destinati sunt ergo ad hanc missionem Patres Georgius Vaz, Christophorus Riberus et Jacobus Diaz, quibus et adjunctus est Didacus Soveral. Vix exprimi verbis posset, quot lacrymis et suspiriis fratrum horum discessus celebratus a reliquis fuerit, non quia illi abirent, sed quod ipsi manerent, quod impatienter admodum nonnulli ferebant [1].

220. Quod attinet ad res temporales sollicite admodum Satan earum progressum impedire, non tantum per Regis ministros, sed etiam per alios viros religiosos nitebatur; Rege tamen, immobili affectu, nostros suo favore prosequente, et quod praecipuum est, Deo protegente, tam in spiritu, quam etiam in his, quae ad aedificium materiale et ad reditus etiam pertinebant, res Collegii Conimbricensis magnum incrementum suscepit.

221. Sub initium hujus anni 1547, cum perlustrasset Pater Franciscus Xavier insulas, quas *Mauri* vocant, ad arcem lusitanorum, quae Moluco dicebatur, in insula Ternate, rediit [2];

---

1 Quae hoc n. 219 continentur, dicta jam fuere in n. 214. Vide igitur notam ibi appositam, et scito non haec solum sed omnia fere quae ab illo n. 214 ad n. 220 narrantur confirmari litteris ibi citatis.

2 In magnam, nostro quidem judicio, confusionem incidunt scriptores, accuratissimo Orlandini non excepto, cum ad has Molucas insulas accedunt, et Xaverii vestigia, ex una in aliam navigantis, sequi conantur. Contra quam confusionem ut futuros harum rerum enarratores praemuniamus, Patris Coleridge animadversiones hic transcribere operae pretium judicamus. Ait ille:

"We have already noticed that Francis Xavier speaks of Molucco (Molucum) as

ubi tres, vel quatuor menses versatus est; dominicis et festis diebus bis concionabatur; diebus autem Mercurii et Veneris, uxoribus lusitanorum seorsim fidei articulos, decalogum, et quae ad sacramenta Confessionis et Communionis pertinent, declarabat; quod cum magno fructu tum ipsarum, tum maritorum, tum etiam filiorum ac filiarum et demum christianorum illius oppidi effectum est. Cum autem Malacam inde navigaret (et quidem noctu Moluco profectus, ut spiritualium filiorum ac filiarum lacrymas evitaret) ad quasdam pervenit insulas, ubi cum quatuor naves invenisset, decem vel duodecim dies ibidem exigens, multorum auditis confessionibus, et inter multos discordantes pace reconciliata, ter eisdem concionatus, iter suum profectus est. Quando autem ipse Moluco recesserat, id constitutum reliquit, ut quotidie christianae doctrinae explicatio proponeretur; confecerat autem ipse expositionem hujusmodi brevem, et captui novorum christianorum accommodatam [1]; et cuidam sacerdoti amico serio commendavit, ut duas horas quotidie huic pietatis exercitationi impenderet, et semel singulis hebdomadis, de fidei articulis et Sacramentis, apud uxores lusitanorum concionaretur. Eam etiam consuetudinem induxit, ut quidam Moluci, tintinnabulo homines noctu excitans, ad Deo commendandas animas, quae in purgatorio cru-

---

a single place, at the same time that he speaks of it as a region, and also mentions the "Molucca„ islands. Strictly speaking, the Moluccas are the five islands, which lie in a string from north to south along the western shores of the large island of Gilolo, to the east of Celebes. They are all small—Ternate, Tidor, Motir, Macian, and Batchian. But in a more general sense a great number of islands, some larger than these, are included in the Moluccas. Mr. Wallace allots them a space of ten degrees of latitude by eight of longitude, and they thus embrace the islands and groups between the Philippines and Timor, New Guinea and Celebes (*Malay Archipelago*, II. 138). He counts among them Cerama and Bouro, as well as Gilolo, three very considerable islands. In the letters of St. Francis we shall find distances given, as to which we cannot depend on the accuracy of the copyists or translators, who had never been in that part of the world or seen a good map. He seems by *Molucco*, when used as the name of a single island, to mean Ternate: but Ternate is in sight of Gilolo, which some writers identify with the island of the Moors, of which we shall hear so much; which, however, St. Francis is made to place at the distance of sixty leagues from Molucco.„ *Life and letters of St. Francis Xavier*, vol. I, pag. 363.

1 Hanc expositionem lingua gallica donatam et hoc titulo *Catéchétique aux Moluquois*, affert PAGÉS, *Lettres de Saint François Xavier*, t. I, p. 379 et sequentibus. De ea haec ipse PAGÉS animadvertit: "La *Catéchétique aux Moluquois* fut écrite par le Saint en 1546. Mgr. Asseline, évêque de Boulogne, a traduit cette belle instruction avec élégance, mais sans s'astreindre à une scrupuleuse fidélité.„

ciantur, et omnes homines, qui in peccato mortali vivunt, invitaret; quae res novis christianis devotioni magnae, infidelibus autem non minori terrori fuit; cives ipsi hominem quemdam, qui cum laterna ad hoc pium opus discurreret per urbem, elegerunt.

222. Moluci vel Ternate Rex, secta mahometanus, sed Regi Portugalliae subditus erat; is Christi fidem ne amplecteretur, carnis vitiis, non quod Mahometi studiosus esset, prohibebatur; nihil enim aliud ex ejus secta praeter hoc habebat, quod infans circumcisus fuerat, et jam natu grandior centum uxores primarias, et totidem alias inferiores duxerat. Illarum regionum mahometani nullam fere suae sectae instructionem, paucos magistros errorum, et eos admodum rudes, et fere omnes peregrinos habent. Rex ille tam arcte P. Franciscum diligebat, ut ejus subditi iniquo animo id ferrent; ambiebat etiam ut ipsi P. Franciscus esset amicus, et aliquam spem suae conversionis praebebat; et ex filiis suis unum se daturum, ut christiana sacra susciperet, pollicebatur, dummodo postquam christianus esset, insularum *Mauri* Rex constitueretur.

223. Cum tandem Malacam P. Franciscus Julio mense pervenisset, tres ibidem de nostra Societate invenit, quos, per litteras, cum Moluci esset, accersierat; hi erant P. Joannes de Beira et Nunius Riberus, cum fratribus Nicolao Nugnez et Balthasare, quos cum per bimestre et amplius penes se Malacae retinuisset, et de rebus molucensibus diligenter instruxisset, Molucum dimisit; quo incolumes pervenerunt et a confraternitate, quam vocant Misericordiae, magno cum gaudio excepti, in vinea Domini laborare coeperunt. Multi equidem christiani jam tunc et Moluci et in vicinis insulis erant, quorum pars a P. Francisco baptismum susceperat, et inter caeteros Regina, Regis Ternate mater, Christi militiae adscripta fuerat. Recessit Joannes de Beira ad *Mauri* insulas cum Nicolao Nugnez et Balthasare; Nunius autem Riberus, ad insulas quas Amboinas vocant (ubi naves Moluco redeuntes, quatuor menses haerere solent), se contulit; et ibi brevi fere sexcentos Christo Domino lucrifecit; et loca illa christianorum peragrando, catechismum docebat, idola confringebat, et rudes prorsus homines, in his quae ad vitae christianae cultum faciunt, excolebat. Cum autem quatuor illis mensibus elapsis, naves Mala-

cam inde progrederentur, mansit nihilominus Nunius in insulis Ambuini, et aliqui lusitani, qui quatuor elapsis mensibus tam multos viderant ad Christum converti, ad sanctum hoc opus se illi socios adjunxerunt.

224. At P. Franciscus Xavier sex fere menses Malacae, dum navigationis in Indiam tempus adveniebat, exegit; duas horas quotidie, et amplius, docendis lusitanorum filiis, uxoribus, et servis, expendebat; ipsis autem lusitanis dominicis et festis diebus pro more mane concionabatur; a prandio vero neophytis, qui innumeri accedebant, sicuti et ad christianam doctrinam, idem pietatis opus impendebat; et in lingua vernacula declarationem symboli, quo firmiores essent in fide, eis reliquit. Diebus autem Jovis mane, sacro absoluto, uxoribus christianorum seorsim concionabatur; dabat nihilominus operam confessionibus; aegrotantes in nosocomiis invisebat; eos qui laborabant inimicitiis (nam christiani milites illis in locis, ut bellicosi, saepe inter se concertare solent), ad pacem adducebat. In bellis etiam contra mahometanos nostros milites animabat. Accidit autem ut quidam ex his hostibus classe Malacam appellentes, et noctu aliquos in terram ejicientes, nonnihil predae secum adportarent; quod cum Dux lusitanorum intellexisset, expeditam classem instruens, cum fere centum et octoginta militibus, mahometanos persequutus est. Nomen autem Duci erat Simon de Melo, qui cum hostium classem, centum leucas jam progressam, in cujusdam fluminis ostio consequutus esset, certamen cum ea inivit navale, et multis navigiis hostium occupatis ac praeda, quam Malaca abstulerant, multis eorum interfectis, victor Malacam redibat; cum autem aliquandiu reditus differretur, qui in civitate substiterant, ipsis timere coeperunt; et timorem juvabat rumor quidam sparsus a magiae quibusdam sectatoribus, quod christiani fugati essent ab adversariis. Cum autem concionaretur P. Franciscus, modicam ipsorum fidem reprehendens, injunxit ut semel dicerent orationem dominicam et salutationem angelicam in actionem gratiarum ob victoriam, quam Deus christianis dedisset; et id quidem dixit, cum nullus adhuc nuncius ex classe Malacam venisset; sed post pauculos dies, portum Malacae ingredientes magna cum animi laetitia christianos, cum majore P. Franciscus et reliqui de civitate excepere. Publice etiam fama inter

lusitanos ferebat, quod cum Moluci concionaretur die quodam, hortatus est P. Franciscus auditores, ut semel *Pater noster* et *Ave*, in memoriam passionis Domini, recitarent, pro anima cujusdam arabis, qui procul inde occisus fuerat, nec de ejus morte quidquam Moluci innotuerat. Quemdam etiam a daemone obsessum, Missam in honorem Beatae Virginis celebrando, liberavit, et ad Christi fidem cum aliis quibusdam convertit; unde magna etiam veneratione tam mahometani, quam gentiles, et non solum lusitani, Patrem Franciscum prosequebantur, et *Patrem Sanctum* appellabant. Mense autem Decembri hujus anni in Indiam navigavit; cuidam tamen sacerdoti, ut coepta prosequeretur, curam reliquit; quia tamen a malacensibus duo ex nostris magno affectu expetebantur, ut eisdem charitatis functionibus ipsos juvarent mittendos esse eo censuit, quod et primo vere sequentis anni praestitit.

225. Cum Malacae versaretur, magna quaedam ei relata fuerunt de insulis paulo ante cognitis, quas *del Japon* nominabant. Venerat cum mercatoribus lusitanis ex ea regione incola quidam, Angerus nomine, qui cum peccata quaedam juvenis admisisset, propter quae conscientiae stimulis, cum adhuc gentilis esset, urgebatur, a lusitanis remedium aliquod ad veniam a Deo impetrandam postulavit; cum autem illi ut adiret Patrem Franciscum Xaverium suaderent, Japone Malacam usque, ut eum colloqueretur, mercatores comitatus est; sed quia Franciscus Malaca discesserat, rediit et ipse in Japonem; cum autem jam ad aspectum Japoniensium insularum esset delatus, fera tempestate oborta, navis denuo, non sine naufragii maximo periculo, Malacam delata est, ubi Franciscum, qui jam Moluco redierat, invenit. Quem adiens multa de religione christiana idiomate lusitano, quod utcumque didicerat, percontatus est, et cum ad christianae doctrinae declarationem accederetur, sponte sua fidei articulos diligenter scribebat; ad templum etiam ut oraret crebro veniebat, et demum suae salutis sollicitus admodum, cum recederet in Indiam P. Franciscus, eumdem sequutus est. Interroganti autem Francisco, quaenam spes esset Japoniensium ad Christi fidem reducendorum, si eo se conferret, respondit; quod non statim Japonienses Christi fidem essent suscepturi, sed quod prius multa interrogaturi essent, et quid responderet quidque intelligeret observaturi, et in pri-

mis, an ipsius vita doctrinae consentanea esset; quod si in utroque ipsis satisfieret, tam Regem suae provinciae quam alios nobiles, ac reliquos, qui judicio pollerent, Christi fidem esse suscepturos; non enim nisi ratione gentem suam induci ad haec, sicut nec ad alia, posse. Affirmabant etiam mercatores lusitani nullibi, ut ipsi putabant, uberiorem fructum inter gentiles, quam apud Japones capi posse. Unde coepit P. Franciscus et cogitare, et internas animi motiones de insulis illis adeundis sentire, quamvis iter et periculis maris et piratarum sinensium valde obnoxium esset. Interim autem Angerus linguae lusitanae majorem peritiam, ac rationis vitae lusitanorum majorem notitiam habiturus, et, quae ad christianam doctrinam pertinent, intellecturus magis et expositionem articulorum fidei in idioma lusitanorum[1] conversurus utiliter videbatur. Interim autem saevissima tempestas, qualem nunquam Franciscus expertus fuerat, per integrum triduum naves in Indiam proficiscentes jactavit, sed magno conatu orationem ad Deum ipse fudit, et ecclesiae militantis ac triumphantis suffragia poposcit, et sic extrema pericula omnes evaserunt. Scribit autem Franciscus, cum aliquid Roma ad nostros in Molucis vel Japoniensibus insulis commorantes scribetur, non posse responsum ante tres annos, et[2] novem menses accipi; nam in Indiam litterae octo mensibus fere perferuntur, et antequam naves Molucum aut in Japonem discedant totidem menses sunt exspectandi; in eundo autem Molucum, et redeundo, menses viginti et unus exiguntur, aliis vero octo mensibus ex Indiis Romam perferri possunt, et hoc quidem sic fiet, si prospera ubique fuerit navigatio, quod si sinistri quidquam accideret, facile annum et amplius exspectare adhuc oportebit.

226. Inter eos qui ex Portugallia in Indiam venerant unus fuit Henricus Henriquez, qui cum valetudinarius esset, et vix Goae, ubi nihil de rebus necessariis deesse solet, sanitatem tueri possit, cum ex obedientia P. Francisci, qui per litteras eum

---

1 Sic; sed est manifestus error pro *Japoniensium vel Japonum*. Scripserat Xaverius de hoc Angero: "Catequizarle hemos, y sacaremos, ayudándonos él, toda la doctrina cristiana *en lengua de Japón*, con una explicación clara y copiosa sobre los artículos de la Fe y preceptos del Decálogo, porque Angero sabe muy bien escribir en letra del Japón." Cocini, XII cal. Februarii 1548.

2 Mss. habet *vel*, sed ex sequentibus corrigendum videtur.

jusserat in maritimam oram Comurini advenire, ubi magna rerum omnium penuria erat, nihilo pejus, imo sat melius corpore valuit, cum aliis brevi moriturus videretur. Oppidum Tutichorim, inter caetera ejus regni maximum, ei commissum est, ubi primarii homines ejus provinciae versantur; secundum etiam Punicale dictum, quod non multum priori inferius erat; tria praeterea minora oppida, simul cum duobus praedictis sibi commissa, visitabat, novem aut decem diebus omnia percurrens; quamvis Punicali diutius quam alibi haereret, quod in medio aliorum esset. In uno ex his locis quemdam ex indigenis instruxit, ut alios docere posset, quod et in aliis facere curabat. Duorum praeterea locorum curam aliquam idem habebat; sed satis erat secundo quoque mense eos invisere, cum sacerdotem quemdam ex indigenis P. Franciscus eis praefecisset, qui tamen non magnam apud suos auctoritatem habebat, nec unus poterat tam multis necessitatibus subvenire, cum singula loca unum aut alterum sacerdotem, ut homines in officio contineret, exigerent. Alii etiam ex nostris alia loca sibi commendata habebant per tractum quindecim aut viginti milliarium, qui catechismum christianos docebant, et utriusque sexus, et omnis aetatis homines instituebant; difficultates etiam ipsorum dissolvere, et lites dirimere necesse erat, quamvis autem ad primarios viros inter ipsos, qui patangatis [1] dicuntur, causas rejiciebant; et vix cibo sumendo tempus per occupationes suppetebat. Magna pars tamen hominum initio ad Christi fidem, vel ut afflictiones quasdam vitarent, vel ut aliqua quae sperabant consequerentur, accedebant; sed postquam ovile Domini ingrediebantur, excoli, et ad meliora promoveri, Deo juvante, poterant; gubernatorum etiam Indiae favor multum ad hujusmodi conversiones momenti habebat. Erant praeter P. Henricum in illo tractu P. Cyprianus, P. Franciscus Henriquez,

---

1 In ora paginae scriptum est: *pantagates;* ast qui Xaverii litteras ediderunt, scripsere *patangates* et *patangatini; patangats* et *patangatins;* praeter Cutillas, qui aliquando habet *patagantines.* De iis haec ait Possinus: "Patangates vel Patangatini erant quasi Decuriones, aut magistri Vicorum, singuli singulis Holdeis, hoc est, Mapalibus, certo numero familiarum pauperum in tuguriis sparsim habitantium constantibus, Praefecti." *Ad epistolas novas Sancti Francisci Xaverii, indiculus exegeticus*, Ep. X.— Similia habet PAGÉS, tom. I, pag. 96; sed undenam suam descriptionem deprompsit, an ex Possino, an vero ex amico suo M. Dubeux, in schola linguarum orientalium professore, non dicit. (Vide supra, notam 2 ad n. 46, pag. 105.)

cum P. Francisco Mansilla et Emmanuele de Morales; omnium autem caput erat P. Antonius Criminalis (recesserat enim inde P. Joannes Beira cum aliis, de quibus supra dictum est, ad Molucum destinatis). Pueri bis quotidie, mane et vespere, ad christianae doctrinae lectionem alacriter accedebant; foeminae diebus sabbatis, viri diebus dominicis, in vernacula lingua per duas horas praecipua catechismi capita addiscebant; idololatria prorsus exulabat; magnas tamen contradictiones, tam a gentilibus, quam a Mahometi sectatoribus, et malis etiam christianis Patres patiebantur. Mores quidem hominum illius regionis valde depravati, ut fere sine rationis usu videantur; paupertas etiam apud illos summa est; vix corporis verecunda tegunt; ex paleis domos conficiunt, et quidem multo humiliores quam nostri pastores solent; aliqui invitati ut christiani sint, negant se id facturos, quia nobiles per baptismum efficientur, nec unde sibi victum quaerant, habebunt; ad ea, quae spiritualia sunt, perexiguum judicium prae se ferunt; ad ea, quae carnis, perspicacissimum; unde nec operariis sine magna et solida virtute in ea Domini vinea securus esset accessus, cum pericula undecumque non exigua immineant. Consultum autem videbatur, ad uberiorem fructum in vastissimis illis regionibus capiendum, pueros recte in moribus et litteris instituere, qui aliquando de suis benemereri possent; donec nostri, distinctas provincias habentes, ac indigenarum idioma addiscentes, sine interpretibus (qui non bene hoc officio fere funguntur), per se ipsos saluti necessaria docere possint.

227. Goae etiam hoc anno Nicolaus Lancillotus Collegii, de quo jam mentio facta est, curam gerebat; sentiebat ille a tenerrima aetate quinque vel sex annorum pueros esse erudiendos, ut virtutes et christianam vivendi rationem purius haurirent; nam aetate adultiores deceptionibus daemonis et vitiis cor plenum adferentes, difficilius ad pietatem excoli possent; quamvis, ratione proprii idiomatis, aliquos non ante duodecimum annum suscipiendos existimabat. Miraculo quodam perpetuo, vires lusitanorum in India Deus conservare videbatur, ut verisimile mihi fit, ad Evangelium in eas nationes perferendum. Anno 1546 praecedente, in magnum discrimen res christianorum erant adductae, cum civitatem Diensem barbari

occupassent; mira tamen Dei providentia effectum est, ut recuperaretur; nam tormenta ipsa bellica, quae hostes praeparaverant, ignem non susceperunt, quae maximam lusitanorum partem, qui alia via quam per ora bombardarum transire non poterant, haud dubie interfecissent. Affirmabant etiam pulcherrimam quamdam foeminam in turri cathedralis Ecclesiae conspectam esse, quae hostes excaecabat, quam Beatissimam Virginem esse creditum est. Hoc etiam anno Indiae gubernator, mense Novembri, ingentem exercitum Regis Cambaiae fudit ac fugavit, divinis potius quam humanis viribus; et sic civitatem, in qua Rex ille versabatur, lusitani ceperunt [1].

ANNUS 1548

228. Anno 1548 res Societatis nostrae, et ejusdem auctoritas non exiguum incrementum acceperunt. Et quidem Romae Pater Ignatius, cum sollicitudo gubernandae Societatis cogitationes ejus magna ex parte sibi vindicaret, in his occupationibus quae ad externos pertinebant, sic se paulatim colligebat, ut interim per suos eadem pietatis opera exerceret, et in quibusdam gravioribus suum etiam laborem et industriam diligenter collocaret. Sic inter discordes aliquos nobiles pacem conciliandam curavit; et cum gravi dissensione civitas Tiburtina et oppidum quoddam finitimum, quod Sancti Angeli vocant, laboraret, et aliquando etiam ad arma, prout assolet, ex verbis deventum esset, eo se contulit; et postquam Tibure et in oppido praedicto, apud primores de concordia ineunda egisset, per serenissimam Margaritam de Austria, Parmae ac Placentiae Ducissam, cujus erat oppidum Sancti Angeli, et magistratus civitatis Tiburtinae, magna dexteritate curavit ut hujus controversiae causa Cardinali de la Cueva permitteretur, et reverendissimi Philippi Archinti, Urbis tunc Vicarii, opera et aliorum etiam usus, id effecit, ut tandem illi populi, sublatis dissensionum seminibus, inter se conciliarentur. Cum autem amicus Societatis, D. Ludovicus de Mendoza, ecclesiam quamdam extra muros urbis Tiburtinae cum domo et horto amoeno ha-

---

1 Quae numeris 221-227 continentur ex litteris excerpta sunt, quas Xaverius dedit toto hoc anno 47 et initio sequentis.

beret, ibique tractantem de praedicta concordia Ignatium, cum alio sacerdote Societatis (qui ibidem concionatus est) excepisset, locum illum Societati obtulit; et licet intra urbem paulo post Collegium Societatis fuerit institutum, ea tamen in domo nostrorum habitatio in Tiburtina civitate initium habuit. Quamvis autem complura pietatis opera, quae in variis provinciis instituebantur, P. Ignatius Romae foveret, quorum hic meminisse longum foret, illud tamen non omittendum censeo, quod ea negotia, quae ad Sanctae Inquisitionis Officium pertinebant, non Romae, sed in Hispania expediri, ne Inquisitionis auctoritas debilior redderetur, curabat. Unde cum puerorum quorumdam, qui ex neophytis agarenorum, Gandiae sub disciplina Societatis instituebantur, errores quidam prout accidit interdum in ejusmodi non bene institutis hominibus, essent comperti, ad quorum remedium ne Inquisitores adeundi essent, ad Sedem Apostolicam, qui neophytis praeerant, confugissent, maluit P. Ignatius rem Archiepiscopo Hispalensi, Summo Inquisitori, commendari, ut remedium illud, quod sancta charitas exigebat, adhiberet; quod ita effectum est [1].

229. Hoc anno, cum Exercitia spiritualia, ut superius dictum est, a Cardinali Burgensi, Inquisitore, et Philippo Archinto, Summi Pontificis Vicario, et Aegidio Foscharario, sacri palatii magistro, examinanda, Paulus III Pontifex Maximus dedisset, et illi praeclaro testimonio approbassent; suis etiam Litteris Apostolicis idem Pontifex, pridie calendas Augusti 1548, et confirmavit et commendavit, et simul ad ea suscipienda fideles est hortatus; unde os eorum, qui praedicta Exercitia spiritualia, sibi minime nota, insectabantur, sic auctoritate hujus Sanctae Sedis obturatum est, ut ex eo tempore calumniae in eis locum non invenerint. Cum autem pluribus in locis, ac praesertim hoc anno Salmanticae, a religiosis viris ordinis Praedicatorum, Societatis nostrae institutum acriter oppugnaretur, et nostrorum patientia non parum exerceretur, vir gravissimus Frater Franciscus Romaeus, dicti ordinis generalis magister, patentibus suis litteris non solum ordinis sui religiosos, ut desisterent molestos esse Societati, adhortatus est, sed pro officii sui auctoritate, in virtute Spiritus Sancti ac

---

1 Ignatius Duci Gandiae, sine die, sed mense Julio aut Augusto hujus anni 48.

obedientiae, et sub poenis arbitrio suo taxandis, praecepit, ne Societatis nostrae ordini ac instituto ullo modo detrahere, nec in publicis lectionibus, sermonibus, et congressibus, nec in privatis colloquiis, ut ejus verbis utar, auderent; quin potius, ut commilitones, contra impugnantes tueri studerent. Has autem litteras dominus Franciscus de Mendoza, Cardinalis et Episcopus tunc Cauriensis, et curavit, et suas etiam, pro sua in Societatem nostram charitate et communis boni zelo, adjunxit [1].

230. Hoc eodem tempore et Constitutionibus Societatis conficiendis et regulis P. Ignatius operam dabat, et partim oratione, partim rationis discursu, partim etiam experientia, ea quae ad instituti nostri rationem postea promulgavit, paulatim concinnabat [2].

231. Sub initium hujus anni, cum Siciliae Pro-rex et Messanae civitas, et ad Summum Pontificem et ad P. Ignatium de Collegio Messanam mittendo, per litteras diligenter egissent, effectum id est; et tunc Collegiorum hoc genus, ubi nostri docendi provinciam susciperent, in his regionibus suscipi coeptum est; nam Goae in India, et Gandiae in Hispania jam nostri docere coeperant. Prius autem quam Roma dimitterentur qui ad hoc Collegium inchoandum erant destinati, omnibus domesticis P. Ignatius quatuor proposuit, et responsum de singulis exegit; primum erat, an singuli prompte parati essent in Siciliam ire vel non ire, et eam partem, ut sibi cariorem, amplecterentur, quae ipsis a Superiore, quem Christi loco habebant, esset designata; secundo an, qui eo mittendus esset, ad quodvis ministerium externum (si litteris careret), si autem litteris institutus esset, quamlibet lectionem quavis in facultate interpretandam, prout ab obedientia ei injungeretur, paratus esset, sive Theologia scholastica ea foret, sive Scriptura Sacra, sive Philosophia, sive Litterae humaniores (nam hae quatuor lectiones erant praelegendae); tertio, an qui tamquam scholasticus mitteretur, cuicumque facultati dare operam, juxta obedientiae praescriptum vellet; quarto, an praeter obedientiam in

---

1 Ignatii et aliorum litteras, necnon et plura alia privata et publica instrumenta, de iis Salmantinis turbis et difficultatibus habes in *Cartas de San Ignacio*, tom. II.

2 Vide *Constitutiones Societatis Jesu latinae et hispanae*, Matriti, 1892, et in iis praesertim Appendices.

exsequendis quae dicta sunt, id essent existimaturi convenientius, quod ipsis a Superiore demonstratum foret, suum judicium et voluntatem sanctae obedientiae submittendo. Cum autem recte ab omnibus esset responsum, designavit eos, qui mittendi erant; inter quos fuit P. Andreas Frusius, gallus; P. Petrus Canisius, germanus; P. Benedictus Palmius, italus; P. Hieronymus Natalis, hispanus, et Annibal Codretus, sabaudus; sic diversissimas nationes charitas et obedientia conjungebat. Periculum etiam a quibusdam, qui mittebantur, coram se fieri voluit, de modo praelegendi; et sic demum Collegium ad Pontificem Paulum III deduci voluit, a quo benigne exceptum, et cum benedictione apostolica et paterna exhortatione, qua Patris Canisii piae admodum orationi respondit, dimissum [1].

232. Hoc tempore Papiensis civitas ad P. Ignatium sollicite scripsit, aliquos de Societate nostra ad se transmitti cupiens, a quibus in rebus spiritualibus juvarentur; sed operariorum penuria id minime permisit. Reliqua Romae, prout aliis annis scripta fuerunt, procedebant; unum vero nunc addam, quod inter aliquos, qui ex Hispania huc venerant, unus fuit Michaël de Ochoa, juvenis non mediocri puritate animi ac probitate praeditus, qui donum gratiae sanitatum habere saepius, ipso licet non agnoscente, deprehensus est. Laborabam ego febri quotidiana permolesta, et cum ille curam aliquam mei gereret, narrabat, quibusdam orationibus dictis, se aliquos Barcinonae et alibi sanasse; percontatus sum quibus uteretur verbis, ubi spem sanitatis collocaret, qua etiam intentione; cum autem in verbis nihil non bonum esset, et a Deo prorsus exspectaret sanitatem, si quidem futura esset ad ipsius obsequium, visus mihi sum animadvertere, quod gratiam sanitatum ille haberet; et cum peterem an me sanare vellet, promptum se ad id obtulit; non tamen ejus opera prius uti volui quam P. Ignatium consulerem, ut mihi significaret num vellet me Michaëlis operam adhibere. Cum autem Ignatius (qui perpaucos habebat id temporis Romae, a quibus sublevari posset) significaret gratum

---

1 Li Jurati, nobili et populani della nobile città di Messina al Vicerè, Messinae, 17 Decembris; iidem Ignatio, 18 Decembris 47; de profectione in Siciliam interrogationes Patribus Fratribusque Romae degentibus ab Ignatio propositae et singulorum responsa, 27 Februari 48; Polancus, *ex commissione*, Hieronymo Domenech, de iis, qui ad Collegium Messanense inchoandum Roma missi sunt, a. 48.

sibi fore, nolui tamen eo die Michaëlis uti opera, quia jam febris decimo die declinaverat, quae fere decem et octo horas durare solita erat; sed cum die sequenti ferventissima, plus etiam solito, me invasisset, accersendum curo Michaëlem, et quamdam interius confidentiam sentiens, quod si futurum esset ad Dei gloriam, illo sanitatis dono juvandus essem, " utere (inquam) frater Michaël, ea gratia gratis data, qua te donavit Dominus; nam spero quod tua opera ejus Bonitas, si expedit, me sanabit. „ Scripsit ille pro suo more sacra illa verba, ter *Pater* et *Ave* coram Sanctissimo Sacramento dicens, et appendit collo meo (nam secundum ejus fidem et consuetudinem facere eum sinebam); et statim velut refrigerium quoddam a capite usque ad calcem perfusus, a febri aestuantissima liberatus sum. Suasi nihilominus, re peracta, Michaëli, ut sine illis verbis et modo plicandi et appendendi collo scriptas orationes, per benedictionem aut manus impositionem donum illud Dei exerceret; et ita Tybure hoc ipso anno (quo schola teneri ab ipso coepta est) et in Hispania etiam saepe est expertus, et per solam impositionem manuum, aut benedictionem complures a gravibus morbis liberavit [1].

233. Initio hujus anni P. Jacobus Laynez Senas se contulerat, et in absentia Archiepiscopi, ab ejus Vicario humaniter exceptus, primo quidem in templo Beatae Virgini sacro, deinde in cathedrali Ecclesia concionatus est; et quamvis illo mense, scilicet Januario, frigora vehementissima Senis vigerent, fuit tamen frequentissimum ejus auditorium, consolatio etiam ac aedificatio civitatis non minor. Feriatis diebus singulis in aliquo monasterio vel hospitali concionabatur; nam dominicis tantum et festis diebus in cathedrali Ecclesia conciones est prosequutus; et quamvis id tempus, quod quadragesimam praecedit (*carnis privium* vocant) non solet hujusmodi Exercitationibus spiritualibus esse valde accommodatum, affirmabat tamen Vicarius ne in quadragesima quidem tam frequentem populum accedere solitum esse, qui avidissime et magna cum attentione, et, ut videbatur, commotione, verbum Dei audiebat. Unum etiam ex his monasteriis, ubi concionatus est, cum prius in communi vivere recusasset, Vicarium accersivit, promisit-

---

1 Le Deputati al governo della città di Pavia, a S. Ignatio, 5 Martii 48.

que se in posterum paupertatis votum velle observare. Auditis praeterea aliquorum confessionibus, quia Florentiae a septuagesima ipsa conciones erant inchoandae, eo profectus est. Cum autem in cathedrali etiam Ecclesia Florentiae ipse, et Pater Hieronymus Otellus in templo Sanctae Felicitatis, conciones, juxta promissionem praeterito anno factam, incoepissent, per totum quadragesimae tempus, eo munere functi sunt; et quamvis Hieronymus in loco a frequentia urbis remoto concionaretur, permulti tamen eum auditores sunt sequuti. Sic in monasteriis etiam monialium eodem tempore egregio cum fructu laboravit, et P. Laynem concionantem tam multi audierunt, ut diebus festis ultra octo et novem millia auditorum censerentur, qui magno silentio et animi consolatione eum audiebant; cum autem ex laudabili consuetudine illius urbis, quo die praedicandum est Evangelium mulieris peccatricis, quae in domo pharisaei ad Christum accessit, adduci soleant ad cathedrale templum peccatrices mulieres, ut si aliquarum corda Deus tetigerit, a turpi vita convertantur, magna eo die, non solum hujusmodi muliercularum, sed et civium confluxit multitudo; et ex illis septem vel octo resipiscentes, in honestarum matronarum domibus exceptae fuerunt, ut ad honestam vitae rationem ineundam juvarentur. Canonici autem et alii cives Collegium aliquod nostrorum se expetere, et magnam partem suorum redituum ad eos alendos collaturos se significabant. Ducissa suam operam in Collegio Pisis instituendo pollicebatur, vel ad hoc ipsum ne Laynez inde recederet. Cum autem Dominica palmarum rogatus a praefecto arcis, ille praesidio militum hispanice esset concionatus, et quidem cum magna auditorum consolatione; litteras accepit, quibus Pisas eum Ducissa accersebat, tum ut aliquas ejus conciones audiret, tum ut ejus opera in suae familiae confessionibus audiendis uteretur, tum etiam ut de rebus suis spiritualibus cum ipso conferret. Itaque substituens P. Hieronymum ut, quamdiu ipse abesset, in cathedrali Ecclesia concionaretur, Pisas se contulit; ubi cum praedicatione et familiari colloquio, et confessiones audiendo praecipuarum illius curiae personarum, inter quas filia erat et filii, adhuc admodum pueri, Ducis, animos ad pietatem movere coepisset, ab eis avulsus Florentiam rediit; suam enim privatam consolationem utilitati communi Ducissa posthabuit; et sic

finem suis concionibus Pisis fecit, et Florentiae, quas intermiserat, resumpsit; quamvis enim P. Hieronymus egregie fungeretur suo officio, magno tamen ipsius Laynii desiderio aliter satisfieri non potuisset. Copiosus autem fructus ex exemplo et praedicatione duorum Patrum Florentiae est consequutus, et complures vitae rationem in melius mutare constituerunt; nec cives tantum, sed et milites et mercatores, qui avidissime et magna cum consolatione spiritus eos audierant, et alii, qui etiam eidem confessi fuerant, et magno animi affectu ipsum complectebantur, graviter ejus recessum tulerunt. Ex canonicis nonnulli, si aetas provectior non impedivisset, eum, ut ferebant, omnibus relictis, essent in Societate nostra sequuti; aliqui etiam ex civibus, quod juvenes admodum essent, licet Societati offerrentur, non sunt admissi. Cum autem P. Ignatius eum Venetias se conferre injunxisset, ut de possessione prioratus, Collegiis Patavino et Veneto uniti, capienda ageret (timebatur enim non exigua difficultas) Florentia relicta, eo se contulit. Quamvis autem Dux Cosmus se locum nostris daturum et sumptus, ad aliquos ex nostris scholasticis Pisis alendos, esset pollicitus; vel propter hanc Patris Laynez profectionem, vel quia res Patri Ignatio tunc non urgenda videbatur, infecta relicta res est [1].

234. Cum autem 18 Aprilis, P. Claudio Jaio sibi socio adjuncto, Venetiás pervenisset, et Priorem Sanctissimae Trinitatis paterno quidem affectu erga Societatem animatum, sed diffidentem de possessione temporali a Senatu obtinenda, nisi aliunde juvarentur, invenissent, Patavium profecti, die sacro Divo Marco spiritualem possessionem publice ceperunt. Venetias deinde redeuntes, interim dum res disponuntur, verbum Dei populo, pro more Societatis, proponere et spiritualibus ministeriis vacare coeperunt; quamvis P. Claudius, expeditione ista diutius protracta, Ferrariam redire debuit. Fuit quidem ab amicis quibusdam nobilibus negotium hoc in Senatorum Collegio, Litteris etiam Apostolicis adductis, propositum, et a Sena-

---

1 Laynez Ignatio, Florentiae, 29 Januari, 4, 11, 18 Februari, 3, 10 et 31 Martii; idem Polanco sine die sed mense Aprili; idem Ignatio, ibidem, 7 Aprilis; Ignatius Otello, de iis quae Otellus in concionando vitare debebat, mense Martio; idem Laynio, de Otelli concionibus, Martio; Laynez Ignatio, de concionibus Hieronymi Otelli, sine loco et die, sed Florentiae, initio hujus anni 48.

toribus in primis commendatum, imo et ipsi Priori multa felicia precabantur, quod rem tam piam et communi bono tam proficuam fecisset; sed quia in consilio magno, quem vocant rogatorium, res erat tractanda, difficultates aliquae interim obortae, a consanguineis, ut creditur, Prioris excitatae rem differri coëgerunt. Impediebat inter caetera, quod nova pia loca Venetiis institui, lege quadam illius Senatus erat prohibitum. At in hoc negotio duo consideranda occurrunt; alterum est P. Ignatii summa diligentia tam in ipso reverendo Priore animando, ne cederet carnis et sanguinis affectui, et litteris a primariis Cardinalibus et Principum legatis, imo et ab ipso Summo Pontifice curandis; ipsius etiam P. Jacobi Laynez, qui a mense Aprili ad Octobrim usque, nullum non movit lapidem, ut difficultatem rei superaret, cui adjunctus etiam fuit P. Alphonsus Salmeron, quamvis non semper Venetiis haereret. Alterum est quod divina Bonitas non per ea media, sed alia ratione negotium totum feliciter admodum confecit; illi enim senatores ad quos scriptum fuerat, alii alias ob causas, cum res in Senatu rogatorum est confecta, non interfuerunt; qui negotium tractabant, cum natione Hispani essent, et parum in illius negotiis reipublicae versati, non admodum ad hujusmodi negotia erant idonei; aliqui ex nobilibus, qui operam suam polliciti fuerant cum Patres praedicti eos erant allocuti, illo die extra urbem fuerunt; tres magnae auctoritatis viri, cum negotium in plena congregatione proponeretur, contra dixerunt; nihilominus cum res in Senatu proposita est (Duce absente, qui parum huic negotio favebat), centum et quadraginta tria suffragia Societati faverunt, et duo solum in contraria sententia numerata sunt (cum tamen in illo conventu nobilium multi consanguinitate, vel affinitate conjuncti essent cuidam senatori, qui hujus negotii expeditionem impediebat); et in universum omnes magno murmure pium illud opus commendabant; et fuit inter eos, qui diceret quod illo anno nullum opus melius respublica esset factura. Affirmabat secretarius et advocatus illius congregationis, qui similia negotia saepe tractari vident, non sine miraculo rem tanto consensu potuisse fieri, cum in similibus rebus, ubi etiam nulli contradictores sese opponunt, suffragiorum varietas multo major esse soleat; fatebatur etiam ipse secretarius, cognomento Ritius, atque advocatus, quod senator

ille, qui negotium impediebat, cui compatres erant, ipsos serio erat allocutus, et ipsis acceptum se laturum rei, quam urgebat, successum, affirmabat; nihilominus, quamvis quodammodo inimicum sibi reddere compatrem videbantur, faverunt magno studio Societati; et nostris dicebat secretarius: " non mihi estis vel sanguine, vel amicitia, vel alio humano vinculo conjuncti; unde video quod Deus hoc mihi cor erga vos propensum praebeat, et justitiae ac pietati omnia posthabere volo. " Idem, simul cum advocato, Dominum Priorem adivit, tum ut ei congratularentur, tum ut de loco Venetiis ad erigendum Collegium obtinendo instruerent, et suam operam ad litteras ducales, quibus possessio temporalis caperetur, imo et pecuniam, quae necessaria erat, sunt polliciti. Acceptis igitur Senatus litteris sub horam prandii, eodem die P. Alphonsus Salmeron Patavium se contulit, et sequenti possessionem capiens temporalem et ejus publicum testimonium, Venetias rediit. Duobus mediis usa est providentia Domini, quae non silentio praetereunda sunt: alterum est, quod Senatus misit ad eum magistratum, qui Patavinae civitati praeerat (*Potestatem* vocant) ut ad se referret, quomodo se nostri collegiales Patavii gererent; ille autem informationem reipublicae eam transmisit, qua nostri vix desiderare meliorem potuissent; alterum fuit quod ea quae P. Jacobus Laynez in Collegio senatorum de instituti nostri ratione dixerat simul cum P. Salmerone, scriptis, exhortante legato juxta primi consiliarii sententiam, comprehendit, ut in pleno rogatorum consessu legeretur. Illud etiam non parum senatorum benevolentiam conciliavit, quod P. Laynez, primo quidem dominicis et festis diebus Sacrae Scripturae lectionibus populum reficiebat, et cum post vespertinum officium, in suis congregationibus nobiles essent id temporis occupati, ut serius aliquanto praelegeret, quo frequentiores ipsi adesse possent, postularunt; quod ita effectum est, et paterno affectu multi ex venerandis illis senatoribus Societatem complecti coeperunt. Re confecta, litterae Summi Pontificis Venetias pervenerunt, et publice in Senatu lectae, laetitiam senatorum de confecto negotio auxerunt, et suam illi operam ad majora perlibenter sunt polliciti [1].

---

1 Ignatius Laynio, de modo quem in valedicendo Florentiae Ducibus tenere debe-

235. Cum autem Aloysius Lipomanus, Veronensis Episcopus, P. Salmeronem ad se mitti per litteras a P. Ignatio impetrasset, hoc negotio confecto, ad ipsum profectus est. Sed cum etiam Cardinalis Farnesius ad suam ecclesiam Montis Regalis mitti P. Jacobum Laynez, ad res spirituales ibi melius constituendas, expeteret, Octobri mense Venetiis ille etiam est revocatus. Addam et illud in hoc negotio Collegii Patavini, quod cum P. Ignatius timeret consanguineos Prioris parum aequo animo erga Collegium illud futuros, putaretque gratum eidem Priori fore, si fratris filio pensio aliqua annua in ipso prioratu reservaretur, quadringentos aureos annuos liberaliter obtulit; Prior tamen, qui Domino integrum prioratum obtulerat, gratitudinem ac liberalitatem Ignatii amplexus, donum recusavit, et potius optare se ut majores essent reditus, quo plures Societatis collegiales alerentur, affirmavit [1].

236. Initio hujus anni usque ad Pascha, P. Alphonsus Salmeron Bononiae versabatur; nondum enim Concilium, Bononiam translatum, dissolutum erat, quamvis in eo nihil magni momenti hoc anno sit actum, et paulatim alii ex Praelatis Romam, alii alio sunt profecti; pergebat nihilominus Salmeron in Societatis muneribus Bononiae exercendis; Exercitia spiritualia cuidam Praelato et aliis primariis viris proponebat; confessiones quorumdam nobilium audiebat. Latius adhuc in hac parte patebat P. Paschasii opera, qui singulari cum fructu, plurimis utriusque sexus, sed inter caeteros plusquam triginta nobilibus matronis, ea proposuit; quae a vanis mundi pompis abstinentes, et vitae reformationi, suae familiae gubernationi, eleemosynis et orationibus vacantes, multum in via Domini profecerunt; aliqui etiam ex illis, quos exercuit, Societati animum adjecerunt; virgines non paucae, eodem modo proficientes, religionem ingredi constituerunt; accedebat ad Exercitia spiritualia, ut fructum uberiorem referrent, confessionis

---

ret, 24 Marti; eidem Polancus *de commisione*, de eis quae Venetiis erant ipsi agenda, sub finem Martii; Ignatius Andreae Lipomano, de Collegiis Patavino et Veneto, 21 Julii; Laynez Ignatio, Venetiis, 28 Aprilis, 5 Maii, 20 Julii, et 22 Septembris et Bononiae, 20 Octobris; Andreas Lipomanus Laynio, 26 Julii 48. — Philippus, Hispaniarum Princeps, Duci Venetorum in commendationem Societatis, Compluti 48.

1 Polancus ex commissione Laynio, de iis quae a cognatis Prioris gerebantur, de domino Bernardino, Christophoro Laynez et Petro Santini, mense Martio; Laynius Polanco, de fratre suo Christophoro et Petro Santini, mense Aprili 48.

et communionis frequens usus. Pater Salmeron concionari etiam in quadragesima in Sanctae Luciae templo, cum satis frequenti ac devoto auditorio coepit; tamque id egregie praestitit, ut affirmaret Paschasius se pulchriores conciones nunquam audivisse, et easdem perutiles fuisse testabatur. Patre Salmerone recedente, P. Franciscus Palmius concionandi munus ibidem cum fructu sustinuit. Prae caeteris tamen fructibus, qui ministerio nostrorum Bononiae provenerunt, ille gratissimus fuit, qui de sacerdotum curatorum ex dioecesi Bononiensi ad P. Paschasium venientium reductione capiebatur. Post Exercitia enim et confessiones generales in spiritu ipsi proficientes, ad suas parochias redeundo, exemplo, et verbo, et Sacramentorum ministerio, et aliis pietatis operibus de suis benemereri studebant; cum tamen prius vitae exemplo (cum aliqui ex eis publice concubinas domi habuissent), offendiculo suis essent; inter quos unus tantae intemperantiae fuit, ut cum Bononiam se conferret, nec a concubina divelli posset, secum ipsam deduceret; quando autem magna cum difficultate ipsi persuasum est ut ab ea disjungeretur, postquam Exercitia spiritualia aggressus est, multis cum lacrymis et planctu suam libidinem deflens, non solum omnino concubinam relinquere, sed vitam omnino in melius mutare, et sibi commissis ovibus vitae exemplo, et charitatis functionibus utilis esse coepit. Christiana doctrina pro more ad puerorum et rudium utriusque sexus personarum utilitatem explicabatur. Multi praeterea lutherani, gratia Dei adjuvati, a P. Paschasio conversi, et eidem confessi sunt, haereses suas abjurando, et ad Ecclesiae gremium et Eucharistiam redeundo, crebro etiam ad sacramentum Confessionis accedere constituerunt [1].

237. Porro, antequam P. Alphonsus Salmeron Bononia decederet, de habitatione stabili nostris, qui erant Bononiae, prospectum est; ubi illud observatione dignum videtur, quod cum magna sollicitudine nostri locum aliquem idoneum ad Societatis ministeria exercenda Bononiae quaesivissent, tam ipsorum quam amicorum diligentia nullum bonum successum habuit; tum autem, ubi quod in ipsis erat nostri praestitissent,

---

1 Alphonsus Salmeron Archidiacono Guido de Guidoni, Mutinam, Bononiae, 14 Octobris; idem ibidem Ignatio, 26 Novembris et 17 Decembris 47, et 1 Januarii 48. Polancus *ex commissione* Salmeroni, 10 Decembris 47.

movit Dominus animos quorumdam virorum ex his, qui ad parochiam Sanctae Luciae accedunt et praecipui in urbe erant. Hi partim piis operibus, quae in eo templo cernebant, allecti, partim ab uxoribus piis ac devotis excitati, sponte sua congregati sunt, nostrisque proposuerunt se intellexisse quod agerent de alio loco petendo, propterea quod commodam ibi habitationem non haberent, seque prospicere nostrorum commoditati velle, et domum conjunctam templo Sanctae Luciae suis expensis emere; rogantque praeterea ne ab ipsis recedant, et tam multa charitatis opera, ad commune bonum ibi coepta, deserant; nostri responderunt se quidem gratias agere pietati, et si habitationem honestam illi providissent, non esse inde recessuros; sic ergo praedicti homines duas domos templo Sanctae Luciae vicinas coëmerunt, et ad aedificandam domum, quam nunc tenent nostri, operam suam obtulerunt; et sic res coepta, et hoc ipso anno et sequenti ad finem perducta est [1].

238. Sed, ut superius dictum fuit, P. Salmeron Venetias se contulit, et negotio illo absoluto, quod ad possessionem prioratus Patavini capiendam pertinebat, Veronam est profectus ut Episcopo Aloysio Lipomano, id magnopere expetenti, satisfaceret; quamdiu autem ea in civitate versatus est, diebus dominicis et festis in Sacrae Scripturae lectionibus, scilicet epistolae ad Romanos, se occupavit, et aliquot monialium monasteria verbi Dei praedicatione adjuvit; sed in lectionibus quo magis est progressus, frequentius et nobilius habuit auditorium, cujus et satisfactio et aedificatio magna fuit. Voluisset quidem Vicarius Episcopi ut monasteria omnia Episcopo subdita visitaret, sed mediam eorum partem dumtaxat initio suscepit, reliquis postmodum vacaturus. Inter fructus ex ejus ministerio Veronae provenientes, unum illud fuit, quod multi qui libros haereticorum penes se habebant, eos combusserunt, et qui dubii erant in fide catholica et ad sectarios propensi, relictis erroribus, in Religione catholica sunt confirmati. Magno autem cum sensu Vicarii et aliorum, alio ex obedientia avocatus P. Salmeron recessit. Sed quia, Duce Bavariae a Summo Pontifice id petente et impetrante, in Germaniam mittendus

---

1 Ut n. praecedenti.

erat, inde divelli debuit, cum prius, Belluni in civitate, sequenti quadragesima concionatus esset.

239. Hoc anno, Aprili mense, obiit Patavini Collegii Rector, P. Petrus Faber, natione belga; qui cum ad hujus vitae finem accederet, devictis, ut credendum est, adversarii conatibus, haec verba dixit: *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus*. Successit ei in Rectoris officio P. Elpidius Ugolettus, et toto hoc anno scholastici Societatis partim domi oratorias aliquas lectiones, partim a lectoribus Universitatis philosophicas audiendo, in suis studiis profecerunt; festis tamen diebus multi, ad sacramentum Confessionis et Communionis suscipiendum, ad nostros confluebant, et si operarii, a scholasticis exercitationibus liberi (quod hoc anno non licuit), ibi proximis ad pietatem excitandis vacavissent, copiosiorem animarum fructum in horrea Domini retulissent.

240. Toto fere hoc anno P. Claudius Jaius (dempto eo tempore, quo Venetiis fuisse simul cum P. Laynez diximus) Ferrariae versatus est, et tam concionum assiduarum, quam confessionum fructus, non poenitenda augmenta suscepit. Ducis Herculis, et primarii ejus ministri (*factorem* vocant), et primariorum urbis virorum confessiones audivit; sed aegrotantium in hospitali Sanctae Annae (ubi ipse divertebat) multo major fuit numerus, quos majori cum consolatione sua quam aulicos audiebat; bonus etiam odor simul cum fructu augebatur; et Dux non raro et personam et occupationes ejus publice laudabat. Aliquot foeminae errantes se collegerunt, et eidem confitentes, non solum a turpi vita abstinere, sed in monasterium Conversarum se recipere decreverunt. Privatis etiam colloquiis, et spiritualibus Exercitiis aliquos in Domino ad meliora promovit, ex quibus aliqui religiosum institutum in nostra Societate susceperunt. Consulebatur autem a Duce in rebus dubiis, quae ad ipsius conscientiam attinebant, et cum de rebus Societatis aliquando agerent, non exiguam benevolentiam Dux prae se ferebat; quamvis de Collegio instituendo nihil tunc actum fuerit. Cum vero Ducis filia, Duci Guisano uxor promissa fuisset, voluit Dux ut ejus confessionem in domo Ducissae matris audiret, quae propter peregrinarum doctrinarum, quarum erat studiosa, causam, non admodum Patri Claudio aequam se praebebat, et frustra de ea ad catholicam Religio-

nem reducenda tunc actum est. Cardinalis Augustanus in Germaniam per litteras P. Claudium accersebat, cum de instituendo Dilingensi Collegio esset sollicitus; Burgensis etiam Episcopus, cum Ferrariam venisset, ad alias Germaniae provincias deducere eum studebat; sed neutri satisfactum est, quoniam Ferrariensis vinea potius eo tempore excolenda videbatur [1].

241. Hoc ipso anno P. Sylvester Landinus in Lunae et Sarzanae dioecesi strenuam operam animabus juvandis navabat; scribit vir quidam primarius in oppido Firizano [2], viginti dies ibidem fuisse Sylvestrum, nec unquam exstitisse concionatorem, qui populo magis satisfaceret, asseverat, et sive ex doctrina sana, sive ex vitae exemplo cum ea conjuncto, affirmat se nihil unquam melius audivisse, quod verba vitae aeternae haberet, nec quod magis corda penetraret se unquam fuisse expertum. Et effectum esse ait viginti illorum dierum studio, ut Societates vel confraternitates reformarentur, maxima virorum pars et omnes fere mulieres ad confessionem inducerentur; pueri vitam christianam edocerentur, et mores boni ac consuetudines inducerentur. Monasterium etiam ad sacras virgines recipiendas ut aedificaretur auctor fuit. Similia in tota illa dioecesi curabat; sed in primis ad exstinguendas haereses, quae ea in provincia pullulabant, seriam operam dedit. Quod omne Vicarius ex publica voce et fama se intellexisse litteris suis testatur, Sylvestrum, ad perseverandum in hujusmodi ministeriis, per universam dioecesim pro more ipsius discurrendo, exhortans. Ejus in concionando fervor non ab ipso, sed ab Spiritu Sancto esse credebatur; et cum in jejuniis, orationibus, et aliis magnae perfectionis operibus Sanctorum vitam imitari videretur, majorem ejus praedicatio et Sacramentorum ministerium auctoritatem habebat.

242. Venerat Romam, ut superius dictum est, absoluto negotio patavino, P. Jacobus Laynez; sed cum Joannes a Vega, Siciliae Pro-rex, ut eo in regno concionaretur eum expeteret, et Cardinalis Farnesius ad multa reformanda in suo Montis Regalis Archiepiscopatu eumdem obtinuisset, plenamque au-

---

1 Paschasius Broet, l'ordine che si tiene nel Collegio di Ferrara circa li scolari di fuora.

2 Ab aliis scribitur *Finizano*, sed uter ex his modis rectus sit, nobis non liquet.

ctoritatem ad id dedisset, pauculos dies Romae conquiescens, a Patre Ignatio eo missus est; et sub tempus adventus Neapolim perveniens, ibidem ab concionandum, quod reliquum erat hujus anni substitit. Comitissa autem Nolae, magnae nobilitatis, sed illustrioris pietatis foemina, necessaria omnia cum charitate eximia providebat; accedebant ad ejus conciones plurimi, tam ex nobilitate, quam ex populo, et quidem cum magna animorum commotione et fructu. In monasterio etiam ordinis Sancti Benedicti Sacrae Scripturae lectiones aggressus est; ubi nec solum populus, sed ipsi etiam religiosi, et aedificationis multum et benevolentiae exhibuerunt. Apud eosdem, quietis majoris gratia, hospitium habuit; et ejus opera spiritualia Exercitia et generales confessiones late admodum patere coeperunt. Joannes Philippus Casinus, nondum sacerdos, qui comes adjunctus erat Patri Laynez, octo vel novem, eodem tempore, in meditationibus spiritualibus exercebat; coepta est etiam christiana doctrina explicari ab eodem Joanne Philippo; et a Patre Laynez curatum est, ut post ipsorum recessum, aliqui pium illud opus prosequerentur. Tantopere urgebat Laynium civitatis devotio, ut quotidie, et quidem aliquando bis et ter eodem die, concionandum illi esset, quamvis in colloquiis et confessionibus multorum non parum temporis consumeretur. Invisit Pro-regem, a quo valde humaniter fuit exceptus, qui dixit etiam ejus conciones se velle audire; cum autem semel atque iterum in templo Divae Mariae Majoris mane, et post meridiem in cathedrali Ecclesia, cum frequentissimo et nobilissimo auditorio, et magna animorum commotione concionatus esset, serio admodum de Societate vocanda et loco illi parando agi coeptum est. Voluit etiam Pro-rex in ecclesia Montis Oliveti ejus audire concionem. Licet autem de eo retinendo multi solliciti essent, id minime obtinuerunt; et cum triremibus siculis Siciliam versus ipse et socius navigarunt, postquam et Pro-rex et Castelli-novi praefectus omnem favorem, sicuti alii nobiles et illustres viri, obtulissent. Abbas autem monasterii Sancti Severini, ubi aliquandiu habitavit, cum magno doloris sensu ejus discessum tulit, quod fere de toto monasterio, cujus charitatem, non minus exemplo vitae, quam praedicatione verbi Dei inflammabat, dici posset; adeo ut scribat Abbas ad Patrem Ignatium, nisi sanctae obedientiae ratione aliter sentire coge-

retur, sibi videri potuisse discessum Patris Laynez gravi cum damno conjunctum fuisse, cum aptissimum instrumentum divinae Providentiae ad totam civitatem commovendam, et ad Dei obsequium et propriam salutem adducendam, videretur; unde alium saltem ejus loco submitti, qui eadem praestet charitatis officia, a P. Ignatio petit [1].

243. Pater Hieronymus Natalis, cum aliis, de quibus mentio facta est, Roma in Siciliam, primo vere appetente, profecti sunt. Ii ipso in itinere multorum animos ad pietatem permoverunt, concionando interdum, et confessiones multorum audiendo; aliquos etiam de fide non bene sentientes, per disputationem et familiaria colloquia ad saniorem mentem, non sine fructu, reducere conati sunt. Ipsa tandem octava Paschae hujus anni 1548 Messanam incolumes pervenerunt, et magna humanitatis et charitatis significatione, non solum a Pro-rege, et domina Eleonora, Pro-regina, summae pietatis foemina, sed etiam ab ipsa civitate, excepti fuerunt, quae magnam animi propensionem ad Collegii hujus fundationem prae se ferebat. Et quamvis Sancti Nicolai templum et domus nostris esset applicata, quia tamen ad nostrae habitationis et scholarum commoditatem, et Ecclesiae ipsius decorem, multa aedificanda erant, domum conductitiam nostri aliquot mensibus habitarunt. Dum scholas aperiunt, et de proximis benemereri sedulo incipiunt, empta vicina domo, additoque horto, locus divi Nicolai concinnatus fuit non exiguis impensis civitatis; quae primo hoc anno fere duo millia et quingentos aureos expendit, praeter quingentos annui reditus ad sustentationem nostrorum, unanimi consensu Consilii civitatis assignatos, et a Pro-rege confirmatos. Confectum est etiam instrumentum publicum, coram ipso Pro-rege, quo locus Sancti Nicolai Societati fuit attributus; nobili autem cuidam viro curam aedificii civitas commisit, qui egregii cujusdam architecti opera usus est, et classes, conjunctas quidem, sex extra Collegii habitationem construxit. Quamvis autem sponte sua cives huic operi faverent, non parum eos domini Didaci de Cordova, sindicatoris regni Siciliae, et ipsius Pro-regis studium et auctoritas incitabat; vix enim credi posset, quanto dilectionis quamque constanti affectu

---

1 Laynez Ignatio, Neapoli, 5 Januarii 49.

Societatem nostram Pro-rex complecteretur. Numerus eorum qui ad inferiores scholas accedebant, magnus satis, ipsis ab initiis, erat; ad superiores autem rariores, ut assolet, veniebant; quia non solum eas lectiones, quas civitas suis litteris postulaverat, sed alias plures, ex charitate et juvandae juventutis causa, Collegium praestitit; in quo parisiensis Universitatis in docendo modus paulatim est inductus. Tres siquidem grammaticae lectores Pater Natalis constituit: primam scholam Pater Benedictus Palmius, secundam Annibal de Codreto, tertiam Joannes Baptista regebat; Pater vero Canisius oratoriam artem profitebatur, magister Isidorus dialecticam, P. Andreas Frusius litteras graecas, Pater vero Natalis hebraeas, quarum tamen praelectionem eidem Patri Andreae reliquit; ipse vero, quamvis in gubernatione Collegii distineretur, theologiam scholasticam mane, lectionem vero casuum conscientiae a prandio profitebatur [1].

244. Cum autem auditorum concursus augeretur, in studiorum renovatione, quae sub autumno facienda erat, expedire visum est, ut per totum regnum Siciliae praelegendarum lectionum catalogus promulgaretur; sed quia Catanensis academia non aequo admodum animo id latura credebatur, a Pro-rege facultas ad id petita est, qui, quamvis non careret magna difficultate concessio, pro animi tamen sui propensione ad Collegium Messanae institutum, id concessit; imo et in Calabria res evulgata est, unde qui vellent Messanam convenire studii gratia, facile poterant; et cum Pro-rex Siciliae, ad Calabriae Proregem scripsisset, supra centum scholastici venire Messanam, ut dicebatur, constituerant. Interim praeter scholasticas lectiones, in cathedrali Pater Natalis, frequentissimo auditorio (aderat ipse Pro-rex), Pauli epistolas, ab ea quae ad Romanos scribit, inchoando, interpretari aggressus est. Civitas autem Messanae, Catanensium fortassis resistentia excitata, de Universitate, et non de Collegio tantum instituendo, agere coepit, et, Pro-rege approbante, id a Paulo III Pontifice Maximo, cum applausu ejus Consilii (quam Signaturam vocant) non exiguo, obtinuit. Collegii nostri Rector Universitatis etiam Rector fu-

---

1 Li Jurati della nobile città di Messina, Ignatio, 15 Octobris; Ignatius dominae Elisabethae de Vega, mense Novembri, dominae Eleonorae Osorio, Siciliae Proreginae, eodem fere tempore, 48.

turus erat, et Cancellarius, ex nostro itidem Collegio desumendus, ad gradus in Philosophia et Theologia, eos qui digni habiti essent, promoturus. Justas tamen ob causas, eo tempore Societas nostra Universitatis onus sustinere non coepit. Sub finem ergo Septembris, ad propriam domum jam aedificiis convenientibus utcumque concinnatam, nostri commigrarunt, et scholis apertis, leges suas et constitutiones ediderunt, quae et approbatae et executioni mandatae sunt. Initio vero Octobris, in ecclesia Sancti Nicolai, praesente Pro-rege et urbis nobilitate, duae orationes, altera a P. Petro Canisio, altera a magistro Benedicto Palmio, initium satis celebre studiis dederunt; aliae etiam paratae fuerant, sed eas in propriis classibus, praefationum more, praeceptores habuerunt; fuerunt etiam adfixa parietibus carmina hebraea, graeca et latina; et ita demum communi cum laetitia res inchoata fuit. Et civitas, ad expeditionem diplomatum Universitatis, et litteras ad P. Ignatium, ad quem etiam Pro-rex de re eadem scribebat, et magnam pecuniae summam ad solvendas in Curia expensas transmisit. Exercitia litteraria cum satis felix initium habuissent, non minus quae ad spiritualem profectum pertinent, curabantur. Jam quidem ab ipso anni initio, P. Hieronymus Domenech assiduis concionibus dabat operam, Pro-regina praesente; et ab ipso Pro-rege animatus, adjuncto socio, eleemosynam ad eos, qui in custodia publica propter debita detinebantur, liberandos, conquisivit; et ipso Pro-rege incipiente, et sequente civitate, privati etiam cives sequuti sunt; et ita liberari pauperes, et a carcere dimitti coeperunt, cum tamen prius a peccatorum debitis et carcere per confessionem et communionem essent liberati, quod ipse sponte sua Pro-rex faciendum suggesserat, cujus studium et devotio in pietatis operibus insignis admodum erat. Concionabatur etiam P. Stephanus Baroëllus, qui in Siciliam, antequam Collegium nostrorum eo perveniret, missus fuerat, Messanae in monialium monasteriis; confessiones etiam et orphanorum puerorum et aliarum personarum, tam ex palatio Pro-regis quam ex urbe, ac ex custodiis publicis audiebat; aliquos etiam saracenos, Pro-regis servos, qui christiani fieri volebant, religionis christianae doctrinam edocuit; orphanos etiam in eadem magis instruxit, ad quorum Collegium aedificandum, civitas bonam pecuniae summam conferebat. Missus etiam fuerat

quidam ex fratribus nostris Agrigentum, et catechismum docere coepit, loco Patris Jacobi Lhoost; qui Romam vocatus, ut Lovaniensis Collegii Rector institueretur, in gravem aegritudinem, vel ex laboribus contractam, vel aliis ex causis, inciderat; et cum ad patrium aërem Belgiae, omnino valetudinis gratia mittendus esset, et iter inchoasset, Bononiae substitit, et nostro in Collegio, susceptis Sacramentis, cum magna omnium aedificatione, quam ejus patientia, et cum divina voluntate conformitas praebebat, ad Dominum hujus anni aestate migraverat; et ut scribit P. Alphonsus Salmeron (qui cum Patre Paschasio ei adfuerat) tanta post mortem in vultu Patris Jacobi laetitia apparebat, ut omnes magnopere consolaretur. Sed ad Siculos redeundo, cum summa rerum necessariarum ignorantia, nec minor fortassis negligentia in multis regnaret, partim per catechismi explicationem, partim per ministerium sacramenti Poenitentiae plurimis subventum est; et qui tribus, quatuor vel septem annis nunquam confessi fuerant, Domino per confessionem reconciliati fuerunt. Exercitia etiam spiritualia compluribus proposita, nec sine fructu peracta fuerunt, et quo minus hujusmodi spirituales. consolationes et auxilia Messanenses exspectabant, eo gratiora illis acciderunt. Sacerdos quidam Catanensis spiritualia Exercitia primae hebdomadae cum fecisset, et ad omnia se promptum offerret, Catanam remissus est, ut eadem, quibus praeerat, monialibus proponeret. Monasterium quoddam reformatione indigebat Messanae, nec nisi per spiritualia Exercitia et verbum Dei juvari posse videbatur; et postquam aliqui frustra id tentarunt, Stephanus eo missus, simul atque concionari coepit, ecce moniales flere incipientes usque ad concionis finem perrexerunt in lacrymis, et ut rediret ad idem munus praestandum, et de rebus ad earum profectum pertinentibus agendum, ipsae rogarunt. Postquam autem Collegium Messanam accessit, aucto operariorum numero, spirituales fructus aucti etiam sunt; nam et scholastici singulis mensibus confiteri, et multum in spiritu juvari coeperunt, et alii etiam, inter quos fuit qui, natus plus quam quadraginta annos, nunquam confessus fuerat. Doctrina christiana etiam singulis diebus Veneris, in nostro templo Sancti Nicolai explicari coepta est; singuli lectores eisdem diebus in suis classibus eamdem discipulos edocebant; et conciones in eodem

templo frequenti auditorio habebantur, quibus initium dedit Pater Andreas Frusius. Coepit etiam crebro confitendi, et concionandi consuetudo induci, quae paulatim crescendo, spiritualem fructum et aedificationem urbis merito auxit. Cum autem scholastici singulis diebus sacrificio Missae, et dominicis concioni interessent, et singulis mensibus confitentes pro arbitrio confessarii, et conscientias quotidie examinare, studia ad Dei gloriam referre, tempus orationi dare, a juramentis et verbis parum honestis abstinentes, coepissent, et sic in moribus undecumque proficerent, merito parentum consolationem augebant. Quod ad nostrorum etiam profectum in litteris attinet, unum, quod parum expetebatur, evenit, ut scilicet, dum alii docent, et interim nonnulli ex praeceptoribus alias lectiones audiunt, tantum in litteris proficerent, ut nulla in Universitate majores in doctrina progressus facturi merito crederentur. Sed et auctus est, quibusdam admissis, nostrorum numerus, qui, prout tunc in more erat, simul et ipsi in spiritu proficiebant, et in domesticis quibusdam functionibus communi bono inserviebant. Pueri quidem non pauci se offerebant, sed non visum est in aetate tam tenera, ad Societatis labores eos esse admittendos. Sancti Nicolai festum magno apparatu celebratum est, cum ecclesiae nostrae patronus esset, et de more celebrandi solemnitates hujusmodi Pater Natalis est concionatus. Pater Canisius italice diebus etiam dominicis concionabatur; sed et Benedictus Palmius, nondum sacerdos, cum in monasterio quodam concionatus esset, non vulgare ad id munus talentum coepit ostendere; populus autem excitatus concionibus, tam frequens ad sacramentum Confessionis accedebat, ut jam confessarii nostri tam amplae messi colligendae non sufficerent, quamvis aliquando a primo mane usque ad multam noctem in ea functione desudarent; multae enim generales confessiones, et quidem cum fructu magno a poenitentibus instituebantur; adeoque res progressa est ut, cum litterariae exercitationes prospere admodum succederent, spiritualis profectus adhuc latius patere et ad majorem Dei gloriam cedere videretur. Accessit ad alios concionatores Isidorus, qui dialecticam praelegebat; quia tamen omnes occupati erant, tam ipse Pro-rex, quam civitas, quam dominus Didacus de Cordova, regni sindicator, et nostri etiam ipsi, concionatorem aliquem, qui huic muneri serio va-

caret, ab aliis occupationibus liberior, expetebant; quare Pater Jacobus Laynez, ut diximus, quamvis non solum ad hoc munus, missus est. Duo genera hominum extrema ad nostros frequentius confluebant, nimirum aut valde ad optima quaeque propensi, aut qui non mediocri licentia, in anteacta vita usi, ad viam Domini, a qua longe recesserant, redire cupiebant [1].

245. Cum autem bonus odor ex Messanensi Collegio ad alias Siciliae civitates pervenisset, ex illis aliquae ad Collegia petenda sunt excitatae; inter alias Calatagirona Pro-regi supplicavit, ut sibi Societatis Collegium impetraret; sed quae prima id petiit, non tamen prima id obtinuit; alia enim Collegia prius admittenda visa sunt. Hoc interim non omittam, quod cum Pater Hieronymus Domenech Patri nostro Ignatio suggessisset, ut per litteras civitati Messanensi gratias ageret, quod liberaliter se erga Collegium (ut praedictum est) gessisset; hoc responsum habuit: Potius sibi videri, ab ipsa civitate gratias Societati agendas esse, quae, tam multis operariis missis, longe amplius quam civitas postulaverat, praestitisset.

246. Illud etiam addam, quod cum Patri Natali de solemni professione emittenda P. Ignatius scripsisset, vir alioqui raris Dei donis clarus, se minime dignum existimans, apud eumdem Patrem excusabat, et inter professos trium votorum adscribendum se sentiebat; si tamen omnino quatuor votorum emittere professionem juberetur, in manibus Patris Ignatii eam emittere, pro animi sui erga ipsum devotione, cupiebat. Mira autem fuit hujus Patris sollicitudo in intelligenda et exsequenda, etiam in minimis rebus, Patris Ignatii voluntate; et huic obedientiae virtuti adscribendum videtur, quod cum Romae valetudinarius admodum esset, et vix mediocribus laboribus ferendis vires

---

1 Polancus *ex commissione* Hieronymo Domenech, de modo regendi Isidorum (alias Sbrandum), mense Martio; Hieronymus Domenech de iis, quae in itinere ex urbe Roma Messanam usque passi fuerunt egeruntque et de initiis Collegii Messanensis, mense Martio; Ignatii responsum de reditibus, domo, Ecclesia, etc., gratulantis Pro-regi, Pro-reginae et Messanae civibus, 2 Aprilis; Polancus *ex commissione* Hieronymo Natali de scribendis litteris, de Stephano, de facultatum usu Societati concessarum, de expeditione Litterarum Apostolicarum erectionis Collegii Messanensis, de donationibus Collegio factis ab Imperatore, etc., eadem die; idem Hieronymo Domenech de iisdem rebus, addita objurgatione et poenitentia propter frigiditatem in scribendo de quodam magistro Angelo, 7 Aprilis; Ignatius religioso viro Fratri Josepho de Ferno, Messanae degenti, eadem die, 48.

haberet, nihilominus, obedientiae virtute roboratus, ad gubernandum simul et concionandum, et tres lectiones graves, scilicet, scholasticae Theologiae, casuum conscientiae, et Scripturae, et multis confessionibus, et spiritualibus Exercitiis tradendis, et gravibus dubiis resolvendis par erat [1].

247. Non solum ecclesia Sancti Nicolai, architecti opera fuit ornata, sed multo magis Sanctorum reliquiis, quas domina Eleonora Pro-regina, ac domina Elisabeth ejus filia, raras ac singulares (ex his, quas Roma tulerant) dederunt. Cum autem aliqui ex nostris, Colonia ex Belgio transeuntes, duo capita ex numero Christi Virginum, Beatae Ursulae et Sociarum, attulissent, civitas Messanensis, quam id non latuit, suis litteris eas a P. Ignatio obtinuerat, et in eodem templo, cum publica processione excepta, reposuerunt; omnium autem hujusmodi reliquiarum ornatus et cultus magnopere populi devotionem erga illud templum excitavit.

248. Alia etiam pietatis opera non pauca studio Pro-regis Joannis de Vega, suggerente et exsequente P. Hieronymo Domenech, in regno Siciliae sunt peracta; ut congregationes puerorum orphanorum et orphanarum; monasteriorum, quae a monialibus tenebantur, reformationes; catechismi docendi institutiones: et alia in pauperum custodiis detentorum beneficium; largae etiam eleemosynae, quae extra regnum ipsum sese extendebant; unde et monasterium Sanctae Marthae de Urbe charitatem Pro-regis expertum est. Cum autem magna esset existimatio doctrinae P. Hieronymi Natalis, multarum nobilium personarum dubia ipsius arbitrio decidenda permittebantur, quamvis magni momenti essent, et quidem gravissimi civitatis viri et in magistratu constituti ad eum consilii quaerendi gratia accurrebant.

249. Cum autem Pro-rex, Joannes de Vega edicta quaedam, ad reformationem quarumdam civitatum in rebus gravibus, utiliter proposuisset, suggestum est ei ut ad communem totius regni utilitatem collecta hujusmodi edicta, ad morum reformationem pertinentia, per totam provinciam promulgari juberet; quod antequam ille fecisset, Patribus Hieronymo Domenech et Natali datum fuit negotium ea revidendi et concin-

---

1 Hieronymus Natalis Ignatio, Messanae, 18 Decembris 48.

nandi, prout ad aedificationem, tam ecclesiastici ordinis, quam saecularis convenire videretur.

250. Inter caetera monasteria monialium, quae a nostris spirituale auxilium acceperunt, unum fuit Messanae, ubi omnes fere per spiritualia Exercitia ad pietatem accensae, et ad crebrum confessionis et communionis usum, diebus scilicet dominicis, reductae sunt. Aliud Agrigenti, P. Hieronymi Domenech opera, ad vitam communem et paupertatis observationem, peculiis privatis abjectis, vel potius in commune collatis, se disposuit. Tertium itidem Panormi per conciones et Exercitia spiritualia, et confessiones generales, a P. Stephano Baroëllo sic adjutum est, ut quae prius, vel certe aliquae earum, satis erant obstinatae, nec confiteri quidem particulariter volebant, ad ipsius pedes se abjicerent, et tam ad peculium proprium relinquendum, quam ad omnem modum reformationis se paratas exhiberent.

251. Venit Messanam puer quidam cum patruo, tredecim annos natus, qui peculiari quodam Dei dono, a quinto aetatis anno concionari coepit, et in eo munere sic perseveravit, ut magnum excitaret in hominibus stuporem propter gratiam praesertim ac libertatem, majorem quam credi posset, in verbo Dei proponendo. Hunc cum audivisset domina Leonora Pro-regina concionantem, coepit magna benevolentia prosequi, et ut ad perfectionem maturescere posset, instanter admodum ut in domo nostra reciperetur rogavit, et litteris ad P. Ignatium scriptis, id impetrare studuit; sed expedire magis visum est, ut inter orphanos pueros Messanae educaretur, et ad nostros crebro accedens in vita et doctrina proficeret. Cum autem complures de scholasticorum numero ad Societatis nostrae institutum aspirarent, visum est P. Natali, selectioribus quibusdam spiritualia Exercitia proponere, et cum delectu aliquos in Societatem admittere; nulli tamen persuaderi ex scholasticis volebat Societatis ingressum, sed id tantum ut ad Sacramenta crebro accederent, ut, si quos vellet Deus vocare, ad audiendam ipsius vocationem paratiores essent, prout fieri coeptum est.

252. Hospitali incurabilium eleemosynae largae sunt procuratae, et quia in castello ac palatio locus quidam erat ad custodiam vinctorum, ubi cum aliqui in aegritudinem inciderent, incommode admodum curari poterant, effecit P. Domenech,

ut locus quidam idoneus, tam ad valetudinem curandam, quam ad Missae sacrificium audiendum et Sacramenta suscipienda construeretur, et necessaria aegrotantibus remedia pararentur; quod ubi effectum est, multi suis in morbis commode curati sunt.

253. Foeminae aliquae a peccatis revocatae nostrorum opera et Pro-reginae fuerunt; cujus charitas eo progrediebatur, ut etiam domi suae excipere aliquam ex his non gravaretur, donec vel per matrimonium, vel alia ratione, ei prospectum esset; inter dissidentes concordia etiam est curata, inter quos aliqui non infimae notae homines hoc beneficium acceperunt [1].

254. Venit Romam P. Sylvester Landinus, cum in illis Hetruriae locis, de quibus supra, et etiam Liguriae, prope Sarzanam, magno cum spirituali fructu versatus esset, et mirum vitae suae, ac doctrinae odorem reliquisset, ac charitatis opera non pauca sic ordinasset, ut eo etiam absente, alii eadem prosequerentur; et quamvis in patria propria versaretur, non do-

---

1 Quae a n. 247 hucusque dicta sunt, fere ad verbum continentur in litteris historicis hoc anno ad universam Societatem datis, quarum exemplum Roma in Hispaniam missum habemus in vol I, *Historiae variae*, fol. 136 et sequentibus ad folium 153. (*Historicas litteras* hic apellamus, et deinceps, brevitatis gratia, semper appellabimus, quas Polancus italice *lettere di nove*, hispanice vero *letras* aut *cartas de nuevas* dicebat. Eas, *ex commissione* Sancti Ignatii et dirigente Polanco, hujus librarii seu amanuenses conficiebant, ex litteris excerpentes, quas Socii per orbem sparsi Romam miserant, quidquid *aedificationi* foret, et a Polanco, vel etiam ab ipso Ignatio, prius signo aliquo ut exscriberetur fuerat notatum.) — Polancus *ex commissione* Sancti Ignatii, Hieronymo Domenech, de Collegio Messanensi, 4 Januarii; de monasteriorum in Sicilia reformatione; de orphanorum domibus; de dioecesis Agrigentinae visitatione; de negotiis, in quibus Sanctum Ignatium non decet occupari nisi forte per *solicitatorem in Curia*, qui de Societate non sit; de ordine regiminis superiorum in Sicilia, 14 Aprilis; de litteris, quas Joannes de Vega dederat Cardinalibus Crescentio, Farnesio, Carpi et de Burgos, 21 Aprilis; eidem Ignatius, de Laynez in Siciliam Venetiis per Joannem de Vega evocando, 21 Maii; idem Hieronymo Natali, de gradibus in Universitate, conclusionibus, disputationibus, tum publicis, tum privatis, et libris, eadem die; idem Stephano Baroëllo, eadem die; idem Hieronymo Natali, de numero lectionum Messanae minuendo; de quiescendo ab studiis lectionibusque aestatis tempore, 2 Junii; idem domino Didaco de Corduba, ne Socios occupationibus nimiis premeret, sed valetudinis eorum rationem haberet, eadem die: Polancus *ex commissione* Hieronymo Natali, de tribus pro Messanensi Collegio curandis; de usu, quem Natalis induxerat, abstinendi ab esu carnis et ovorum diebus Mercurii, ne quid contra communem in Societate morem statuat, eadem die; idem Canisio, quem laudat simulque corripit quod Germaniae suae tam sit memor, eadem die; idem Doctori Ignatio Lopez, de Collegio Calatagironae erigendo, eadem die; idem Hieronymo Natali, quid Urbis Vicarius de esu carnium et ovorum diebus Mercurii decreverit; quos Roma Messanam libros, jubente Ignatio, miserit; et de moderata valetudinis cura, 16 Junii; idem eidem, de con-

mi suae vel suorum consanguineorum, sed in hospitali, licet illis aegre ferentibus, divertere voluit ; tanto zelo haereses insectabatur, ut acciderit quadam dominica die, diversis in locis, contra eas sex horas, non poenitendo cum fructu, concionari. Cum ergo Romam venisset, et suae devotioni satisfecisset, Fulginum a P. N. Ignatio missus est, et cum joco Ignatius ei dixisset, ut duos cives fulginates, qui ipsum comitabantur, Sanctos faceret, ad optima quaeque promovere studuit, et alterum eorum, qui Doctor erat, non longe esse a regno Dei et a religionis instituto suscipiendo admonuit: quemdam etiam Abbatem Spoletanum sic permovit, ut abbatiam et animam propriam in manibus P. Ignatii, ejus consilium sequuturus, collocaret ; magister etiam scholae quidam, et canonicus, alius ab Episcopo, caeteris sacerdotibus, ut magister, praefectus, simili modo arbitrio P. Ignatii se commiserunt. Tantopere in confessionibus occupabatur, ut cum ante auroram id munus aggrederetur, usque ad duas noctis horas huic muneri vacandum ei foret; plures enim generales confessiones instituebant; curavit

---

cionibus a fratribus in plateis ad populum habendis, 14 Julii ; idem eidem et Hieronymo Domenech, 28 Julii; Ignatius Pro-regi, Joanni de Vega, de rebus Venetiis per Laynium gestis ; de iis quae Cardinalis Farnesius in Urbis Montis regalis utilitatem expetebat; de Laynio in Siciliam ad tempus profecturo, 4 Augusti; idem, fere de iisdem Proreginae, Eleonorae de Osorio; idem domino Didaco de Corduba, eadem die; idem Hieronymo Domenech, de iis qui Professionem in Sicilia emittere debebant, quorum unus, omni seposita excusatione, Natalis ; de scriptione litterarum ; de monasteriorum reformatione, eadem die ; Polancus *ex commissione*, de admittendorum delectu; de corporis afflictationibus ; de lectionibus et aliis occupationibus ; de Sociorum, quo bene valeant, eximia habenda cura ; de studiis quibus exerceri oportet Petrum Canisium, Benedictum Palmium et Annibalem Coudreto, eadem die ; Emmanuel Miona *ex commissione* Sancti Ignatii, Isidoro, ut de singulis sociis quid sentiat Romam scribat, eadem die; Polancus Natali, de iis quae ad emendationem Isidori proposuerat Ignatius, eadem die; idem Stephano Baroëllo, de iis in quibus officio suo deesse videtur, eadem die; idem Natali, de puero concionatore ; de Isidoro, si dimittendus erit, quid sit ante dimissionem praestandum, 18 Augusti ; idem Hieronymo Domenech, de usu pallii ; de admittendis; de Isidoro expectandum donec adveniat Visitator, Laynez; idem de Stephano Baroëllo, 25 Augusti ; idem Hieronymo Domenech, de personarum delectu, quibus tradenda sint Exercitia, 15 Septembris ; idem Benedicto Palmio, ut curam habeat valetudinis Patris Natalis; idem Hieronymo Domenech, de designandis quatuor Siciliae primariis urbibus in quibus erigendae sint Apostolica auctoritate domus orphanorum, de libris astrologiae, 13 Octobris; idem Canisio, de Sanctorum reliquiis et earum distributione, eadem die; idem Hieronymo Domenech, de possessione ecclesiae Sancti Nicolai ab oneribus instituto Societatis non concentaneis liberanda, eodem mense Octobri; idem eidem de adventu P. Laynez Romam et ejus profectione in Siciliam, 17 Novembris 48.

etiam ut multae eleemosynae fierent, et ut pax inter discordes aliquos fieret, qui ex primoribus civitatis erant; christianam doctrinam diligenter docuit, et Episcopus ipse ex suggestu auditores hortatus est, ut ad eum accederent, qui quotidie legebat, agnoscere se Dei dilectionem erga civitatem illam affirmans, quod aliquem de Societate nostra ad eos misisset, cum non facile sacerdotes hujusmodi alibi possent inveniri. In spiritualibus Exercitiis, quae quibusdam proposuit, multi in spiritu profecerunt; aliquos, qui a peccatis resipiscere nullius persuasione voluerant, per eum Dominus reduxit; aegrotantibus quibusdam sacramento Confessionis subvenit; a compluribus ut octavo quoque die, vel prima dominica mensis confiterentur, obtinuit; et ubi aliquos aegrotantes invisebat, hoc ipsum a domesticis fieri curabat; et ipse plurimos ex his octavo quoque die sacramento Confessionis et Eucharistiae refecit. In concionibus ejus frequentes admodum erant lacrymae auditorum. Episcopus autem, qui fructum uberem ex hujus operarii labore provenientem videbat, non solum charitate peculiari eum complectebatur, sed suam etiam auctoritatem plenam ei commisit [1].

255. Hoc ipso anno Stephanus Caposachi Aretinus, magnae exspectationis juvenis, cum ex immoderato studio orationis et castigationis corporis, antequam superiores id animadverterent, valetudinem suam valde afflixisset, partim ut consuleret sanitati, partim ut beneficium ecclesiasticum, quod obtinebat, alicui viro idoneo conferri curaret, in patriam, scilicet, Aretium, se contulit; et dominicis diebus ac festis populum ad bene vivendum hortari, et peculiariter ad crebro confitendum, et communicandum coepit, et quamvis eo tempore, scilicet mense Augusto, homines in fructibus terrae colligendis et reponendis satis essent occupati, magna tamen eorum multitudo ad Poenitentiae sacramentum accessit; alii autem se praeparabant ut post messem id ipsum praestarent; diebus autem Veneris sub vesperam, in Ecclesiam ad orationem simul faciendam popu-

---

1 Polancus Landino, ut litteris ad P. Codacium datis, Codacium ipsum intercessorem apud Sanctum Ignatium agere rogaret, 17 Maii 48; idem *ex commissione* domino Raphaëli Augustino, de retinendo Finizani, Landino; idem Landino, de Ignatii erga ipsum benevolentia, 2 Junii; idem eidem ut Laynium Florentiae conveniat, 14 Julii; idem eidem, de ministeriis praecipue humilibus exercendis, 25 Augusti; Jacobus Casulanus Sylvestro Landino, 3 Novembris 48. — Litterae historicae, de quibus sub n. 253.

lum reducebat, et docuit etiam pueros Dei praecepta et Ecclesiae, et ad ea observanda diligenter est adhortatus [1].

256. Interim dum haec in Italia aguntur, versabatur in Germania P. Nicolaus Bobadilla, et curiam Imperatoris Caroli ac Regis romanorum sequens, tum in rebus ad publicum bonum pertinentibus, tum etiam in privatis personis juvandis, utilem operam navabat; et cum Nuncio Sedis Apostolicae familiaris esset, ejus opera, ut pauperum, qui auctoritate Summi Pontificis egebant, negotia expedirentur, cum aedificatione curabat. Omnes fere hispanos, qui Regis romanorum, et magnam Imperatoris curiam sequebantur, et italos etiam, confitentes audiebat ac de eis benemereri, apud principes (qui eum in pretio habebant) studebat. Complures tractatus, ad reformationem religionis in Germania pertinentes, Augustae scripsit, quos ad Cardinales Farnesium et Sanctae-Crucis mittere decrevit. Complures ex Germaniae Principibus penes se habere ipsum cupiebant, sed ad fructum spiritualem potius expedire existimabat, ut quatuor vel quinque menses apud unum, totidem apud alium maneret, et partim praedicando, vel praelegendo aliquid clero, latina lingua, partim colloquiis et vitae exemplo illos juvando, quamvis non sine vitae periculo, multum profici posse existimabat; et si quando id munus utile futurum erat, hoc anno quam utilissimum fore arbitrabatur; recenti enim victoria Caroli V et Duce Saxoniae et Langravio captis, plurimi etiam in Saxonia et Praelati, et Principes, et populi ad religionem antiquam animum applicare incipiebant; et cum tardiores ac frigidiores suapte natura germani censeantur, eo magis aliqui, qui eos ad religionem catholicam sollicitarent, necessarii videbantur; et quamvis Imperator, se non posse nisi paulatim in hoc negotio procedere putaret, volebat tamen esse aliquos, quorum opera et exhortatione Germani incalescerent; et mirum prorsus esse affirmat, tacente Imperatore, et paucis Augustae

---

1 Polancus *ex commissione* Stephano Caposachi, Bononiam, ut metaphysicam aggrediatur, et de profectione in patriam ut quod, post preces ad Deum diebus tribus fusas, in Domino expedire sentiat, agat, 17 Maii; idem eidem, de ecclesiasticorum redituum resignatione et de valetudine curanda, 4 Augusti; idem eidem, ut libere possit Romam ire vel alio ubi Collegium sit Societatis, 13 Octobris; idem eidem, de concionibus et doctrinae christianae expositione; de operibus misericordiae corporalibus; ne mentali oratione quadrantem horae excedat; et ut libere sive ex emendicato sive ex propio, dum in patria fuerit, vivat, 29 Decembris 48 et 6 Februari 49.

in vinea Domini laborantibus, quam multi ad veram religionem redeant. Et ut ex litteris eo tempore ex Germania missis constat, electores Palatinus et Brandeburgensis, cum suis provinciis, reducti ad Ecclesiae gremium censebantur; cum enim Augustae praedicti Principes essent, simul cum suis uxoribus, omnibus quadragesimae officiis, magna cum devotione, intererant. Reductus etiam credebatur Mauritius Dux, et ad suae ditionis populos misisse, qui eos ad hoc ipsum suo nomine adhortaretur; simul et Brandeburgensis injunxit suis, ut abstinerent in quadragesima ab esu carnium, et confiterentur ac communicarent antiquo et catholico more; et illo ipso anno velle se restituere quidquid Ecclesiae abstulerat, promittebat; et cum die Jovis Sancti, disciplinantium (ut vocant eos qui se flagellis caedunt) processio, italorum ac hispanorum more, fieret, mirabantur vehementer germani, quod propter nivium et frigoris injuriam id non omitterent; et cum nobiles magnam facum ardentium vim (prout solent) praeferrent, et ab Ecclesia cathedrali ad hospitale redirent, ac ante domum marchionis Brandeburgensis transirent, ille cum uxore sua profusum sanguinem intuens, multum flere coepit; et cum aliqui lutherani illis dicerent, ne crederent verum esse sanguinem, qui ex corpore fluebat, curavit ad se aliqua indusia sanguinolenta, et flagella etiam adferri, ut certo sciret an sanguis esset. Ulnae etiam plurimi catholico more et confessi sunt, et communicarunt, et ultra septem millia germanorum, ut ferebatur; Missae etiam sacrificium et Eucharistiae sacramentum restitui in Germania coeperat. Agi tunc coeptum est de quadam circa religionem concordia, donec Concilium generale quid tenendum esset constitueret, quam concordiam *interim* vocabant. Cum autem P. Bobadilla minime hujusmodi concordiam, vel *interim*, convenire negotio religionis promovendo existimaret, et pro virili ei sese dictis et scriptis opponeret, quamvis in curia Principum plurimis carus esset, a ministris tamen Imperatoris, qui concordiam, ante recessum Caesaris in Flandriam, confici cupiebant, jussus est, ipsius Imperatoris nomine, e Germania recedere; et cum alioqui hoc ipsum Bobadilla majoris spiritualis fructus gratia sibi in votis esse Patri Ignatio scripsisset, instructum equo et viatico, et aucta ipsius bona existimatione apud Sedem Apostolicam, cui non poterat prae-

dicta concordia non displicere, in Italiam remiserunt. Ignatius vero, causam recessus Bobadilla animadvertens, sic temperavit ejus admissionem in domum romanam, ut nec Pontificii, nec Caesariani ministri, qui forte non eadem sentiebant, occasionem reprehendendi ullam invenirent. Cum autem Bobadilla Romae aliquandiu fuisset, et Sacram Scripturam populo praelegisset, a Summo Pontifice cum Episcopo quodam, ut ad dioecesis reformationem eum adjuvaret, missus est [1].

257. Erat hoc anno P. Leonardus Kessel nostrorum, qui Coloniae versabantur, praepositus, et inter egregia pietatis opera, in quibus se exercebat, in scholasticis illius Universitatis juvandis, qui praesertim ingenio et indole bona praediti essent (plurimi enim tales ipsum audiebant) laborem et industriam suam perutiliter collocabat, et tam colloquiis, quam exercitationibus spiritualibus, eorum animos excolebat. Sex autem vel septem, qui se Societati addixerant, domi magna cum disciplina, quod ad mores, et spiritum, et litteras etiam (quibus vacabant) attinet, continebat. Confessionibus etiam audiendis, et verbo Dei praedicando, et variis aliis modis civitatem illam adjuvare studebat; et nostrorum exemplo, qui publice ad communionem accedebant, ad frequentem usum tam confessionis quam communionis, complures alii excitabantur; et etiam inter doctos viros erant qui in spiritualibus meditationibus se juvari postularent. Cum autem sanctae paupertatis effectum in nostrorum congregatione animadverteret venerabilis ac pietate insignis vir, P. Gerardus, Carthusiae coloniensis prior, ad septem vel octo scholasticos alendos suam operam obtulit; latius etiam ejusdem charitas se extendens, cum nostrorum, qui Romae versabantur, inopiam idem intellexisset, quingentos aureos rhenenses, in subsidium eleemosynae, ad P. Ignatium transmisit [2].

258. Lovanii P. Daniel cum Patre Adriano et quibusdam aliis versabatur, et litteris simulque proximorum aedificationi vacabant. Cum autem P. Ignatius, tam ex illis aliquos, quam Patrem Nicolaum Gaudanum, qui Bergis animarum saluti invigilabat, Romam esse vocandos existimaret, ut Societatis insti-

---

1 Bobadilla Ignatio, Augustae, 8 Aprilis 48.

2 Litterae historicae, de quibus sub n. 253.

tutum et vivendi formulam melius imbiberent, scribendum non solum nostris, sed etiam Cancellario Universitatis curavit, ne aegre ferret ipse nostrorum discessum, et ut sua auctoritate, ne alii aegre illud ferrent, efficeret. Cancellarius autem, praelectis litteris, sedulo nostros ad obediendum, perinde atque si mandatum ex ore Dei suscepissent, est adhortatus; egitque cum Doctore Tilmano, Collegii Pontificis praesidente, ut Patri Nicolao bonus successor inveniretur, quo Bergenses minus moleste pastoris sui discessum ferrent. Tam felicem habuit ille Nicolaus sui laboris in vinea Bergensi proventum, Deo incrementum dante, ut numero frequenter confitentium et communicantium, quamdam primitivae Ecclesiae faciem Bergensis ecclesia prae se ferret; conviviorum excessus, ac vestium pompae rescindebantur; multae virgines, viduae et etiam in matrimonio collocatae vitam solito religiosiorem instituebant; unde Marchionissa Bergensis, domina Jacoba de Croy, semel et iterum hoc ipso anno P. Ignatio scripsit cives suos ad pietatem magis pronos, ac sibi multo obsequentiores, quam solebant, opera Patris Nicolai redditos; quod si inde auferretur qui excitator erat ad virtutem, et ex quo videbatur civitatis salus et incrementum religionis pendere, timebat ne in pristinum statum relaberentur; in solatium etiam suae viduitatis eum relinqui optabat, cujus dolorem suorum civium religio et bonorum operum studium temperabat. Capitulum etiam collegiale ac parochialis ecclesiae Sanctae Gertrudis, ubi Nicolaus concionabatur, multum se laborasse scribebat Patri Ignatio, ut eum pastorem, quem nacti tandem erant, invenirent, qui haereticis ut murum se opponeret, et plebem ab antiqua religione et christiana pietate fere alienatam, ad pietatem pristinam reduceret; quod magister Nicolaus Gaudanus strenue praestiterat, haereses exstirpando, ac simplicem populum promovendo ac instituendo, qui specimen quoddam virentis fidei Ecclesiae veteris in mentibus hominum resuscitavit, non sine omnium, etiam inimicorum fidei, admiratione et stupore. Visum est nihilominus hoc damnum per substitutionem successoris sarciri posse, et ita hoc ipso anno cum P. Daniele venit etiam P. Nicolaus Florentii Gaudanus [1], qui gravissimorum hominum testimo-

---

1 Vide supra ad n. 205, notam 1.

nio, tam in litteris, quam in pietate plurimum commendabatur. Alii etiam in Urbem hoc ipso anno venerunt, inter quos fuit P. Nicolaus Lanoyus, a multis annis Theologiae baccalaureus, et canonicus furnensis, et lector in coenobio Augustinensium, qui concionibus et vitae exemplo animarum salutem promovere studebat; hi autem Romae in variis, tam domus quam hospitalium, probationibus, magna cum aedificatione versati, virtutis suae specimen egregium dederunt. Qui Lovanii versabantur, non propter horum discessum debiliores animo effecti sunt; et bonus Societatis odor conservabatur, et ipso exemplo multos ad crebro confitendum et communicandum invitabant [1].

259. In Gallia nondum alibi quam Parisiis nostri residebant; recesserat inde P. Paulus de Achillis, et Romae aliquandiu versatus est; nostris autem praeerat P. Baptista Violaeus, qui simul cum nostris collegialibus studiis dabat operam; et interim per Exercitia spiritualia, et confessionum ac communionum ministerium scholasticos aliquos, qui videbantur operarii vineae Domini futuri, excolebat. Inter aliquos, qui hoc anno 1548 Societatem ingressi sunt, unus fuit P. Everardus Mercurianus, nunc totius Societatis generalis Praepositus, qui cum anno praecedente in spiritualibus Exercitiis plurimum profecisset, ut res suas domi curaret ac disponeret, Leodium se contulerat [2]. Eo autem tempore quo illi, de quibus mentio facta est, Romam versus ex Belgio erant discessuri, et ipse Parisios rediens in Societatem est admissus, cum Philosophiae et Theologiae operam prius dedisset; et in animis hominum tractandis, et ad spiritualem profectum juvandis, laudem non vulgarem, inter nostros, qui Parisiis erant, brevi est consequutus [3].

---

1 Ut praecedenti n. 257; Vita mss. Patris Cornelii Wischaven; Jacoba de Croy, Marchionissa de Bergis, Ignatio, sine die sed hoc anno 48. Polancus *ex commissione* Leonardo Kessel, de aegritudine et obitu Jacobi Lhoost; de hujus fratre; matri quid sit scriptum; de quodam Christophoro, et de Henrico, quomodo discessit, et ne in suam Societatem eum admittant quin prius Ignatium moneant, 28 Augusti 48.

2 Non tamen Leodiensis erat sed ex Luxemburgo, ut ad nos scripsit Oliverius Manaraeus. (*Nota in margine apposita.*)

3 Polancus *ex commissione* Paulo Antonio de Achillis, quae ipsi praestanda sunt, priusquam Parisiis Romam se conferat, et ne reformidet Romam venire, non enim cum barbaris erit ei vita agenda, 12 Aprilis; idem de Talpino, et de Rosello, magistri Petri

260. Latius in Hispania res Societatis patebant, et tamen aedificium spirituale, et etiam temporale, satis altum contradictionum fundamentum jaciebant, et his praecipue in locis, ubi copiosior postea fructus est consequutus, ut Salmanticae et Compluti. Initio hujus anni 1548, scilicet nona Februarii, Pater Michaël de Torres, sacrae Theologiae doctor, expensis Cardinalis de Coria, domini Francisci de Mendoza, cum socio ipsi adjuncto a Francisco de Villanova, Salmanticam se contulit. Anno proxime praeterito, cum aliquandiu Doctorem Antonium de Araoz comitaretur in quibusdam missionibus, ejus exemplo et verbis mirum in modum profecit; et cum Caesaraugustanae ecclesiae canonicatus ei offerretur, sicut et Compluti oblatus cum cathedra Theologiae fuerat, pro nihilo duxit. Huic cum Toleto transiret, inde Salmanticam concessurus, adhaesit juvenis quidam toletanus, Baptista nomine, cujus animum cum divina Bonitas tetigisset, fere tria millia ducatorum pauperibus distribuerat; hic delectatus colloquiis, et spiritu Patris Torres valde affectus, sic ei adhaesit, ut nullo modo eum relinquere voluerit. Praeter Philosophiae cursum, aliquandiu Theologiae studuerat, et cum Societatis vota emisisset, simul cum Doctore Torrensi, Salmanticam venit. His tribus Fr. Sevillanus, adjunctus est, quem hoc ipso anno magister Maximilianus Capella, qui ex Portugallia venerat, est consequutus. Cum tribus ergo sociis P. Torres eam civitatem ingressus est, in qua prius satis cognitus, et in pretio habitus fuerat. Sic tamen Satanas Societatis ingressum in eam Universitatem impedire adnixus est, ut non exiguo patientiae atque constantiae dono fuerit opus. Erat in celeberrimo Sancti Stephani Collegio, ordinis praedicatorum religiosus quidam vir, et tam in

---

Peroti, olim Ignatii benefactoris, amico, eadem die; idem Talpino, de obedientia et ut quamprimum Romam veniat, 14 Aprilis; idem Paulo Antonio de Achillis, de quadam *indulgentia* a Summo Pontifice concedenda; de constitutionibus ut ipsi suas, quibus regantur, conficiant et Romam approbandas mittant; de Joanne Baptista Viola caeteris praeponendo, et de quodam Sforzadano *(¿Forcadamo?)* aut Parisiis admittendo retinendoque aut Romam mittendo, 30 Maii; idem eidem ut in Urbem cum Joanne Sforzadano veniat, Collegiis enim in Italia multiplicatis, et personarum numerus augendus est, mense Julio; idem Talpino, ut bene apud se cogitet et coram Deo an malit obedire an a Societate recedere, eodem mense; idem de eodem Joanni Baptistae Violae et Paulo Antonio de Achillis; item, si vel unus judicet Violam non aptum esse qui aliis praesit, ut inter omnes unus eligatur, et qui electo parere renuat, e Societate dimittatur, etsi solus tandem electus in ea relinquatur, eodem mense Julio 48.

doctrina, praelegendo in cathedra (*primae horae* vocant), et scribendo etiam erudite, quam in concionando celebris. Hic sibi persuaserat extremum jam tempus instare, et Antichristum natum esse ; et quoniam, quibusdam ex causis humanis, erga Patrem Ignatium, quem Romae noverat, non bene affectus erat, coepit ejus animo sedere, et quidem valde firmiter, quod tam Ignatius, quam ejus socii Antichristi praecursores essent, et signa Antichristi et ministrorum ejus, nostris omnino quadrare volebat. Unde tam in colloquiis privatis, quam etiam in concionibus quadragesimae, tela hujusmodi in Societatem et ejus institutum ac personas sic vibrare coepit, ut de nostris ipsum agere fere omnes auditores intelligerent ; et pro sua auctoritate sic populum commovit, ut nostros per viam transeuntes digito ostenderent, et se ad cavendum eorum fraudes hortarentur, cum ut ministros et fautores Antichristi eos timerent. Viri tamen graves, ex quibus non paucos Doctor Torres adibat, hujusmodi concionatoris nec zelum, nec prudentiam probabant. Ipsum etiam concionatorem, antequam in nostros inveheretur, officiose salutaverat. Nihilominus ille et per se et per alium quemdam ordinis sui concionatorem, cui persuaserat forte suam sententiam, nostros, qui nondum pedem Salmanticae fixerant, exagitare voluit. Cumque denuo Doctor Torres cum ipso coram ageret, et ut laesam Societatis a Sede Apostolica approbatae famam restitueret ab eo amanter peteret, nihilo ipso aequiorem nostris effecit, quin potius alia atque alia objicere coepit, et populum esse praemonendum ut se decipi ne sinat affirmabat, nec aliud sibi displicere aiebat magis quam quod Doctor Torres inter nostros esset, de quo bene se sentire dicebat. Quemdam etiam egregium concionatorem sui ordinis, qui Fr. Joannes Segoviensis dicebatur, rogavit, ut Societatem una secum oppugnaret; cui cum multa in hanc sententiam dixisset, ille, ut vir erat prudens, uno verbo subridens respondit, nequaquam se decere ut prius id institutum condemnet quam Ecclesia illud condemnaverit. Id tamen obtinuit exagitator ille, ut nostri magistratui et senatui civitatis sic suspecti essent, ut, cum suam operam Doctor Torres ad mendicos, et faecem, ut sic loquar, urbis, doctrina christiana instituendam et Sacramentis juvandam offerret, responderint se velle prius videre Litteras Apostolicas et Societatis approbationem, ut eas cum theologis

communicarent. Nullo tamen modo nostri animum desponderunt; immo cum nondum se usque ad sanguinem restitisse, nec usque ad vincula (ut P. Ignatius) animadverterent, ad majora ferenda parati erant. Cum autem perseveraret Doctor Torres partim in iis ministeriis Societatis obeundis, quae poterat, et scholarum Praefecto, et Rectori Universitatis, inter caeteros viros graves, instituti nostri rationem dedisset; et rumores adversariorum concidere, et multorum benevolentia conciliari coepit; et in confessionibus aliquorum foris, domi autem in functionibus humilitatis et charitatis, dum suis fratribus etiam in culina inservit, aedificationem et bonum odorem paulatim diffudit. Exercitia etiam spiritualia quibusdam scholasticis proposita et familiaria colloquia aliquos etiam ad Societatis institutum moverunt. Et inter alia pietatis opera, illud hoc anno per Doctorem Torrensem effecit Deus, ut cum sacerdos quidam sic ad desperationem per afflictiones internas moveretur, ut in magno esset periculo constitutus, saltem a sana mente excidendi, sic eum Dominus consolatus est, ut ad se omnino redierit, et de suis reditibus ad Dei honorem omnino disponere ac demum Deo inservire serio decerneret [1].

---

1 Ignatius Doctori Torres, praecipit ut sibi de rebus Salmantinis aut ab ipso Doctore Torres aut ab alio diligenter pleneque singulis saltem mensibus scribatur, 6 Junii; idem eidem, de eis quae Salmanticae contra Societatem dici fierique scripserat Cardinalis Cauriensis, deque iis quae ipse Cardinalis Collegio struendo destinabat, 19 Augusti; Polancus, *ex commissione,* Doctori Araoz, de iisdem et de procurando Principis favore ad turbas Salmanticae compescendas, et ut amare inciperet magistrum Joannem de Avila ejusque ope uti ad eos urgendos, qui Societatis Collegium pro civitate Astensi (Jerez de la Frontera) postulabant, eisdem die et mense; idem eidem, ut Doctorem Torres ad scribendum de rebus Salmantinis compellat, 17 Julii; Ignatius Patri Strada de iisdem Salmantinis rebus, 14 et 15 Augusti; idem Patri Araoz, ut Doctori Torres scribat non ad se solum sed etiam ad Cardinalem Cauriensem de iis, quae Salmanticae aguntur, fuse frequenterque scribi oportere; item, ut dicat an velit professionem emittere et ejus in Societatem ingressum manifestum fieri, 15 Augusti; Polancus, *ex commissione*, Doctori Torres, de iisdem et Ignatium nolle adhuc quidquam Romae agere adversus Salmantinos contradictores, eadem die; idem Simoni Rodericio, necessarium esse Patrem Strada Salmanticae et post paucos menses etiam Hispali, quare omni ope curandum ut Stradae absentiam Rex Portugalliae non aegre ferat, eadem die; idem de eodem et eadem die Patri Araoz, ut Duci Gandiae scribat futurum forte ut Strada post tres menses Salmanticae exactos Hispalim valeat proficisci; idem Doctori Torres et Patri Strada mittit patentes litteras ut facultatibus, quae hominibus Societatis a Sede Apostolica concessae sunt, libere uti possint, eadem die; idem *ex commissione,* Doctori Torres de Fr. Melchiore Cano; item de duobus religiosis, qui saeculares se esse simulantes, domum nostram ingredi permissi fuerant, et postea' veritate comperta, et habitum suae religionis, quem curavit Ignatius conficiendum,

261. Compluti etiam nostri, non sine probatione patientiae hoc anno vixerunt; nam in primis, omnes fere variis morbis sic conflictati sunt, ut vix esset qui aegrotantibus posset inservire; eleemosynae, quae ad sustentationem scholasticorum conferebantur, paulatim deficiebant, ita ut contra hiemis injuriam vestibus armari non potuerint. Insuper initio hujus anni Doctor Ortizius, qui paterno affectu nostros Compluti studentes et amabat, et eis necessaria subministrabat, a Domino ad meliorem vitam translatus est; unde aliqui, qui ab initio non bene de nostro instituto sentiebant, quo bene divinasse viderentur, brevi extinctam iri Societatem jactabant. Insuper Archiepiscopus Toletanus, qui se parum aequum nostris praebebat, venturum Complutum, et examinaturum tam vitam, quam caerimonias nostrorum et institutum, minabatur. Aliquid enim mali latere (ut in rebus novis suspicari non illicitum creditur) verebatur. At Franciscus de Villanova non solum hujusmodi minis et rebus adversis non est prostratus, sed potius in majorem spem felicis successus erigebatur, et adventum Archiepiscopi, ad res nostras cribrandas, expetebat. Serpebat rumor latius, adeo ut Universitatis Rector ab eo peteret, an Societas confirmata esset, et an Litteris Apostolicis de hujusmodi confirmatione constaret; multos enim suspicionibus plenos et de rebus nostris dubitantes se animadvertere; unde, ut res compertior omnibus fieret, Litteras praedictas sibi velle commonstrari. Causa autem cur Rector Universitatis hanc instituti nostri rationem exigeret, ipsemet Franciscus de Villanova, hac ratione, fuit. Cum videret sinistras multorum opiniones de

---

indui et ad suos reverti, alius ad coenobium Minerva appellatum, alius alio, compulsi sunt; item plura ad sociorum regimen et facultatum prudentem usum pertinentia, eadem die; Ignatius Doctori Torres, ut videat an confici possit publicum quoddam instrumentum a publico notario gravibusque quibusdam testibus signatum, quo quid Canus adversus Societatem proferat contineatur; hoc enim instrumento fiet ut Canus Romam ad suorum dictorum fundamenta coram judicibus exponenda avocetur, 14 et 15 Augusti; Ignatius dominae Eleonorae Mascarenhas commendat Doctorem Torres, eodem mense Augusto; Ignatius Doctori Torres, Cardinalem Cauriensem voluisse monitorium, ut vocant, Salmanticam mitti ut se Fr. M. Canus Romae sistat, at Ignatii precibus motum in aliud tempus, siquidem necessarium illud foret, distulisse; et post alia de hac re plura, ei serio injungit ut, quoad hae difficultates durabunt, singulis hebdomadibus Romam de eis tum ipsi Ignatio, tum etiam Cauriensi Cardinali scribat, 4 Septembris; Ignatius Patri Araoz, eleemosynas, a Principissa Joanna oblatas, duobus Salmanticae studentibus applicandas et tandem in perpetuum Salmantino Collegio assignandas, mense Novembri; Doctor Torres Patri Araoz, 19 Julii 48.

Societate non eo procedere ut veritatem inquirere et sibi satisfieri vellent, sed id tantum agere ut institutum et res nostras damnarent; ratus hunc daemonis laqueum esse, qui animos perturbare, veritatem celando, nitebatur, amicum quemdam occultum inter Universitatis doctores adivit, suggessitque fore operae pretium, si Rectori de rebus iis, quae circumferebantur, et de animi perturbatione, quae in multis cernebatur, admoneret, et quasi a se ipso suggereret, ut pro sui officii ratione rem inquireret et examinaret, et, si quid mali subesset, remedium adhiberet. His Rector commotus Franciscum de Villanova, ut diximus, evocavit; qui cum abunde, reddita omnium ratione, Rectori satisfecisset, petiit ab eo ut Congregationem facultatis theologiae cogeret, et causas omnes hujus rumoris, ac totius perturbationis inquireret, et per capita ea adnotaret, in quibus sibi satisfieri vellent; gratissimum sibi fore si summo cum rigore veritas exquireretur et, si Rectori placeret, ut hoc examen illis, qui se contrarios maxime exhibebant, committeretur. Placuit hoc ultimum Rectori, et tribus doctoribus, qui publice, prae caeteris, Societatis aemulos se exhibebant, rem commisit. Adivit eos Villanova, et omnibus eorum dubiis, tam de spiritualibus Exercitiis (de quibus multa falsa animo conceperant) quam de reliquis ad institutum et nostrum procedendi modum pertinentibus, cum satisfecisset; partim de suis opinionibus confusi, partim de his quae ad Dei gloriam intelligebant satisfacti, sic ad benevolentiam conversi fuerunt, ut unus eorum, qui acrius nostra oppugnaverat, affirmaret se publice in Societatis commendationem concionaturum, et quidem statim, si non timuisset ne recantare videretur, sed tandem post aliquot dies id facturum. Alius autem sperare se Societatem ingressurum aiebat. Reliqui autem de ea Universitate, partim aemulos obmutuisse admirabantur, partim eis, a quibus Societati contradicebatur, insultabant, partim publice deceptos se fuisse testabantur. Haec scribit ipse Villanova Duci Gandiae, qui pro sua charitate de nostris ubique erat sollicitus. Conquiescentibus autem his fluctibus, fuit quidam ex doctoribus, scilicet Hieronymus [1] de Vergara, qui fir-

---

1 Sic, sed mendum videtur pro *Alphonso*. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. II, pa nam 167 et sequentes.

mum aliquod fundamentum nostros Compluti habere expetens, de domo ipsis coëmenda et de reditibus ecclesiasticis auctoritate apostolica applicandis, non solum cogitare, sed et serio agere coepit, et ad expediendas Apostolicas Litteras ad hoc ipsum Romam pecuniam misit. Sed haec Villanova principia tantum esse, et, si conferrentur cum iis, quae ipse animo versabat et meditabatur, debilia satis esse affirmabat [1].

262. Erant id temporis sacerdotes nonnulli a venerabili viro, et verbi Dei egregio concionatore, magistro Avila, in Baetica ad pietatem excitati et in his, quae ad orationem et animarum studium pertinebant, satis instructi. Cum autem de congregatione instituenda, quae hoc genus hominum contineret, cogitasset ille quidem, sed difficultatem in exsecutione magnam invenisset, atque interim nostrae Societatis homines in Hispania ad eumdem scopum tendere animadvertisset; sibi persuadens quod divina Bonitas per P. Ignatium id jam egerat, quod ipse animo agitabat, de institutione novae congregationis non sibi amplius cogitandum censuit; sed suos discipulos ad Societatem mittere constituit; et ita complures diversis temporibus ad eam accesserunt, egregiis sane Dei donis ornati. Eorum unus fuit quidam magister Gaspar Lopez, qui in oppido de Jerez, Hispalensis dioecesis, aliquot egregiae indolis juvenes instituebat, et Collegium, in quo philosophia et theologia praelegebatur, ibidem fundare coeperat. Is, relictis omnibus, ad Societatem se conferebat; sed civitas, cum congregationem suorum fecisset, et graviter ejus discessum, in medio cursu theologicarum lectionum, ferret, nuncium ad eum consequendum misit, et Patrem magistrum Avilam, ut Gasparem sibi, saltem ad tempus, restitueret rogavit; suamque operam ad res illius Collegii ad honorem Dei promovendas large pollicita est; peracto autem curriculo theologico, tum demum ipsum ad Societatem venire posse. Visum est ergo ad Dei gloriam fore, si civitati hoc donaretur, et multis profusis lacrymis, eo Magi-

---

1 Dominus Joannes Ortiz Ignatio, de obitu sui fratris, Doctoris Petri Ortiz, Compluti, 10 Februarii; Ignatius Patri Araoz, de suffragio a nostris, qui in Universitatibus litteris dant operam, pro gradibus caeterisque dignitatibus et officiis non ferendo, mense Septembri; idem eidem de beneficiis, quorum unionem Complutensi Collegio expetebat Doctor Alfonsus de Vergara, eodem mense; Ignatius Episcopo Frias et Archiepiscopo Toletano se commendans et offerens, mense Novembri 48.

ster Gaspar rediit, non solus postea, sed cum non paucis suis discipulis, ut ipse cogitabat, Societatis operarios aucturus. Interim tamen in Societatem admitti suppliciter petiit, et aliquem eo mitti ex nostris, qui sui et aliorum curam gereret [1].

263. Agebatur jam tunc de Collegio Hispali inchoando, et praeter subsidium, quod Dux ipse Gandiae et Marchionissa de Pliego obtulerant, quidam vir nobilis, qui Gomez Hurtado dicebatur, et pietatis operibus omnino intentus erat, et super triginta millia ducatorum, singulis annis, in pauperum subsidium distribuebat (per ejus enim manus alii benignitatem hanc exercebant), ut nostrorum aliquis numerus sustentari potuisset, suam operam offerebat. Et quidem Dux Medinae Sidoniae, imo et ipse Archiepiscopus Hispalensis, id pergratum se habituros profitebantur; sed, quia concionatore aliquo ad inchoandum Collegium opus erat, res omnino differri debuit. Duo ex his discipulis magistri Avilae Complutum proficisci optabant, unde Franciscus Villanova veniendi potestatem eis fecit. Nostrorum Complutensium occupatio in studiis quidem addiscendis erat; sed et aliis pietatis operibus vacabant, et in scholasticis per Exercitia spiritualia exercendis, non poenitendum fructum referebant. Unus horum cum Granatam, quae patria ipsi erat, ad quoddam negotium conficiendum, bona cum venia Francisci de Villanova, se contulisset, partim familiaribus colloquiis de rebus ad spiritualem profectum pertinentibus, partim in Societatis instituto multis bonae indolis juvenibus declarando, sanctum in ea civitate rumorem de Societate sic sparsit, ut aliqui etiam viri docti ad ingressum in eam animum adjicerent [2].

264. Cum P. Simon in Portugallia nostrorum, qui Salmanticam venerant, laborem intellexisset, Patrem Franciscum Strada (quem alioqui a Rege Dux Gandiae per litteras postulaverat), quamvis perutilem operam ibi navaret, in Castellae regnum transmisit; sed cum Salmantica Vallisoletum se contulisset, postea rediturus, et id temporis in Principis Philippi curia

---

1 Vide annotata ad n. 260; Polancus, *ex commissione,* Patri Araoz de iis quae de Collegio in civitate Astensi erigendo scripserant Christophorus de Mendoza et Gaspar Lopez, 8 Decembris; Christophorus de Mendoza Ignatio, 1, 2 et 19 Junii; Gaspar Lopez Ignatio, 2 Junii et 25 Novembris 48.

2 Ignatius Duci Gandiae, mittit transumpta litterarum Granata, Hispali et urbe Astensi Romam missarum, in quibus de Collegiis ibidem erigendis agebatur, 15 Augusti 48.

versaretur Nuncius Apostolicus Poggius, ab eo Salmanticam redire non est permissus. Coepit autem Vallisoleti tum aliis pietatis operibus, tum praecipue concionibus habendis vacare; vix autem ecclesia inveniebatur, quae frequentissimum auditorium eorum, qui avidissime Patrem eum audiebant, capere posset; et praeter fructum illum valde uberem, quem populus capiebat, complures ad Societatis institutum ibidem aspirare coeperunt; et congregatio civitatis ecclesiam quamdam Sancti Antonii, cum domo adjuncta, e regione hospitalis, quod charitatis vocatur, dedit; ut autem ibi commodius nostri habitare possent, Nuncius Apostolicus (cujus in nostros eximia charitas semper enituit), suis expensis aedificare coepit. Alii autem viri nobiles, tum ad supellectilia domus, tum ad aliquos collegiales alendos, sumptus offerebant. Prius ex Consilio regio edictum Vallisoletum fuerat transmissum, quo Societati facultas dabatur, ut aliquod ex-hospitale [1] ejus urbis, quod ad Collegium constituendum opportunius videretur, possent eligere; sed electio ecclesiae Sancti Antonii commodior est existimata. Admonitus P. Ignatius quod suae valetudinis curam P. Araoz non haberet, qui praeter alios labores plurimos, in oratione pernoctare aliquando solebat, ut P. Torres Romam scripserat, convenienti reprehensione ipsum ad labores temperandos hortatus est, et ejus valetudinis curam socio ipsius injunxit; quam diffidentiam rescripsit P. Araoz cessisse sibi in augmentum spei et charitatis, non solum in Deum, sed etiam in eum quem sibi Vicarium in terris intra ipsam Societatem elegisset. Mirum est non solum quanta patientia, sed potius quanta actione gratiarum, reprehensiones hic Pater accepit; nec solum ipsum P. Ignatium, sed alium [2], cujus opera in gubernando Ignatius utebatur, officiose rogabat ut se de omnibus, etsi leves viderentur, defectibus admoneret, ac reprehenderet. Nostri autem sacerdotes, qui Vallisoleti sub P. Mendez versabantur, tam occupati erant in confessionum ministerio, ut nullo modo omnibus satisfacere possent; Patrem autem Strada non solum Nuncius, sed et Infans Maria, quae jam Imperatrix est, inde recedere, prout constituerat, Salmanticam non permiserunt [3].

---

1 Scil., domus, quae prius infirmis et peregrinis hospitio excipiendis inservierat.

2 Videtur fuisse Polancus.

3 Ignatius Araoz, ut circa corporis valetudinem se a Doctore Torres regi sinat,

265. Episcopus Mindoniensis magni faciebat baccalaureum Joannem de Valderrabano, et eum in coadjutorem sui episcopatus destinaverat; sed cum ille, coadjutorio et rebus omnibus valedicens, Societati se addixisset, et ut superius scriptum est, nostris Complutensibus, ut eorum culinae inserviret, se adjunxisset, serio Episcopus egit cum P. Araoz, Hispaniae Provinciali, ut aliquem ad se de Societate mitteret, cujus opera ad gregis sui auxilium uteretur. Offerebat etiam Vallisoleti (quae patria ipsi fuit) optimam domum, quam in usum clericorum, qui spiritualem vitam agerent, emerat; sed et bibliothecam egregiam theologicae facultatis nostris dare constituerat. Fuit autem illi assignatus, post probationem consuetam, idem Joannes de Valderrabano, cujus ministerio, ut scripsit Episcopus ipse, magnus proventus animarum in civitate Mindoniensi consequutus est. Et quia sacerdos nondum erat, petiit idem Episcopus a Provinciali, ut ad eum promovendum sibi facultatem daret, et ipsemet ejus promotor esse cupiebat, ut talem filium in Ecclesia Dei perutilem haberet; quod illi etiam concessum est.

266. Erat id temporis Barcinone P. Antonius Araoz, qui anno proxime praeterito, gravem morbum passus, et Dei gratia et Nuncii Apostolici sollicitudine (qui noctu ad catapotia ipsi danda surgebat, et dum sanguis esset emittendus, ac dum medici aderant, praesens esse volebat; nec solum de rebus necessariis providebat, sed infirmarii officium faciebat), vires utcumque recuperaverat, et Barcinonam confirmandae valetudinis gratia se receperat. Ibi cum nostris, qui ibidem habita-

---

quod si Torres absit, ab alio ex Sociis, itemque circa concionandi frequentiam, 5 Martii; Ignatius Episcopo Palentino, se cum Araozio egisse de iis quae in gratiam Vallisoletanae urbis petierat Episcopus, mense Augusto; idem Francisco Strada, ut libere ipse decernat exsequaturque quod magis Deo placiturum videatur, sc. concionari aut Burgis, aut Vallisoleti aut alibi in Hispania; quod si dubitet, Patrem Araoz aut Torres adeat; in Portugalliam autem ne cito revertatur, nisi forte Regis praeceptum intercedat, eodem mense Augusto; Polancus, *ex commissione,* Patri Araoz, de Strada theologiae scholasticae studiis per aliquod tempus applicando, 15 Augusti; idem eidem, ut in iis quae ad victum, vestitum, corporis afflictationes, piasque exercitationes spectat, moderatorem habeat, dum Barcinone fuerit, Queralt; dum Gandiae, Saboya, eadem die; Ignatius eidem Araoz, Antonium de Strada, fratrem Patris Francisci de Strada non esse aptum nec dignum ut in Societatem admittatur, mense Novembri; idem eidem et Doctori Torres, Jacobum Mironem, Franciscum de Strada, Andream de Oviedo et ipsum Doctorem Torres ad quatuor votorum professionem admittens, 8 Decembris Franciscus de Strada Cardinali Mendoza, 5 Aprilis 48.

bant, aliquandiu versatus, in concionibus et confessionibus audiendis, et utilibus colloquiis de rebus ad spiritualem fructum pertinentibus, perutiliter in ea Domini vinea laborabat; et plurimis, sed viris primariis civitatis praesertim, pergratus erat, qui magno animi affectu Societatem nostram amplectebantur. Sed causa, cur diutius ibidem haereret, praecipua fuit, quod Hispaniarum Princeps Philippus monasteriorum reformandorum in Principatu Catalauniae peculiarem ei curam commiserat; jam enim Patris Ignatii opera, Litteras Apostolicas in forma Brevis, quales optabat, Princeps acceperat. Et quamvis aliis hujusmodi negotii exsecutio commitebatur, ut recte omnia transigerentur, Araoz, ut dixi, curam acceperat, et inde commissorum sibi Collegiorum curam etiam administrabat. Inquisitor haereticae pravitatis, Societati conjunctissimus, res suas consilii gratia cum ipso conferebat. Nec in monasteriis, sed in aliis etiam operibus pietatis, magnos progressus ibi fecit Societas. Et mirum in modum ejus concionibus auditores ad pietatem commovebantur. Tres juvenes optimae indolis Societati ibi se adjunxerunt. Et in concordiis ineundis magni momenti utilem etiam operam impendit Araoz [1].

267. Obtinuerant nostri Valentiae domum satis commodam et amplam, cum horto spatioso; aliam etiam conjunctam, ut templum, ubi concionarentur, priori adjunxerunt. Nostri autem fratres, qui ibi studiis dabant operam, magna cum aedificatione in publica academia versabantur; et in gradibus suscipiendis eorum doctrinam cum modestia conjunctam et admira-

1 Polancus, *ex commissione*, Araoz, de reformatione monasteriorum Catalauniae, ut curet a Principe et ab aliis primariis viris commendatitias litteras ad P. Ignatium habere, quo is majori in negotiando polleat auctoritate, mense Aprili; idem eidem, ut dum Barcinone fuerit, inspiciat an Michaëlis Navarro sodales et Raphaëlis Riera fratres vere a Domino ad Societatem vocentur; quod si ita res se habuerit, eos ut Romam cant hortetur; item ut videat an alii sint, qui munere coadjutorum temporalium fungi possint, nam magna est eorum penuria tum Patavii, tum in Sicilia, hoc anno 48; idem eidem de tribus modis quibus perfici possit reformatio monasteriorum Catalauniae, mense Augusto; Ignatius eidem et Patri Queralt, de eadem reformatione, ut ipse per se praesens videat quid magis expediat, mense Novembri; Polancus, *ex commissione*, Patribus Queralt et Araoz, de Ecclesia Collegii Barcinonensis, de requisitis ut ejus juridica possessio adiri possit, de nomine quo designari eam oporteat, an *Dominae Nostrae de Bethleem*, an alio, 8 Decembris; idem eadem die Patri Araoz de admittendo fratre Gou in Societatem et de reformatione monasteriorum; Antonius Gou Ignatio, 1 Martii et 6 Novembris; Joannes Queralt Patri Polanco, 12 Januarii, 8 Junii, 23 Novembris 48.

bantur magistri, et plurimum commendabant. Nominatim de fratre nostro Petro Canali, natione gallo, cum in baccalaureatum examinaretur, dixit unus ex cathedraticis Theologiae, in quatuor supra viginti annorum spatio, quo illis in scholis versatus esset, nunquam baccalaureum, qui tam bene respondisset, vidisse. Fuit autem in causa haec nostrorum in litteris diligentia, ut Valentina civitas, quae Universitatis curam habet, privilegium Societati nostrae concederet, ut tam Philosophiae quam Theologiae gradus omnes, sine ullo sumptu in posterum nostri possent accipere. Pater autem Jacobus Miron, praeter gubernandi onus, Magistrum etiam sententiarum praelegendum, et quidem bis quotidie, suscepit, tum ut ipse in theologicis studiis majores faceret progressus, tum etiam ut alios de suo labore juvaret. Aliis praeterea pietatis operibus multis dabat operam; et efficiebat charitas et ordo, ut tempus et vires ad omnia suppeterent. Quamvis autem contradictionibus anno praeterito, propter rumores quosdam falsos, agitarentur; cum rumores illi, prout solent, concidissent, summa pace deinde fruebantur; et potius, ut Miron scribit, jam vana gloria, quam persecutiones, esset vitanda. Aliquos in Societatem etiam hoc anno admiserunt. Archiepiscopus nostris se admodum benevolum et familiarem exhibebat. Ut autem bonus odor in vulgus late spargeretur, inter caetera illud juvit non parum, quod quidam pius et copiosus homo magnam pecuniae summam pauperibus distribuendam P. Mironi dedit; qui, quoniam aliter timeri poterat ne pium hoc opus omitteretur, laborem illum dispensandi suscepit, et magna cura adhibita, per parochias urbis, pauperes inquisivit, eos praesertim, qui publice mendicare, cum tamen magna penuria premerentur, erubescebant. Quia tamen honestas ob causas, per alios eleemosynae hujusmodi, quam per nostros dispensandae visae sunt, non diu hoc munere fungi oportuit. Conciliata etiam fuit, non solum nobilium, sed et religiosorum atque doctorum hominum amicitia, et eorum, qui primas in Universitate tenebant. Diebus autem sabbati et dominicis multorum confessiones audiebant; dotem orphanis virginibus quibusdam curaverunt; et demum, in aliis piorum operum generibus, aedificationi urbis se impendebant. Sed cum inter praecipuos fructus, frequens confessionis et communionis usus esset, daemon, cui ea displicebant,

in dubitationem quosdam adduxit; quo factum est ut frequentiam illam unus concionator commendaret, alius quidam improbaret; unde magnus rumor in populo propter hanc controversiam fuit excitatus. Quod cum Archiepiscopus animadverteret, in quadragesima hujus anni theologos fere omnes urbis convocavit, ut quaestionem hanc eis auditis constitueret; ac postmodum per urbem promulgari fecit, quod die dominica in octava Paschae, ipse in cathedrali Ecclesia concionaturus esset, et quid in ea controversia tenendum esset, explicaturus. Cum autem eo die alibi concionem ullam haberi prohibuisset, duas ipse horas est concionatus, et ut erat vir non solum pietate, sed etiam doctrina et dono verbi insignis, officio suo egregie perfunctus est, ac demum frequentem usum communionis laudavit, et generalem omnibus facultatem, ut singulis dominicis diebus communicarent largitus est; et si qui vellent quotidie communicare, ne se inconsulto id facerent; ipsorum enim desideriis consideratis, se facultatem, cum ad Dei gloriam et ipsorum utilitatem foret, non negaturum. Genuit autem tam concio, quae sana et optima doctrina plena fuit, quam haec ipsa facultas magnam in eis consolationem, qui ad frequenter confitendum et communicandum erant propensi, et quae ad magnam Dei laudem cessura videretur. Inter multos pax a nostris est conciliata, Exercitia etiam spiritualia quibusdam proposita, nec inutile illud erat, quod scholastici nostri dominicis diebus cum positiones ordine suo domi nostrae defenderent, externi eis interesse soliti erant, et harum communicatio, ad ea quae spiritualia sunt tractanda, eos disponebat [1].

268. Gandiae Collegium bene interim, in his praesertim quae ad spiritum pertinent, proficiebat. Pater Andreas de Oviedo, postquam mane populo concionatus esset, a prandio catechismum docebat, et quotidie eadem hora, singulari cum

---

1 Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, ut libere, quae coram domino judicaret expedire, Valentiae et Gandiae statueret, et de dotibus eorum, qui in Coadjutores temporales assumi et in Societatem admitti postulant, 17 Julii; idem eidem, ut Rectores Collegiorum, quae reditus habent, si quem velint ad ipsos Roma vel aliunde mitti, prius de necessariis ad iter perficiendum provideant. Est enim, ait, quodam quasi terrore praeter morem perculsus P. N. M. Ignatius, tot videns aegrotare, imo et mortem obire propter nimiam, quam in itineribus et etiam in domibus passi sunt rerum omnium inopiam (Obierant his diebus Romae Bartholomaeus Ferron et Martinus de Sancta-Cruce; Jacobus Lhoost Bononiae et alius Jacobus Tybure), 8 Decembris 48.

fructu et aedificatione populi, id est prosequutus. Sic tamen se pueris attemperabat, simpliciter eos docendo, ut etiam aliis, qui aderant et provectiores erant, spiritualem cibum exhiberet, et veniendi ad puerorum institutionem verecundiam adimeret. Cum tamen etiam rerum minimarum cognitio multis aetate grandioribus esset necessaria, libentius in hoc munere catechismi docendi, quam concionandi, ut humiliori atque utiliori, Pater Andreas versabatur; licet nec conciones omittebat, quas interdum in quodam monasterio habere non paucum ad populum solebat. Christiana doctrina audita, occasionem aliqui generales confessiones apud ipsum instituendi acceperunt; et huic christianae doctrinae expositioni, cum domina Joanna, Ducis cognata, cum suis nepotibus, Ducis Gandiae filiis, et alii viri graves adessent, libentius etiam populus frequentiorque aderat. Inter alios, qui tunc Gandiae versabantur, erat dominus Joannes Gonzalez, Aragoniae Conservator, qui cum anno praecedenti comitiis Monzoni adesset, et ibi Ducem Gandiae cognovisset, qui quasi omnium virtutum speculum, curiae Principis Philippi atque omnibus, qui ei aderant, admirationi fuit, magnum concepit desiderium ejus exemplo et convictu fruendi; et ita Gandiam se contulit, ubi et ipse in spiritu plurimum profecit, et quoddam collegiolum, quod Caesaraugustae ipse ad filiarum domicilium constituerat, et postea auctoritate apostolica honestas ob causas dissolverat, nostris, qui tunc domum non habebant, dare decrevit. Receperunt se igitur eo nostri, ibique sacrificiorum, ac sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae mininisterio vacarunt; sed jam inde ab eo tempore, hoc collegiolum satis molestum Societati fuit, ut postea videbitur. Ut ad Patrem Andream redeam; is neophytis etiam aliquando concionabatur; et spiritualia Exercitia quibusdam sacerdotibus cum fructu proposuit; aegrotantium etiam in xenodochio gravibus necessitatibus subvenit. Obierat anno praecedente Gandiae, et quidem eo ipso die quo P. Petrus Faber, quamvis anno sequenti, P. Ambrosius, qui ut Fabri discipulus, eidem in vita spirituali praeceptori multum commendari voluit, eumdemque invisere percupivit; et octo dies antequam ab hac vita discederet, de morte sua certior factus fuit, ut ipsemet testatus est, et elevatis manibus, orans Dominum ne se diutius in hoc exilio retineret, acceptis omnibus Sacramentis, et magno suae virtutis

exemplo relicto, migravit ad Dominum ipso die Vinculorum Sancti Petri [1].

269. Venerat Gandiam Carthaginensis Episcopus, ut Gandiae Ducem inviseret; et cum generalem confessionem vellet instituere, suasit ei Dux, ut ad eam per Exercitia spiritualia se disponeret; quod cum Episcopo placuisset, Murciam se conferens, quae praecipua in ejus episcopatu civitas est, Patrem Andream accersivit, qui Episcopum in visitandis quibusdam locis suae dioecesis, non poenitendo cum fructu, est comitatus. Murciam autem pervenientes, tam ipsi Episcopo, quam Canonico, qui cathedralis Ecclesiae concionator erat, Exercitia spiritualia proposuit; et postquam varia, ad casus conscientiae pertinentia, tractata inter eos fuerunt, quae tam ad privatum ipsorum, quam ad commune bonum Ecclesiae Carthaginensis spectabant, se diligenter exercuerunt; et generali confessione facta, plurimum in spiritu profecerunt. Episcopus aedificationi praecipue fuit, qui quotidie sacrificium Missae celebrans, totus erat in modis exquirendis, quibus maxime Deo placeret, et gregem suum juvaret; et aliquos de Societate sibi adesse, quo-

---

1 Ignatius Patri Araoz, incerto die sed hoc anno 48, de retinendo aut dimittendo Patre Rojas juxta ipsius Araoz et Ducis Gandiae consilium; idem eidem, mense Julii, de Caesaraugustano Collegio; et de Onnatensi; Polancus, *ex commissione*, Herculi Bucerio Caesaraugustam, de communi bono prae privato curando et de obedientia suo superiori, Araoz sc., praestanda, hoc anno ante mensem Julium; Ignatius domino Joanni Ludovico Gonzalez de Villasimplez, filio Conservatoris Aragoniae, in Imperatoris curia, de rebus ad Collegium Caesaraugustanum pertinentibus, standum in iis sententiae Ducis Gandiae, qui de erigendo Collegio primus cum Conservatore egit, cuique plura de hoc negotio publica instrumenta missa fuere, 4 Augusti; idem Patri Strada, plura de Nuncio Apostolico, Joanne Poggio et de rebus Salmantinis; Ignatius Duci Gandiae, de domina Aldonza de Villasimplez, filia Conservatoris Aragoniae, fundatoris Collegii Caesaraugustani, mense Septembri; Martinus de Sancta-Cruce Patri Francisco de Rojas, Caesaraugustam, de quadam dispensatione et de agendi ratione cum domina Aldonza, mense Novembri; Ignatius Patri Araoz, ut Andream de Oviedo in virtute obedientiae jubeat onus Rectoris in Collegio Gandiensi subire, eodem mense; Polancus, *ex commissione*, eidem Araoz, ut mentem accuratius intelligere curet Ducis Gandiae circa flandrum lectorem quem pro Gandiensi Collegio expetere Dux dicebatur, eodem mense; Ignatius Duci Gandiae, quae de neophytis Gandiensibus Romae apud Summum Poenitentiarium et Inquisitionis procuratorem actum fuit, 8 Decembris; eidem Polancus, *ex commissione*, de cantu vesperarum in templo, eadem die; idem *ex commissione*, Patri Araoz, de iis quae a Sociis praestanda sunt erga Aragoniae Conservatorem, Caesaraugustani Collegii fundatorem, recens mortuum, et de tribus flandris nuper Romae Societatem ingressis, 27 Maii; idem Andreae de Oviedo, de Constitutionibus Universitatis Gandiensis, 8 Decembris; domina Aldonza Gonzalez de Villasimplez Ignatio, 10 Septembris 48.

rum opera juvaretur, percupiebat. Et cum ea de re ad Ducem Gandiae scriberet, de Collegio ibidem instituendo agi coeptum est. Alias etiam confessiones ibidem audivit Andreas ac deinde Gandiam rediit [1].

270. Acceperunt hoc anno Gandiae spiritualia Exercitia, prout in sermonem latinum conversa, et a Sede Apostolica, adjunctis Litteris Apostolicis, confirmata, Romae typis impressa fuerant, et tanta cum consolatione ac animi devotione ea Gandiae susceperunt, ut omnes nostri a primo ad ultimum, singula Exercitia singulis diebus, loco orationis matutinae meditari voluerint; quam ipsorum devotionem et Dux et ejus amita, domina Francisca, sequuti sunt. Aliqui etiam hoc anno Gandiae Societatem ingredi constituerunt, et nonnulli sunt admissi. Diebus dominicis discurrebat in quadragesima P. Andreas per neophytorum pagos Gandiae vicinos, et in uno mane, in altero post meridiem concionabatur [2].

271. Perfectum jam erat Collegii Gandiensis aedificium, sed aliquando nostri exspectarunt, donec magis assiccaretur; demum hoc ipso anno in vigilia Ascensionis Domini, in Collegii novi habitationem commigrarunt, et ipso Ascensionis die, in novo templo Missae sacrificium tono consueto celebrarunt pro fundatore, juxta constitutiones nostras; atque eodem die Sanctissimum Sacramentum in eodem templo, Sancto Sebastiano dedicato, collocaverunt, et post prandium (quod Dux cum suis filiis et multis aliis honestavit in novo refectorio) proposi-

---

1 Ignatius Duci Gandiae, de iis quae Carthaginensis Episcopus exposcebat in suae dioecesis auxilium, 20 Septembris 48.

2 Ignatius Duci Gandiae, mittit sex volumina *Exercitiorum* nuper typis editorum et ne ea nisi a prudentibus transcribi permittantur monet, 20 Septembris; Polancus Andreae de Oviedo, consultum Ignatium de titulo, qui libro Exercitiorum esset apponendus, noluisse quidquam decernere, sed id omne Polanco et Frusio permisisse, mense Septembri. — Nos hanc primam Exercitiorum editionem non vidimus, nec per tempus licet exemplaria quaerere aut eorum accuratam descriptionem emendicare; quare unum, quod elucidare volebamus, in medium hic proferemus, sc., non convenire quae Polancus narrat cum hujus editionis descriptione, quam videre est in *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus*, 1872, vol. II, col. 824. Suspicamur autem huic primae Romanae adamussim respondisse Conimbricensem editionem secundam anni 1553, quae ad calcem haec habet: *Conimbricae, ex commissione Reverendi Patris M. Ignatii, Praepositi generalis Societatis Jesu.* Quod si ita est, haud recte anonyma dicitur haec prima Exercitiorum editio. Vide *Dictionnaire des Anonymes et Pseudonymes, publiés par des religieux de la Compagnie de Jésus, depuis sa fondation jusqu'à nos jours*, par Carlos Sommervogel, S. J. Strasbourgeois, Paris, 1884, col. 300.

tiones theologiae habitae sunt, magistro Francisco Onfroy eas defendente, ac Patre Jacobo Mirone, qui Valentia venerat, praesidente; Philosophicas autem positiones magister Joannes [1] Canalis, qui P. Mironem fuerat comitatus, loco magistri Emmanuelis de Sa, qui in morbum inciderat, sustinuit; et omnia feliciter, simul cum vespertino officio, sunt transacta. Nostri, qui novum Collegium inhabitare eo die coeperunt, tredecim erant; neophyti autem agarenorum filii decem in remota quadam Collegii parte sunt collocati; reditus tunc quidem fere quingentorum ducatorum erant plus minusve, sequenti vero anno fere octingenti, et brevi post tempore ad mille habiturum sperabatur, et fere 25 collegiales, praeter neophytos, poterant sustentari. Cum autem jam Universitas erecta esset, et confirmata Sedis Apostolicae auctoritate, et quidem cum his privilegiis, quae aliis Universitatibus concessa sunt, Rector Collegii nostri, Universitatis etiam futurus Rector erat; unde, ut haec prima fuit Universitas, quam Societas habuit, ita primus ejus Rector P. Andreas de Oviedo fuit, sub quo quidam alius ex nostris, et instituendi et regendi neophytos curam habebat. Hoc autem anno pleniora studia omnium facultatum coepta fuerunt, quamvis etiam praecedenti in logicis nostri se exercuerint, et festis diebus ethicorum lectiones habuerint, et singulis diebus dominicis a prandio positiones, ac disputationes, et in theologicis non nihil praelectum etiam fuerit. Optavit autem Dux, ut filius ipsius, dominus Alvarus de Borgia (qui tamen postea animum ad statum ecclesiasticum non applicuit, et marchio de Alcagnises nunc est) inter nostros in Collegio Gandiensi studiis operam daret. Idem etiam Ferdinandus de Vega pro duobus filiis, ut scilicet inter nostros Complutenses, studii gratia, admitterentur, obnixe petebat; quamvis autem P. Ignatius, ut optime meritis de Societate viris satisfieret, id concessit, in posterum aliis ostium hoc occludi voluit. Cum autem devotus quidam religiosus, frater Joannes de Texeda, ordinis Minorum, qui Duci valde familiaris erat, et Gandiae versabatur, ageret de habitatione in Collegio cum nostris habenda, id omnino Patri Ignatio non esse admittendum visum est, cum praesertim spiritum bonum, ut creditur, sed a nostro instituto alienum ha-

1 Videtur mendose positum pro *Petrus*.

bere visus esset. Quoniam autem aliqui, qui in Societatem admitti volebant, propter rerum temporalium angustias, tunc quidem in aliis Hispaniae Collegiis admitti non facile poterant, obtulit Gandiae Dux suam operam, non solum illis de quibus agebatur, qui numerum quatuor vel quinque non excedebant, sed ad quadraginta quinque, si totidem Gandiam se conferrent [1].

272. Accidit autem ut propensio tam Patris Andreae de Oviedo, quam P. Francisci Onfroy, tam valida esset ad rerum spiritualium internam exercitationem, ut moderatio adhibenda omnino esse Patri Ignatio videretur. Scribit ipse P. Andreas, se praeter id tempus, quod officio divino recitando insumebat, tres alias horas certas quotidie orationi impendere; et juxta negotiorum occurrentium varietatem, plures etiam quam tres alias huic exercitationi dabat; et quod ad corporis castigationem attinet, ter singulis diebus se flagellis caedebat propter proximorum necessitates particulares et universales; lacrymarum autem tanta affluebat copia ut, cum oculis nocerent, non exiguo studio essent ab eo retinendae. Quoad detractiones, et si quid, quod persecutionem saperet, accidebat, sic erat animo dispositus, ut potius humilitate, ne propter illas sibi placeret, quam patientia, ne perturbaretur, opus haberet. In consolandis autem proximorum animis et in concionibus manum Domini misericordem admodum experiebatur. Sed interim eo progrediebatur spiritus (qui jam potius, quam a Deo, proprius esse vel forte a tentatore impulsus videretur) ut jam cum proximis occupari non libenter vellet, nisi quatenus obedientia, vel Dei inspiratio, vel saltem recta ratio obligaret; reliquum autem tempus contemplationi et orationi dare cupiebat. Pater etiam

---

1 Polancus, *ex commissione*, Araoz de tribus eximiis lectoribus pro Collegio Gandiensi quaerendis ex Hispania et Portugallia, 5 Martii; idem eidem, de non permittendo ut qui de Societate non sunt cum iis qui de Societate jam sunt cohabitent, 13 Martii; idem eidem, de providendis formandisque lectoribus pro Collegio Gandiensi, 28 Aprilis (sunt hae ultimae litterae imperfectae et sine die in tom. II, pag. 94, operis *Cartas de San Ignacio*); idem Andreae de Oviedo ut de iis, quae ad Collegium pertinent, adeat Araozium, eadem die; idem Didaco Miron Valentiam, ut ex scholasticis, qui artium cursum optime expleverunt, unum seligat obediendo paratiorem et communis utilitatis plus quam privatae amatorem, qui eumdem cursum Gandiae legat, eadem die; idem Araoz, tres ex Germania socios venisse Romam, quorum unus, qui aptior videatur, Gandiam, ut lector sit, mittetur, 27 Maii 48. Vide insuper quaedam sub num. 268 annotata.

Franciscus Onfroy, ut Dux ipse Romam scripsit, a media nocte incipiendo, septem continuas horas orationi dabat. Eo demum res devenit, ut ad desertum ire uterque, magno spiritus impulsu, aspiraret; unde P. Andreas utriusque nomine ad Patrem Ignatium scribendo, facultatem ad id, multis rationibus allatis, petiit; at P. Ignatius, qui discernendis spiritibus singulari Dei dono praeditus erat, hunc, ut ab instituto nostro alienum, quodque non solum studiorum profectum, sed etiam proximorum auxilium impediret, omnino improbavit; imo et Patrem Andream Romam venire jussit, nisi aliud Duci Gandiae videretur. Scribit autem Dux ipse, sibi a P. Andrea hoc desiderium communicatum esse, atque eidem respondisse, quamvis non esset hujusmodi desiderium quod executioni mandandum foret, quod nihilominus multum debebat Pater Andreas Deo, qui manenti in Societate, praemia solitudinis conferebat, et sine laboribus eremi, merita illius consequi dabat. Affirmat autem Dux, toto eo tempore quo responsum P. Ignatii exspectabat, magna animi resignatione Andream fuisse, imo et responso accepto, quo id quod petebat negabatur, magna ipsum consolatione fuisse affectum; unde infert quod, si Satan aliquid lucri in eo desiderio solitudinis sperabat, potius detrimentum fecit, cum simul et meritum eremi et sacrificium obedientiae inde reportaverit; et idem de Patre Francisco Onfroy scribit; unde profectionem Patris Andreae hanc ob causam in Urbem non esse necessariam [1].

273. Scripsit etiam Dux ad Summum Pontificem (antequam Patris Ignatii litteras acciperet, quae hoc ipsum petebant) supplicavitque ut Societati facultates eas, quas *mare magnum* religiosi vocant, concederet; quamvis enim multum auctoritatis et gratiae Ignatius apud Pontificem haberet, quia tamen

---

1 Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, de Patre Andrea de Oviedo, qui facultatem bis aut etiam ter in die Missam celebrandi petierat, 5 Martii 48; eidem Ignatius de eodem, *si Romae esset Andreas, alio forte remedio ejus nimia devotio sanaretur*, scilicet, *facultate etiam semel in die celebrandi negata*, eadem die; idem Araoz, de moderandis flagellationis usu et piae meditationis tempore tum in se tum in Sociis Collegii Gandiensis, qui plerumque octo horas unoquoque die meditationi tribuebant; Polancus *ex commissione*, eidem, de Patribus Oviedo et Onfroy, qui facultatem petierant ad septem annos in eremum secedendi, quantum hoc ab Ignatii mente et Societatis instituto procul sit, 13 Martii; Ignatius Andreae de Oviedo, eum laudans quod Duci Gandiae pareat, eique gratulans de electo in Rectorem Magistro Saboya, 15 Augusti 48.

Ducem, ac ipsius domum Borgia, magno in pretio haberi a Summo Pontifice sciebat, eidemque multum affici, libenter ejus litteris, et gratia, atque auctoritate ad Societatis negotia promovenda utebatur. Tunc autem agi coeptum est de illis facultatibus, quae anno sequenti fuerunt expeditae [1].

274. Jam inde ab anno praecedenti, tacito nomine, facultas fuerat a Summo Pontifice impetrata (ut saepius dictum est) ut si professionem emitteret Dux Gandiae, nihilominus per triennium a Majo mense hujus anni computandum, administrationem ducatus et bonorum omnium retineret, ut et filias collocare, et filiis prospicere, et tam Collegii quam aliorum piorum operum coeptam fundationem ad perfectionem adducere posset. Cum autem hujusmodi facultatem Dux accepisset, evocavit statim Patrem Antonium Araoz, Provincialem; sed cum ille ad festum Purificationis Beatae Virginis, aegritudine vel negotiis impeditus esset, ipso die Purificationis, secreto quidem, sed solemnem professionem Dux emisit, et cum sui animi magna consolatione, pium hoc officium transegit. Nec mirum est quod tam cito profitendi facultatem P. Ignatius Duci (quem posthac P. Franciscum de Borgia nominavit) concesserit. Ei namque statim post Imperatricis mortem (cujus ad sepulturam deferendae munus ab Imperatore Carolo V fuerat ei injunctum) oculos divina Bonitas aperuit, adeo ut mundi hujus vanitatem ac fallaciam cognoscens, Deo inservire serio constituerit; et cum post sepulturam Imperatricis, quae mense Majo anni 1538 accidit, in lectica ex urbe Granata rediret, magna divini Numinis gratia illustratus, de vitae mutatione, quamvis superstitem haberet uxorem, serio cogitare coepit; et tam orationi ac lectioni (erat enim ab adolescentia ad eruditionem propensus) et etiam corporis castigationi vacare magno cum animo aggressus est; adeo ut, dum esset Catalauniae Pro-rex , praeter ciliciorum usum et arctissimorum jejuniorum (inter epulas, quas aliis exhibere cogebatur) et flagellationem assiduam carnis, multas horas etiam continuas mentali orationi impendebat. Et sic in lectione Doctorum sacrorum, et in meditatione rerum ad perfectionem vitae christianae pertinentium profecerat, ut cum Gandiae anno proxime elapso versaretur, et scriptis libellis

---

1 Ignatius Duci Gandiae, de *Mare magno*, 20 Septembris 48.

quibusdam, et etiam concionando (quod in monasterio monialium Sanctae Clarae, ostiis clausis, praestitit) egregium in hac parte talentum accepisse a Domino cerneretur; et cum ad imitationem nostrorum collegialium, inter paucos quosdam ex domesticis, qui profectui spirituali vacabant, aliquem concionari statuisset, cui sors obveniret, ipsimet bis concionandum fuit, et de sui cognitione posteriorem concionem tanta cum eruditione, ordine, et spiritu habuit, ut valde admirarentur qui audiebant, nec ab aliquo, quam a Deo illam esse, cum non tam libros quam orationem redoleret, existimabant, et aureis litteris describendam esse affirmabant. Jam id temporis, uxore mortua, et exercitiis peractis, ac simplicibus votis emissis Deo se consecraverat, et in dies progressus magnos in omni virtute spirituali faciebat. Et sicut de P. Andrea diximus, sic et ipse Franciscus Borgia, tum in orationis tempore, tum in abstinentia, et corporis castigatione per cilicia et flagella, sancto quodam fervore, ultra mensuram aliquantum progredi videbatur [1].

275. Sed de iis Ignatius ab eo consultus respondit (exstat exemplum litterarum, quibus respondebat Ignatius consultationi) Deo omnino adscribenda, quae eatenus gessisset; verum, cum alia spiritualia et corporalia exercitia uni tempori, alii diversa conveniant, satius sibi videri si mediam partem ejus temporis, quod orationi dabat (erat autem valde prolixum), adimeret, et ad studia litterarum transferret, ut non tantum infusa a Domino, sed adquisita etiam doctrina, Deo inservire et de proximis bene mereri niteretur; majoremque virtutem esse aiebat et gratiam posse Deo frui, eique ubivis inservire in variis officiis, quam in uno tantum, etiamsi illud sit oratio. Quod ad jejunia et abstinentias attinet, cum jam per Dei gratiam, liberam a gravioribus tentationibus carnem, et spiritui satis subjectam haberet, non esse ipsi tantopere abstinendum ut stomachus (jam coeperat) debilis ad concoctionem redderetur; quin potius naturales vires esse roborandas cibis convenientibus; seque optare plurimum ut hoc sibi persuaderet, quoniam anima et corpus Dei sunt, curandum esse bonam de utroque

---

1 Polancus, *ex commissione*, Hieronymo Natali, de professione Ducis Gandiae, 4 Aprilis (videtur mendose positum pro *Maii*) 48; ipsius Ducis Gandiae arcanis atque arbitrariis signis (vulgo *cifras*) notata solemnis professionis formula.

rationem Deo reddere; nec sinere corpus, et ejus vigorem marcescere, ne et ipsi animae ad ejus functiones parum utile reddatur; aliquando quidem commendandam fuisse nimiam illam abstinentiam a communibus cibis, sed in posterum, quod corpus illud roboraret sine Dei et proximorum offensa, ei esse tribuendum.

276. De corpore castigando per flagella, cum consuevisset quotidie usque ad aliquam sanguinis effusionem, ad honorem Passionis Christi se caedere, censuit P. Ignatius, ab ejusmodi flagellis, quae ad sanguinem usque procederent, illi esse abstinendum, et loco sanguinis dona Dei spiritualia, velut aliquam lacrymarum effusionem, sive propter peccata propria, aut aliena, sive propter mysteria Christi in hac vita vel in aeterna, sive in divinarum Personarum consideratione ac dilectione, esse curanda; hujusmodi enim spirituales actiones fidei, spei, et charitatis, longe exercitationi corporeae esse praeferendas, cum corporea exercitatio eatenus sit commendanda, quatenus ad spiritualium donorum profectum confert. Quamvis autem in his, quae dicta sunt, Francisci de Borgia profectus admirationi esset, singularis tamen ejus humilitas, charitas, et reliquae solidae virtutes, quo rariores esse solent, non in principibus viris tantum, sed etiam in religiosis, eo magis in ipso admirandae videbantur. Prudentia item tam in rebus gerendis, quam in spiritualibus consiliis, in eo non parum splendebat; et denique quod Theologicae doctrinae, cum professionem emitteret, defecit, sequentibus annis assiduo studio Theologiae scholasticae compensavit. Nactus erat trigesimum septimum fere aetatis suae annum, cum solemnem hanc emisit professionem, quam tamen, per tres annos, donec Romam [1] rediit, prudenter dissimulavit; quo tempore non solum filias quam optime collocavit, sed et primogenito filio suo Marchioni de Lombay, conjugem quaesivit Comitis Olivae filiam; quae cum Patri in Comitatu succederet, satis amplis reditibus Ducatum Gandiae auxit; adeo ut inter primarias magnatum Hispaniae domos illa sit censenda non solum quod ad nobilitatem attinet,

---

1 *Romam* habet mss.; sed fortassis melius diceretur *Roma*. Nam tunc *primum* Romae Borgia fuit, cum, sub finem Octobris anno 1550 eam ingressus est. Sensus itaque verborum Polanci hic esset: professionem Ducis ignotam in Hispania fuisse, donec Roma, sub initium anni 1551, rediit.

sed etiam quod ad reditus. Franciscus vero de Borgia omnibus Aegypti divitiis et honoribus improperium Christi praetulit, nec solum quid magnum se reliquisse non censebat, sed pro nihilo illas divitias ducens, de accepto paupertatis Dei beneficio nunquam satis gratias se Deo reddere posse existimabat [1].

277. Caesaraugustae pauculi ex nostris erant, et cum eorum conatibus Archiepiscopus minime faveret, multique detractionibus et calumniis falsis eos exercerent, fundamenta consequuturi aedificii spiritualis jam tunc jacere incipiebant; aliquem tamen fructum in patientia, et Sacramentorum ministerio, et spiritualibus colloquiis referebant [2].

278. Et hic quidem in Hispania Societatis status erat; in Portugallia vero continuos progressus per Dei gratiam Societas faciebat. Tribus in locis residebat Societas hoc anno; quamvis unus non esset omnino stabilis, curia scilicet Regis, ubi Pater Simon, Provincialis, ut officio suo, magistri scilicet Principis, fungeretur, residebat, nec sine magno spirituali fructu ipsius Principis, qui octavo quoque die eidem Patri confitebatur; et cum prius longe aliter dispositus videretur, ejus ad pietatem propensio omnibus erat admirationi. Magnam etiam Simon apud Regem auctoritatem habuit, et apud alios primarios regni viros, qua ad subventionem multorum et ad pietatis opera promovenda utebatur; et hic fructus bonum Patrem consolabatur, qui officium infimi coqui in Societate, omnibus dignitatibus et opulentiis praeferebat. Habebat autem secum aliquos sacerdotes, quibus in audiendis confessionibus et proximis omni studio juvandis uteretur. Cum autem tunc de missione Patriarchae et aliorum in Aethiopiam ageretur, ma-

---

1 Polancus, *ex commissione*, Andreae de Oviedo, ut curet ne Gandiae Dux sibi suaeque valetudini nimiis corporis afflictationibus noceat, 12 Martii; Ignatius Duci Gandiae de moderatione adhibenda in spiritualibus operationibus et corporis afflictationibus, eadem die et 20 Septembris 48.

2 Polancus, *ex commissione*, Herculi Bucerio Caesaraugustam, ut de rebus Collegii frequentius ad P. Ignatium scribat, qui de bene gestis gavisus est, 28 Aprilis; idem Araoz, pro Caesaraugustano Conservatore facta suffragia et facienda ab omnibus sociis tanquam pro fundatore; quod Conservatoris filius noluerit patris voluntatem exsequi, ne eum Araoz urgeat, sed consilio stet Ducis Gandiae, 27 Maii; Polancus, nomine Patris Didaci de Eguia, Patri Rojas, ut Romam quam primum Caesaraugusta se conferat et, erratorum suorum si vere ipsum poenituerit, ne desperet; placabilem enim esse et misericordem Ignatium, 15 Augusti; idem de eodem Rojas, Patri Araoz, eadem die, anno 48.

gno desiderio, ejus spiritus ad hanc missionem accendebatur; et ita ex intimo affectu Patri Ignatio scripsit, ut nullam se consolationem sentire affirmaret in suis laboribus, nisi cum de adimplendis desideriis in Indiam transeundi cogitabat, et ita Patrem Ignatium ut hac occasione ex Regis Portugalliae cura ipsum eriperet, cum aliter desperaret se liberum ab ea fore, urgebat. Quod si non succederet de quo agebatur, ad Brasiliam, quae id temporis recens detecta a lusitanis fuerat, et a viris anthropophagis habitabatur, aspirabat. Aliud tamen divinae Providentiae placuit, cujus ope in Portugallia tam prospere Pater Simon res Societatis et communis boni promovebat [1].

279. Ulyssiponae apud Sancti Antonii multi sacerdotes nostri, et alii etiam ex fratribus, residebant. P. Georgius diebus festis mane conciones, a prandio vero catechismum frequenti auditorio, et magna ejusdem consolatione prosequebatur. Coeperat quidem ibidem concionari P. Strada, postquam in curia Regis cum multis auditorum lacrymis concionatus esset. Is, postquam multis hominum millibus verbum Dei proposuisset, recipiebat se in domum nostram, illis se adjungens, qui castigationi corporis et sacramentis Confessionis et Communionis crebro sumendis vacabant. Haec autem congregatio vel confraternitas, quia fructus ex ea non mediocris capiebatur, in suscepto proposito piae per flagella castigationis ac sacramentorum frequentationis, privatis concionibus conservabatur. Concionandi autem apud ipsos munere fungebatur Pater Joannes, cui cognomentum fuit de Sancto Michaël, qui egregium paulatim talentum in publicis etiam concionibus ostendit. Confratrum numerus bis centum superabat, quorum aliqui non infimae notae homines erant; fervor autem spiritus et lacrymae, dum castigationi corporis dabant operam, admiranda omnino erant. Quidam vel curiositate, vel forte ob derisum eo accesserunt ut spectatores, sed vehementer compuncti percutientes pectora sua redibant, et, auditis poenitentium gemitibus et fletibus, suarum culparum et ipsi vulnera sentiebant. Alii etiam ex nostris ministerio Confessionis et Communionis assiduo ibidem distinebantur, et in omnibus piis operibus, sed

---

1 Ignatius cuidam Societatis sacerdoti (¿P. L. de Grana?) in Curia Regis Portugalliae, de missione Aethiopica, de Brasiliensi, de mittendo in Lusitaniam Patre Jaio aut Patre Domenech, 17 Januarii 49.

praecipue in catechismo singulis sextis Feriis declarando, perutiliter in ea civitate exercebantur. Non pauci etiam ad religiosum institutum, eorum opera, qui Ulyssiponae versabantur, aspirantes, in nostram Societatem et alias religiosas familias sunt admissi [1].

280. At Conimbricae nonaginta ex nostris et amplius (praeter aliquos qui eis inserviebant), id temporis habitabant, ex quibus plurimi et virtute, et ingenio, et aliis praeclaris Dei donis, nobilitate etiam non pauci, praediti erant; et Regis benignitas ad plures quam centum alendos necessaria subministrabat; etiam Collegii aedificium Regis ejusdem expensis surgebat, et quidem ducentorum collegialium capax futurum. Invisebat eos aliquando Pater Simon, et spiritualibus documentis et auxiliis ad optima quaeque promovebat, et ut parati essent non solum ad operam et industriam, sed etiam ad sanguinem et vitam pro Christi gloria ponendam; et qui non hujusmodi in se animi praeparationem experiretur, ut ex Collegio recederet admonebat. Rectorem ipsis initio hujus anni constituerat et quidem hac usus arte: unum aliquem se velle mortificare dixit; vocavit autem Patrem Ludovicum de Grana eique ut esset Collegii Rector injunxit; et Patrem Ludovicum Gonzalez, qui Rector anno proxime elapso fuerat, coqui officio ornavit; et cum quidam peteret a P. Simone uter illorum mortificatus censeretur, superflua interrogatio fuit existimata, cum humilitatis officia ad consolationem et quietem maximam, praelationis vero ad laborem et mortificationem pertinere constaret. Faciebant autem scholastici serio suum officium, tam in his quae ad litteras, quam in his quae ad spiritualem profectum pertinebant. Et qui externis juvandis dabant operam, non segniter etiam suo officio sunt perfuncti. Concionatus ibidem est hac quadragesima P. Franciscus Strada in scholis Universitatis, a quo plurimi ad pietatem excitati fuerunt, et aliqui scholastici in litteris et Dei donis clari in Societatem sunt admissi. Recto-

---

1 Martinus de Sancta-Cruce, *ex commissione*, Simoni Rodericio, quo a Rege veniam impetrare valeat ut Stradae liceat a Portugallia longius abesse, litterarum trassumpta Hispali et Jerez ad Ignatium datarum mittit, 20 Augusti 48. — Vide annot. ad num. 260, supra pag. 299, et ad num. 262, pag. 303. — Franciscus Strada Ignatio, Portus, 10 Februarii; idem eidem, Conimbricae, 20 Februarii 48; Regulae, quae Conimbricae servantur; quadrimestres Lusitaniae, hoc anno 48.

ris mutatio non solum utilis fuit, quod valde idoneus et gratus Rector, et in rebus spiritualibus versatus, praefectus est, sed quia P. Ludovicus Gonzalez eo liberatus onere, ad missiones, quas cum fructu peregit, liber dimitti potuit. Erant ea in existimatione nostri scholastici in Conimbricensi academia, ut praeclarissima ejus ingenia, apud nostros cuncta esse crederentur, adeo ut non defuit qui diceret, et quidem ex publicis praelectoribus, defuturos esse in posterum viros doctos in ea Universitate, quoniam optima quaeque ingenia Societatem ingrederentur. Triginta jam tunc erant theologi, praeter philosophos et humaniorum litterarum studiosos; et positiones dominicis diebus, doctore aliquo praesidente,. in Collegio utiliter defendebantur; et interim aliis ac aliis ad sacerdotium promotis, operariorum numerus in vinea Domini augebatur [1].

281. Inter eos, qui ad missiones varias destinati sunt, bonam partem India accepit; horum unus fuit P. Gaspar Franciscus, Flander [2], qui cum utiliter in quadam missione versaretur, missus est ad eum P. Ludovicus Gonzalez, ut hanc profectionem ei significaret, et ejus loco ibidem maneret. Fuit autem mira populi commotio cum intelligeret P. Gasparem in Indiam esse destinatum; alii negotia pietatis quaedam ei tractanda offerebant, quae si non expedivisset, in damnum animarum, quibus juvandis missus erat, esse cessurum affirmabant; sed ille brevissimo tempore omnia componens, cum magno ipsorum sensu sese expedivit. Qui autem illi oppido judex erat praefectus, omnino Gasparem in Indiam sequi constituit, si ab uxore et filiis id posset impetrare. Secundus ex his qui in Indiam mittebantur, fuit P. Antonius Gomez; tertius Pater Paulus Davale [3], et alii, qui omnes numero septem fuerunt, eorum vero quatuor sacerdotes [4].

282. Missus etiam fuit P. Georgius ad eumdem locum, ubi Gaspar fuerat concionatus, provinciam quamdam, sub magistro ordinis Sancti Joannis, quae doctrina magnopere indigebat; et ille per quaedam oppida, Pater autem Ludovicus Gonzalez per alia discurrendo, partim concionibus, partim con-

---

1 Vide annot. sub numero praecedenti.

2 Vide notam 1 sub num. 151, pag. 193.

3 Rectius *de Valle*, ut videre est apud FRANCO, aliosque lusitanos scriptores.

4 Quadrimestres Lusitanicae et historicae litterae hujus anni 48.

fessionibus audiendis, partim aliis pietatis functionibus dabant operam. In ea provincia inter alia oppida, unum erat Pedograum majus [1] nomine, ubi inimicitiae et simultates magnae fervebant, et oppidani, alioqui viri fortes, sex annos cum suo domino contendebant, nec eum in oppidum ingredi permittebant; et credi vix potest, quem fructum divina Bonitas per hos Patres inde retulerit. Cum autem in magna paupertate, mendicato viventes et exiguis eleemosynis contenti, non minus exemplo quam verbo populos aedificare niterentur, quocumque se convertebant, non solum cum devotione magna excipiebantur, sed a vicinis etiam oppidis, cum ad eadem accersebantur; et quocumque accedebant, magistratus, edicto promulgato, omnes ut ad audiendam praedicationem apostolorum accederent (sic enim nostros in eo regno vocant), undecumque, etiam ex remotioribus locis aut villis, congregabant. Nec illi multum operae in concionibus limandis collocabant; sed cum ex corde verbum Dei proponerent, vix ipsi loqui, cum auditores flere incipiebant; et lacrymarum effusionem vitae mutatio sequebatur, et peccata multa, in quibus vixerant, per poenitentiam diluebant; infamis habebatur ille, qui hujusmodi concionibus non adesset, adeo ut aliqui dicerent (cum obloqui vellent): hic vel ille non accedit ad praedicationem apostolorum; alii turcas esse censendos eos, qui tales conciones non audiebant. In oppido illo, ad quod missi fuerant, cum concionem unus ex nostris absolvisset, toto populo praesente, viginti homines, qui magnis inter se odiis certaverant et quidem diu, veniam a se invicem petierunt, et id tam multis cum lacrymis et amplexibus charitatis, ut facile divini verbi ἐνεργείαν, et quod interius operatum fuerat, exterius manifestarent. Ex mutatione autem dexterae Excelsi, quae in illo oppido facta est, alia finitima oppida, quatuor, quinque, et decem leucas distantia, excitata sunt, ut hos Patres tanto studio per litteras accerserent, ex parte Dei propter suas graves necessitates id petendo, ut omnibus satisfacere omnino oportuerit; nec litteris explicari posset, quae divina Bonitas in illis populis est operata. Inter

---

1 *Pedograum majus* clare habet mss., sed error certe est pro *Pedrogão Grande*, quod oppidum est intra terminos civitatis *Thomar*. Vide CAETANO DE LIMA, *Geografia historica*, tomo II, *em que se trata de Portugal*, pág. 669.

alios unus erat sacerdos, triginta et octo annos habens in infirmitate sua, cum nullus esset, qui ad piscinam Domini eum deduceret; cum enim sacerdos esset, publice triginta annos in concubinatu sic vixerat, ut cum uxore vivere videretur; in prima autem concione Patris Georgii mulier sic compuncta est, ut in ipso templo publice vocem elevans, fletibus et gemitibus cum magna aliorum aedificatione templum impleret; haec confessa est cum magna peccatorum suorum contritione ac devotione. Sequenti autem die cum sacerdos concioni adesset, sic verbum Dei cor ejus pupugit ac penetravit, ut, quod nullius opera tot annis effecerat, omnino a vitae turpitudine ad vitam sacerdote dignam agendam se transferre constitueret. Alia etiam foemina, quae septem vel octo annos cum alio sacerdote inhoneste vixerat, magno animi fervore castam vitam agere decrevit, et quibusdam aliis documentis in confessione, quam fecit, instructa, tantopere in bono opere confirmata est, ut cum sacerdotem illum, cum quo Deum offenderat, in via publica invenisset, ei diceret: Ecce animam meam propter te hactenus perdidi, sed non amplius eam perdere constitui; proinde tu confiteri peccata tua illi Patri (hic autem erat P. Gaspar, antequam in Indiam discederet), et convertere ad Deum. Et his verbis tantum efficaciae Deus tribuit, ut sacerdos statim ad Dominum conversus, de animae salute sollicitus fuerit. Sine numero quodammodo fuerunt concordiae inter homines illos initae; nam fere omnes in illis oppidis alii ab aliis dissidebant et odio se mutuo prosequebantur. Et praecipua illa pax, propter quam missi fuerant, inter supradictum oppidum et ipsius dominum, etiam confecta est. Recedente autem inde P. Georgio, mansit in oppido Pedograo P. Gaspar, cujus opera, vel potius Dei per ipsum, admiranda prorsus ibi fuerunt; sed ut unum, quod prae caeteris enituit, dicatur, senex ibi erat quidam, qui, ut populi publica vox ferebat, licet sacerdos esset, nunquam peccata sua bene confessus fuerat; sed cum eum inviseret Gaspar, sic ejus cor Dominus immutavit, ut generalem totius vitae confessionem, cum magna ipsius et populi aedificatione atque consolatione institueret. Simul atque in oppidum aliquod accedebant, licet jam nox esset, statim ad praedicationem invitabantur, nullo studio praecedente; coram toto etiam populo, ad modum catechismi, de rebus ad salutem necessariis agebant;

et multi non solum ad pietatem, sed etiam ad institutum religionis, et aliqui ad Societatem a Domino movebantur, et omnes Societatis agendi rationem admiratione magna prosequebantur. Cum autem P. Ludovicus Gonzalez Patri Gaspari successisset, quod illis in locis notior erat primariis viris, multum eis populis aedificationis attulit; concionabatur autem in uno oppido secunda feria, tertia in alio, et sic in aliis usque ad dominicam; quo die sub vesperum ad illud primum oppidum se conferebat, ubi secunda feria concionatus erat. Georgius etiam ad alia oppida, scilicet Thomar, Sanchos, Abrantes, ad eadem munera obeunda se contulit. Id temporis Franciscus Strada in civitate Portuensi ante quadragesimam otiosus non erat; tantoque fervore cives eum audiebant, ut ante diem jam templum replere inciperent, et in crebro usu Sanctissimi Sacramenti, orationis et poenitentiae exercitatione, tam concitato cursu ferebantur, ut fraeno prorsus indigerent. Sed cum Conimbricam ad concionandum venturus esset, magno doloris sensu propter absentiam, eam urbem reliquit; quem quidam ex primoribus civibus, in litteris bene institutus, comitatus est et in Societatem admissus. Nec illud omittam, quod cum duo ex nostris, magno zelo augendorum operariorum, quosdam sacerdotes saeculares essent allocuti, non paucos ad religionem ea ratione Dominus vocavit; quamvis non esse imitandum hujusmodi zelum, Societatis nostrae superiores merito existimarunt.

283. Quaedam etiam Dei judicia, non sine admiratione, observata sunt, circa eos, qui Patrum horum doctrinam non admittebant; ex quibus duo, vel tria subdentur. Conferebat Pater Georgius cum homine quodam de rebus ad Deum pertinentibus, et juxta eos quidam transiit, qui inimicitiam cum homine illo gerebat, unde eos non salutavit. Cum autem die sequenti, prout constituerat, Georgius concionaretur, accidit, ut inter caetera, eos reprehenderet, qui propter causas non magni momenti, colloquium aliis subtraherent, quo imitari daemonia viderentur; ille ergo qui, ipso insalutato, praecedenti die transierat, concione absoluta, Georgium conviciis coepit insectari; rogat eum Georgius quam ob causam ea diceret; subjungit ille magna cum ira, quod propter ea quae concionatus fuerat, quae contra se dicta intellexerat; genibus tunc flexis

Georgius veniam petiit, si quid offendisset; sed ille nihil de suo furore remittens et obloquens recessit; antequam vero domum perveniret, cum interesset cuidam rixae, brachium illi in aliquot partes fuit comminutum.

284. Cum alio in loco, sacerdos quidam, nescio quo spiritu finxisset et ita publice dixisset quemdam ex nostris in quodam eremitorio, non parum ab oppido distanti, concionari, populus, a magistratibus edicto promulgato, ad eum audiendum properavit; quem cum non invenissent, longe enim distabat aliis in locis, delusa multitudo ad oppidum rediit; sed qui auctor fuerat hujus deceptionis, subito in pleuritidem incidit et tam grave mortis periculum, ut suae levitatis dolorem non mediocrem poenitens senserit.

285. Cum autem P. Emmanuel de Nobrega, qui quibusdam in locis, Societatis ministeria magno cum fructu exercebat, templum quoddam ingressus, in eo cantus et symphonias virorum ac mulierum, valde illi loco indecentes, audisset, de ea dissolutione homines commonefecit; at illi, parum ei credentes, in suis pergebant deliciis; unus autem eorum, qui prae caeteris significare voluit quam parum hujusmodi reprehensione moveretur, coepit verba quaedam blasphemiae in Deum proferre, et id fecit quia Emmanueli se displicere ea impietate judicabat. At Emmanuel genua ante eum flectens rogare Deum ut a viro illo iram suam averteret. Non est tamen exauditus: cum enim infelix ille blasphemus ab illo consortio discedens, simul cum aliis alio pergeret, fulmen e coelo eum et equum, quo insidebat, repente medios diffidit, cum nullum alium de societate, quae eum circumstabat, fulmen contingeret; quod cum magni terroris causa oppidanis fuisset, longe alia attentione ac voluntate quam prius, Patrem illum concionantem audiebant.

286. Non omittenda est sollicitudo audiendi verbi Dei, quae in quibusdam oppidis, ubi nostri concionati sunt, cernebatur. Noctu enim, postquam in domum ex agris homines rediissent, concio erat habenda; et oppidani pyras in editioribus collibus incendebant, ut ex vicinis villis et montibus ad concionem audiendam homines convenirent; qui, relictis occupationibus quibuscumque, magna alacritate et celeritate ad verbum Dei audiendum concurrebant. In multis autem hujusmodi oppidis ea

consuetudo relicta est, ut singulis mensibus magna hominum pars confiteatur; sed et illud addam, quod populi cujusdam gubernator animadvertens quemdam ex his Patribus, dum his et illis ad eorum spiritualia negotia tractanda vacabat, non cibi sumendi, et vix Officii divini recitandi tempus sibi relinquere, edicto publico cavit, ne quis Patrem illum, qui apud eos agebat, nisi certis quibusdam horis occuparet; et sic effecit hominum provida charitas, ut aliquid ei temporis ad quietem et refectionem superesset. In oppido quodam, ubi P. Ludovicus Gonzalez concionabatur, praeter magnam populi in melius mutationem, viginti virgines ex nobilioribus castitatem perpetuam servare constituerunt; unde parentes ipsarum, cum idem Pater moneret ut monasterium conficerent, dotes, quas illis erant daturi, ad monasterium constituendum obtulerunt. Interim autem illae in jejuniis et orationibus assiduis Deo servire serio coeperunt [1].

287. Quidam ex collegialibus Conimbricae, cum duodecim menses capitis dolore laborasset, et crescente aegritudine nec remediis cedente, intra ipsum chranium (prout medici affirmabant) lethale apostema fuisset generatum, de ejus vita desperabatur; cum autem ejus afflictio alios etiam domesticos affligeret, supervenit eo tempore Pater Simon, qui aliquandiu foris fuerat, quem infirmus, antequam moreretur, videre summopere optabat, spem interim habens quod, eo viso, sanitatem esset consequuturus. Hac ergo viva fide ac confidentia, cum eum alloqueretur et, postquam amplexatus eum esset, animaretur a Patre Simone, qui inter caetera ei dixit ut curaret valere, dedit hoc Deus vel fidei fratris vel obedientiae ut statim, omni dolore cessante, sanus omnino maneret. Ut autem hunc reliquit Deus, ita alium magnae exspectationis juvenem, Dominum Rodericum de Meneses, ad se vocavit; qui consummatus in brevi explevit tempora multa; et jam jam ad sacerdotium promovendus, acerbissimo lateris dolore correptus, et paucis diebus confectus, magna et animi fortitudine et conformitate cum voluntate Dei, omnibus Sacramentis acceptis, inter orationes et lacrymas fratrum laetus migravit ad Dominum [2].

---

1 Quadrimestres Lusitaniae, et historicae litterae hujus anni 1548.

2 Emmanuel Leite toti Societati, Ulyssipone, de statu Societatis, et de felici obitu fratris Roderici de Meneses, 25 Augusti 48. — Vide annot. ad n. 279, pag. 320.

288. Sed et Romae, hoc ipso anno, vita functus est P. Martinus de Sancta-Cruce, qui Rector Collegii Conimbricensis fuerat, et ad ejus negotia Romae conficienda venerat. Hoc autem in eo observatum est, quod cum esset alioqui vir optimus, tam studiosum se praebebat rerum illius provinciae, ac personarum, ut Patri Ignatio non eam habere rationem videretur, quam ordinata charitas exegisset; hic ergo anno nondum completo, quo Romam venerat, colicis doloribus acerbissimis confectus, et ea, in quibus, licet non mala voluntate, errasset, tamen detestatus, ad Dominum, ut sperandum, migravit.

289. Hoc ipso anno 1548 in Mauritaniam et Tingitanam aliqui de nostra Societate missi sunt. Habet Rex Portugalliae aliquot urbes, quas in Africa ejus majores occuparunt, et militum praesidiis a saracenorum vicinorum incursionibus defenduntur. Inter eas, Ceuta est, ubi sub nobili viro, domino Alphonso, validum lusitanorum praesidium collocatum est, qui cum suis uxoribus ac familiis civitatis formam conficiunt. Hic ergo cum ad Patrem Simonem scriberet, et aliquos ex nostris ad se mitti obnixe peteret, visum est eidem P. Simoni, in illius civitatis et gubernatoris gratiam id esse concedendum; accedebat quod vicina civitas (quae Tituam vocatur) magnam vim christianorum captivorum habebat; qui prius a viro quodam hispano, cognomine Contreras, juvabantur, qui magna charitate, quae ad redemptionem ipsorum et consolationem etiam spiritualem pertinebant, curabat, et cum magna sanctitatis opinione obierat. Recusaverat ille oblatum sibi episcopatum cum abbatia adnexa, et cum Hispali sub finem anni praecedentis obiisset, magna totius illius civitatis aedificatione, vix de barba, capillis, et vestibus ejus quidquam populi devotio reliquit, qui ob venerationem, quasi sancti viri, reliquias apud se habere cupiebat. Hujus ergo viri defuncti occasio effecit, ut duo ex nostris sacerdotibus, scilicet P. Joannes Nuñez (qui postea Aethiopiae Patriarcha fuit electus) et P. Ludovicus Gonzalez, a Patre Simone electi, in Africam trajicerent. Magno ergo cum labore et paupertate, mediis aestibus Augusti mensis, primo Hispalim, deinde ad oppidum quod Gibraltar vocant, prope columnas herculeas, ubi Oceanus cum Mediterraneo mari conjungitur, iter fecerunt. Ibi ergo decem vel duodecim triremes, quibus dominus Bernardinus de Mendoza prae-

erat, invenerunt, qui eisdem diebus, aliquot turcarum armata navigia (*gustas* vocant [1]) partim ceperat, partim submerserat, et turcas non paucos captivos effecerat. Fauces ergo illas maris die sequenti navigando Ceutam pervenerunt; et cum ad Ecclesiam B. Virgini sacram, quam de Africa vocant, orarent, dominus Alphonsus cum magna multitudine eo veniens, summa laetitia eos excepit et domum deduxit; quamvis nostri in aliam domum, ad functiones Societatis commodiorem, paulo post se contulerunt. Coepit autem Pater Ludovicus Gonzalez, incipiendo ab ipso die Nativitatis B. Virginis, ea die et dominicis sequentibus, bis quotidie concionari; aliis autem diebus semel, et quidem magno cum fervore charitatis, et commotione ac lacrymis audientium, adeo ut diceret Gubernator, et nepos ipsius, dominus Antonius, se vehementer admirari hoc praedicandi genus, quod non tam praedicare quam homines convertere dicendum esse videretur. Coeperunt etiam confessionibus magno cum fructu vacare, et aegrotantes invisere, et ipsum etiam Gubernatorem, cui, quoniam omnino cum Patre Ludovico conferre sua vellet, multum temporis ei erat tribuendum. Cum saracenis etiam multis egit (quidam enim ex eis amici erant), optime se in illos affectum ostendens, ut eos Christo lucrifaceret; et cujusdam saraceni ex regno Velez, sicut et mulieris judaeae, quae cum Ducis uxore versabatur, conversio brevi secutura sperabatur. Aliqui etiam ex nobilibus, et Gubernator ipse confessiones suas generales cum Patre Joanne fecerunt, et magna cum confidentia quidquid proponerent, nostrorum arbitrio relinquebant. Custodiam publicam et hospitale inviserunt, et aliquorum confessiones audierunt, quarum numerus quotidie augebatur; et tota civitas magna spirituali consolatione est affecta. Scribit inter alia Gubernator Ceuta Patri Simoni haec verba: "Pro certo habeas quod cum hactenus hujus civitatis homines, quodammodo saracenis pejores in moribus existimaverim, jam post quindecim dies, quos hi Patres in ea versati sunt, eam vitae mutationem fecerunt, ut plus quam religiosos eos existimem. Quid ergo si diutius hic haeserint sperandum est? „ Scribit etiam quod a praefecto urbis Tituani (*Acen* vocant) facultatem petierit ut nostri Tituanum se con-

---

1 Melius fortassis *fustas*.

ferrent; sed cum Satan, spiritualem fructum, inde consequuturum in captivis, timeret, impedimenta opponere curavit; respondit enim Acen, vereri se ne Giarifus (hic titulus principis erat), non aequo animo nostrorum adventum esset laturus; si tamen non concionaturi essent saracenis, ad captivos christianos invisendos et per Sacramenta consolandos, aditum patere posse, et eo facilius, si de redemptione captivorum acturi essent; et sic Tituanum ventitando, postquam timorem saracenis adimerent, deinde de rebus ad Deum pertinentibus liberius loqui posse. Petiit etiam obnixe Gubernator, ut si inde ipsis ad alia loca esset recedendum, Ceutam redirent. Regem etiam rogavit ut, juxta Ecclesiam B. Mariae de Africa, domum nostris erigi juberet; spem magnam conversionis judaeorum et saracenorum faciens, si ibi residerent [1].

290. Distat civitas Tituan quinque vel sex tantum leucis Ceuta, ubi quingenti, vel sexcenti christiani captivi in vinculis tenebantur; eo igitur se contulerunt, et cum multa tentassent, vix fructum alium, quam inter hos captivos retulerunt; unde Pater Ludovicus Gonzalez, qui alioqui multa, et quidem magni momenti, Regi Portugalliae suggerenda conceperat, relicto Tituani Patre Joanne Nuñez, ad consolationem captivorum, in Portugalliam ipse rediit. Praefectus autem illius urbis jusserat Patrem Joannem simul cum Ludovico accedere; sed per quemdam illius ministrum, qui gratia apud ipsum valebat, ab ea sententia revocatus est; nam perutiliter Tituani mansurum dicebat Patrem Joannem, ad captivorum aegrotantium curationem et eorumdem redemptionem. Sic ergo Pater Joannes Tituani mansit; qui cum pecuniam ex Castella et Portugallia ad captivorum subventionem accepisset, et jam confessiones audiendi facultatem a Gubernatore saracenorum obtinuisset, quemdam in extremo periculo fidem abnegandi constitutum, a faucibus daemonis, per Dei gratiam, revocavit. Tam multi autem captivorum, ad eum, confessionis gratia, veniebant, ut integro die ipsis esset vacandum, dempto tempore quod sacrificio Missae impendebatur; quo absoluto, tribus vel quatuor captivis quo-

---

1 Rerum a PP. Joanne Nuñez et Ludovico Gonzalez in Africae ora gestarum enarratio ab scholasticis Conimbricensibus confecta et in Societatis caeteras domos missa, sub finem hujus anni 48 aut initio sequentis. Historicae litterae Romae concinnatae et in Siciliam missae mense Junio 49.

tidie Christi corpus communicabat; hactenus enim hoc Sacramentorum solatio destituti fuerant. Designabat autem eis certos dies, quibus hi vel illi ad se venirent, ut omnium posset consolationi satisfieri; etiam cum per vias incedebat, sic ad osculandas ejus manus aut pallium irruebant, ut vix se posset expedire. Invisebat quotidie sex custodias captivorum (tot siquidem erant Tituani, in quas noctu captivi recluduntur), ut solaretur aegrotantes; et si aliquis in morbum incidisset, ad ejus confessionem audiendam statim convolabat; cibum deinde ad cancellos custodiarum (*mazmorras* vocant) deferebat, quod non solum captivis, sed etiam saracenis, aedificationem non vulgarem praestabat. Vidit aliquando mahometanus urbis Gubernator egredientem de custodia Patrem Joannem, cui arridens, deinde ad suos conversus, de pietatis officiis, quae videbat, eum laudavit. Allocutus est Pater et Gubernatorem ipsum cum uxore, et filio, qui omnes benevolos se ei exhibebant, et disputantem cum judaeis libenter audiebant, et quod Tituani versaretur, laetari se significabant. Cum saracenis tamen circumspectius procedebat, ne offensus Gubernator fructum apud christianos impediret. Concionabatur aliquando mercatoribus et captivis, qui congregari poterant; contulit etiam se ad Synagogam judaeorum, ubi multos pueros quidam Rabinus eorum docebat, cum quo dum disputaret, confluxerunt multi judaei ad disputationem; coepit etiam cum quodam inter eos seniore (quem sapientem ipsi praedicabant) multisque circumstantibus, ex dictis prophetarum probare, et ex multis rationibus, quod jam Messias venisset et is Christus esset. Cum autem illi negarent Christum esse Deum et Messiam, succensus ardenti zelo clamare coepit, quod saepissime, et non semel tantum, mori paratus esset pro hac veritate manifestanda, quod Christus fuisset Messias a prophetis praedictus, quod quidem nullus eorum pro defensione legis, in qua vivebat, facturus erat; et quod satis constabat quod abjecti essent illi ubique gentium, nulli dominantes, sed perpetuo servi, in poenitentia sui peccati, quod Messiam occidissent; et alia hujusmodi ipsis dicebat. Domum postea redeuntem eorum Rabinus sequutus est, et confessus, quod veritatem per prophetas satis cognoscebat, et quod nihil aliud expetebat, quam commoditatem duos filios Ceutam deducendi, et de manibus saracenorum evadendi.

Multos hi Patres nutantes in fide confirmarunt; multos eleemosynis pueros ac puellas, adultos etiam utriusque sexus e misera servitute redemerunt; alios etiam et verbo, et sacramentorum ministerio, et rerum etiam externarum subsidio recrearunt et consolati sunt.

291. In oram etiam exteriorem Africae, quae ad meridiem Oceano abluitur, hoc ipso anno nostri, qui praeterito profecti erant, pervenerunt, scilicet Pater Georgius Vaz ac Pater Christophorus Ribeirus, cum duobus sociis, et in insula, quae Sancti Thomae dicitur, ex qua in regnum Magni Congi facilis est navigatio, aliquandiu substiterunt; et quamvis febribus et aliis morbis fere omnes vexati fuerint, omnes tamen ex illa insula, decima octava die Februarii hujus anni, prout erant valetudinarii, solverunt, et decima septima Martii in portum illius regni, Pinda vocatum, ac deinde in civitatem Magni Congi ipso die Pentecostes appulerunt, et humaniter a Rege sunt excepti. Et quamvis nec ibi quidem prospera uterentur valetudine, non tamen Missam celebrare, nec concionibus, ac ministerio Baptismi et Poenitentiae, aut verbi Dei vacare desinebant. Labores vero suos prudenti consilio dividebant. Equidem frater Jacobus Soveral in schola puerorum, suscepit curam docendi eos, tum legere, tum ea quae ad christianam doctrinam et vitam pertinent; et non inutile id laboris cum sexcentis fere pueris impendere arbitrabatur; nam praecipuus in civitate fructus ex hujusmodi scholis ortum habere deprehendebant. Sacerdotes et praedicationi, et confessionibus audiendis dabant operam. Pater Georgius Vaz, initio mensis Junii, desideriis accensus non mediocribus ad finitimos urbi pagos se conferendi, et per regnum ipsum discurrendi, a Rege facultatem ad id petiit. Detrectabat quidem initio Rex, ipsorum operam necessariam esse Congi asseverans; sed Georgius magis urgere aliorum necessitatem videns, non solum facultatem a Rege, sed interpretem etiam obtinuit. Sed cum esset necesse aliquos habere secum, qui ferrent victui necessaria, et peristromata ex paleis confecta, quae pro lectis sunt (nec enim aliter per regnum discurrere ratio regionis illius ferebat), fere viginti dies, ut viaticum haberet, quod Rex offerebat, exspectavit. Nec mirum id erat; nam id Rex in more habebat, ut, si vel immensum auri pondus ei hodie daretur, die

crastina nihil haberet; et ita diu sine ulla pecunia regia domus erat. Visum est Patri Georgio non esse diutius exspectandum, sed in Deo spem collocandam, et ita interpreti (qui Petrus Alvarez dicebatur) persuasit, ut cum suis famulis ex urbe secum proficisceretur, nec timeret necessaria ipsis esse defutura, suis Dei providentiam prospecturam. Credidit Petrus Alvarez, qui prius, hortatu Georgii, cum instaret festum Sancti Petri et Pauli, sacramento Confessionis et Communionis refectus fuit; et statim Regem salutando, in nomine Domini recesserunt; ac viginti trium dierum spatio, circa urbem non ultra sex milliaria in circuitu procedendo, duo millia et septingentos homines baptismate Christo regeneravit, praecedente tamen catechismi instructione; erant inter illos aliqui sexaginta annos nati, alii septuaginta, imo et octoginta, diu enim satis ea gens vivere solet. Demum in aegritudinem incidit Georgius , quae cum labores necessarios non permitteret, cum socio et interprete, Petro Alvarez, in civitatem rediit; cum autem numeratis famulis, septem essent, ut fides Petri Alvarez confirmaretur, ex eleemosynis abunde necessaria omnia eis suppeditata sunt. Mira erat morum corruptio in hoc regno , tam in indigenis, quam inter lusitanos, qui apud eos vivebant; sed per Dei gratiam, post adventum nostrorum, aliqua emendatio est consequuta. Foeminae nec Missae sacrificio, nec doctrinae christianae explicationi interesse solebant; adierunt ergo Regem nostri, et quod grave peccatum admitterent significaverunt, et suam operam ad Missae sacrificium et catechismi explicationem obtulerunt. Respondit Rex: *Chilicha*, quod interpretari potest *recte dicitis;* et sic jussit, ut foeminae omnes in ecclesiam quamdam (in qua, antequam christiani essent, sepeliri solebant, *Ambiro* vocabant, sed ibi deinde ecclesia constituta est) convenirent ; nobiles ergo foeminae, cum suis famulis, eo se conferebant, et Missa celebrata, unus ex nostris sacerdotibus, quae ad doctrinam saluti necessariam faciunt, eis explicabat ; alter autem interim Regi et viris, tam indigenis, qui nigro sunt colore, quam externis, colore albis, qui multi inter eos versantur. Erant in eadem civitate praeterea duo alia templa; unum quidem pro cathedrali Ecclesia habetur; alterum autem cujusdam congregationis est hominum alborum (sic enim eos, qui non sunt indigenae, vocant) in honorem Beatae Virginis

dedicatum. In utroque ex his templis per unam vel duas horas quotidie catechismum docebant; baptizabantur aliqui quotidie; sed si adulti erant, instructio de rebus fidei praecedebat; nec nisi postquam ipsimet velle se christianos esse significarent, et baptismum peterent, eis conferebatur. Nec difficile ad fidem suscipiendam, si rationes ad id essent allatae, adducebantur. Eorum loquendi modus fere metaphoricus est, et fere semper figuratis utuntur loquendi modis; cum in colloquiis ab eis petebatur, quis eos creasset, hilari animo respondebant: " *In fumeto Zambicho pungo,*„ scilicet, *Dominus Deus me fecit*; itaque non alium quam unum Deum agnoscebant, et quamvis idola conficiant, et in superstitionibus versentur, non aliunde, quam ex ignorantia, id provenire videtur. Jacobus Diaz Missae sacrificium primum his diebus celebravit, et altare in edito quodam loco ad id fuit constructum; et non parum fuit elaborandum in excludendis honoribus ac muneribus, quae indigenae offerre volebant; sed quia propter Christum paupertatem elegerant, ditari ab eis noluerunt. Jusserat Rex ut nobiles omnes multa offerenda secum ferrent, sed nostri obnixe illum rogarunt, ut nihil prorsus offerretur, quum nihil esset admittendum; et tandem Rex acquievit.

292. Inter errores, quos diabolus animis horum hominum persuadet, illud est, quod sint immortales; et hinc est quod nulla gravior injuria cuiquam fieri potest, quam si ei dicatur: *Tuus pater, vel mater mortua est;* et hic error inter rusticos, potissimum gentiles, est; et cum aliqui moriuntur, alio translatos esse ferunt, et licet senes admodum sint, non illis videtur quod moriantur, si mors eis alibi quam in bello obveniat: alium etiam errorem persuadet diabolus, quod nihil mali faciant. Unde cum aliquos gentiles, ad Christi fidem disponentes, instruebant ut de peccatis vitae anteactae dolerent, respondere solebant, quod peccata non haberent. Filius cujusdam sortilegi christianus factus est; quem cum interrogarent quomodo parentes ejus eum capi permisissent (captus enim erat) respondit omnia apud illos esse mendaciis plena, et quod solum homines albi bonam habebant religionem, atque solus Deus omnium erat Dominus. Admiranda prorsus est alacritas et animi laetitia, qua hujusmodi homines christianam fidem amplectuntur.

293. Quamvis aliqui christiani jam a tempore regis Emma-

nuelis in hoc regno facti essent, magna tamen rerum ad cultum necessariarum erat penuria, cum ex Portugallia ea adferri oporteret; tanta etiam sacerdotum, qui eo se conferebant ex Portugallia, ubi erant instituti et promoti, erat dissolutio, ut magis destruere, quam aedificare homines ejus regni dicerentur; unde et Rex eos contemnere solitus erat, quos in aliorum hominum peccatis insordescere videret. Pecuniae etiam eo in regno magna penuria erat, cum aurifodinae essent in potestate hostis (quem *Chianchala* vocant); nihilominus quae ad victum necessaria erant, abunde suppetebant, et quidem his, qui Deo serviunt, copiosius quam ipsi Regi, cui saepe accidit, ut, cum non habeat quid comedat, quemdam suae domus ministrum, qui albus est, precetur ut sibi aliquid, quo vescatur, mittat. Causa hujus penuriae ea est, quia omnia largiuntur, nihil ad crastinum retinent. Nudi fere incedunt; tantum interdiu panno quodam, ab umbilico pendenti, pudenda contegunt; nec pileo, nec calceis utuntur; si quis indusium nactus fuerit, a corpore non removet, donec conteratur; noctu sic dormiunt, ut interdiu incedunt; si multum habent quod comedant, multum comedunt, si parum, aut fere nihil, minimo cibo sustentantur. Utinam ad Dei honorem, quae patiuntur dirigerent! Sanctorum enim poenitentias communis eorum vita excedit, quod ad corporis commoditatis attinet; et vere subtrahi a Deo commoda ista corporum videntur, ut minus mali sint; nam cum talis sit et victus et vestitus eorum, alios, a quibus subleventur, devincire sibi non curant; nam nihilominus in mendaciis et calumniis perpetuo versantur; et si cui objicias quod mentiatur, ridet. Post nostrorum tamen adventum, tam ecclesiastici, quam laici, indigenae atque albi, mores non parum reformarunt. Mirum non est, si aliqui, praesertim initio, a semel susceptа religione christiana recesserint; eorum enim sacerdotes multos simul, adultos et parvulos, sine ulla instructione baptizabant; unde quid mirum si ad sua peccata redirent, cum de catholica religione suscepta aliud dicere nescirent, nisi quod aliquid salis comederant? Provincia haec late patet, et Portugalliae similis dicitur; aër salubris; aestus non est toto anno infestus; a Martio mense usque ad medium Augusti hiems apud illos est (*chisimo* vocant) non quidem imbribus molesta, sed ventis ac frigore, quod aegre admodum ferunt indigenae,

nec tamen aliud remedium habent, quam ut ignem unum ante faciem, alium post terga conficiant. Rex in ipsa civitate Congi residet, cujus mores barbari satis, et christiana religione parum digni erant. Cum P. Georgius in vicinis huic civitati locis, reducendis ovibus ad Christi gregem vacaret, tres ecclesias, primam sub invocatione Servatoris, alteram B. Virginis, tertiam Sancti Joannis Baptistae, confici curavit.

294. Qui scholae curam habebat, Jacobus Soveral, praeceptores alios sub se ex ipsa civitate habebat; et necessaria, tam ad ipsorum quam discipulorum sustentationem, a Rege obtinebat; et quamvis, ut dictum est, ad sexcentorum numerum accederent, omnes Rex alebat; quod si non faceret, nullus esset, qui ad discendum veniret; et magna admodum patientia, ad hoc pium opus, Fratri Jacobo necessaria erat; nam praeter incommoda victus et rerum aliarum, quae ad vitam hanc sunt necessaria, cum morbis crebro conflictandum erat; medicinae autem, ut scribunt, nullae meliores erant quam confidentia in Deo.

295. Pater Christophorus Ribeirus, licet fere semper febricitans, mille et septingentos homines, a vigesima septima die Martii usque ad calendas Augusti, christianos effecit; noctu aliquis eorum tintinnabulum manu ferens, animas, quae in purgatorio sunt, orationibus commendabat; multi sine sacramento Confessionis decessissent, praesertim grassante quodam morbo eschirentiae [1] id temporis, si nostrorum sollicitudo eis non subvenisset. Pauperes etiam eleemosynis ditium juvandos curabant. Cum eos catechismum docerent, eis, ut libentius exciperent, insinuabant, quod relicta patria, ad eos, cum tot incommodis navigationis et morborum, ad eorum animas juvandas, non ad ipsorum bona quaerenda venissent; non tamen sensum gratitudinis magnum habere videbantur. Dum et praecepta Dei et peccata mortalia explicabantur, audiebant; sed cum ad cognitionem Dei per rerum creatarum ac visibilium manuductionem adducebantur, hoc illis erat gratissimum. Sed tam in hoc munere, quam in confessionum ministerio, interpretis opera utebantur. Eo tempore Rex bellum contra suum

---

1 Italice, *schirantia, squinantia;* hispanice, *esquinencia;* item italice et hispanice et etiam latine (CELS.), *angina*.

hostem Changalam praeparabat; et ipsis calendis Augusti, classicum per civitatem cani jussit; hic enim mos est, cum ad bellum proficiscitur; aliquis autem ex nostris eum erat comitaturus. Praeter eos quos P. Georgius Vaz extra urbem Congi baptizavit, alios trecentos his mensibus ad ovile Christi adduxit, catechismo et exhortationibus additis, et cum caerimoniis juxta Ecclesiae ritum. Frater Jacobus autem, licet scholae curam haberet, quadringentos tamen homines, simili modo instructos, baptizavit; quia vero nihil ab eis accipiebant, id aedificationis plurimum illis praebebat.

296. Postquam ad Pindam portum nostri pervenerunt, quinquaginta leucas equis ligneis usque ad civitatem Congi confecerunt. Crassum est hujusmodi lignum quantum duabus manibus complecti possis, et in medio corium bovis ad modum scamni affigitur, in quo singuli sedent, et duo ex indigenis alter anteriori, alter a posteriori parte lignum cum homine portant, quibus, cum defessi sunt, alii succedunt. Misit Rex Magni-Congi (cujus nomen est dominus Jacobus) duos viros nobiles, ut nostros ad se deducerent, quorum unusquisque, quandocumque libet, decem et quindecim millia hominum ad pugnam congregat; misit autem eos, quia ab hoste quodam suo timebat ne nostris aliquid periculi immineret; excepit autem eos Rex cum suis nobilibus, prope muros suae civitatis, magnis clamoribus suorum tam hominum quam mulierum, quibus in bellis uti solent; manum autem habebat Rex innitentem cruci, quae ibi erecta erat; tres filios parvos habebat secum; cum ejus manum osculari vellent, ipse sua nostrorum tetigit manus, et deinde eam est osculatus; nos etiam nostras simili modo sumus osculati [1]; cuidam fratri nostro laico soli manum osculandam exhibuit [2]. Ad nutum hic Rex habet quinquaginta

---

1 Vide supra annot. 1, ad n. 65, pag. 125.

2 Horum stilum poliens Orlandinus sensum aut mutavit omnino, aut ambiguum saltem reliquit. Ait enim: "Pone regem pulchra excitata crux erat, quam ille dextrae complexu tenebat, et hic Patres cum tribus liberis multisque Proceribus exspectabat. Qui simul eos currentes ad osculum manus animadvertit, protinus antevertit, *eorumque manibus sua leviter ante tactis, suavium dedit*, quem item morem *in osculanda regis dextra* secuti sunt Patres: quamquam solis ille sacerdotibus manum ad tactum pariter et osculum praebuit, laico, qui inter eos erat, solum ad tactum „ lib. VIII, n. 95. Litteras, ex quibus ista exscripsit Polancus, quasque lusitanice scripserat Jacobus Diaz, nondum vidimus; sed eas in italicam linguam versas prae manibus habemus.

hominum millia; ex quibusdam arboribus (quas *palmas* illi vocant), pannos illos conficiunt, quibus partem corporis mediam, ut dictum est, contegunt. Cum autem ad bellum egrediuntur, arcum et sagittas ferunt; reliqua arma, aut vestes, illa dumtaxat ferunt, cum quibus nati sunt.

297. Distat a Congo triginta leucas natio quaedam hominum, *Eubundos* vocant, qui eos, quos in bello occidunt, comedunt. Alii sunt, quos vocant *Anzinchos,* qui humanis carnibus etiam sine bello victitant; qui potentior est, alios comedit.

298. Alimenta hujus regni Congi debilia valde sunt; triticum non habent, genus quoddam leguminis, paulo majus milio colligunt; ex quo ditiores, et etiam homines albi, panem conficiunt, quem eodem die comedi oportet, nec enim in sequentem servari posset (*enfunde* vocant); aliud est genus alimenti, velut sinapis, quo vulgus utitur (*lucu* vocant); farinam autem conficiunt inter saxa magno cum labore; vinum est aqua palmarum, vocant *melafoe;* indigenis satis bonum est, eo enim sustentantur; fructus eorum sunt velut cucumeres: itaque non in solo pane vivit homo. Simplices sunt valde, sed quae Dei sunt, pauci intelligunt; parum admodum ratione valent, sed sua trahit quemque voluptas. Praeter Regem et aliquos ex nobilibus, nullus alius matrimonio conjunctas foeminas habet; quamvis decem, et viginti, vel plures, prout major vel minor est uniuscujusque potentia, habent. Nulli sunt ibi medici, unde

---

Haec autem italica versio Polanco favet, contradicit Orlandino. En verba italica: *quando arrivassemo à basciargli la mano, non volse darcela, ma toccando con la sua la nostra, la basciò, et così facessemo noi, solamente ad uno fratello nostro laico, detto Soveral, volle dar la mano.* Ad dorsum folii 92 operis *Diversi avisi particolari dall' Indie di Portogallo, ricevuti dall' anno 1551 fino al 1558 dalli Reverendi Padri della Compagnia di Giesù.* In Venetia, per Micchele Tramezzino, MDLXV. — Non tamen diffitebimur verba haec, prout gallice ea nuper reddidit V. B., Orlandini sensum, licet non omnino, prae se ferre, potius quam Polanci. Sunt enim: "Arrivés en sa présence, nous voulûmes lui baiser la main; mais il la retira aussitôt et saisit la notre pour la baiser respectueusement. Il donna sa main à baiser à notre frère Jacques Soveral qui n'est pas prêtre.„ *Précis historiques*, IIIe série, tome deuxième, pag. 63. Sed an haec versio detorta nimis sit necne, iis, qui gallicam simul et italicam linguam calleant, judicandum permittimus.

Inane certe est aut exigui saltem momenti scire quemnam tenuerint ritum Patres, cum Regem Congi primum adierunt; at non exiguae utilitatis fore existimavimus hoc e pluribus uno exemplo lectorem edocere quasnam mutationes haec historica documenta subeant, dum ex una in aliam linguam transferuntur ac dum in compendium reducuntur.

passim multi velut passerculi moriuntur; itaque felices christiani, si sua bona norint [1].

299. In classe, quae hoc anno ex Portugallia in Indiam missa est, duodecim ex nostris, et ex eis quinque sacerdotes, in duas divisi naves, Goam pervenerunt; non tamen sine magno in ipsa navigatione labore ac periculo, et non minori fructu. Ea navis, in qua P. Gaspar Franciscus Flander vehebatur, numerosam nobilitatem sub duce Joanne de Mendoza habebat; et quia reliqui nostri nauseabundi jacebant, magno cum labore Pater Gaspar coqui officium, necessaria illis parando, exercebat; sed cum quidam vir honoratus, Henricus de Macedo, hoc labore eum sublevasset, servo cuidam suo eum imponendo, coepit diebus festis concionari, de misericordiae operibus disserendo; aliis etiam diebus orationem dominicam explicabat; confessionibus etiam audiendis, et admonitionibus privatis (quae valde necessariae videbantur, cum foeminae plurimae parum honestae eadem navi veherentur) tum ipse Gaspar, tum alii, postquam convaluere, dare operam coeperunt. Ea etiam quae in viaticum data ipsis fuerant, pauperibus communicabant, et quidem large; sed sic divina Bonitas aliunde supplebat, ut omnia augeri, cum admiratione hominum, viderentur; quae res quemdam id observantem, ut se ministerio aegrotantium dedicaret, et demum Societati se dederet, permovit. Paucis autem diebus, quotquot in navi veniebant, quique prius edomari minime posse credebantur, ad ludos et vitia relinquenda, et vitam studiose, ut christianos decebat, agendam, singulari mutatione morum adducti sunt; omnia quae habe-

---

1 Quae a n. 291 hucusque de Nostrorum laboribus in africanis regionibus Congo dictis refert Polancus, fere ad verbum descripsit ex litteris PP. Jacobi Diaz, Georgii Vaz et Christophori Ribeiro, quarum partem italice editam habes in volumine *Avisi particolari*, etc., de quo sub num. 296, not. 2, mentio facta est, et gallice in *Précis historiques*, l. c. sub eodem num. 296. — Ad harum rerum elucidationem et intelligentiam conferre non parum possunt sequentes libri: Hieronymi Osorii, Silvensis Episcopi, *De rebus Emmanuelis, Regis Lusitaniae, virtute et auspicio gestis*, libri XII, Ulyssipone, 1571; quod opus germanice editum fuit Lypsiae, a. 1795; anglice, Londini, 1752; gallice, Genevae, 1581 et Parisiis, 1587; flandrice, Rotterdami, 1663; et lusitanice, Ulyssipone, 1804-6; item *Historia do Congo*, quam parabat, sed morte ne finiret praepeditus est, Vicecomes de Paiva Manso, et anno 1877 edidit Lusitanum gubernium, in qua *Historia* plura invenies, aut plene descripta aut indigitata, publica privataque instrumenta ad hanc Nostrorum in Congi missionem attinentia, quae latuisse Polancum minime est credibile.

bant, tam in pauperum, quam in nostrorum usum conferebant; omnes suas controversias et dubia nostrorum arbitrio subjiciebant. Cum autem Gaspar, absoluta praedicatione, statim ad aegrotantes se conferret, accersitum eum in cubiculum suum dux navis Joannes de Mendoza alloquutus est, et ut animae suae juvandae curam susciperet, serio in Dei nomine requisivit, cum quo egit de rebus spiritualibus, et paulo post, primae hebdomadae exercitia ei tradidit. Qui mirum in modum profecit; nec solum crebro accedendo ad sacramentum Confessionis, et de rebus ad Dei honorem pertinentibus loquendo, quantum profecisset ostendebat, sed profusis etiam eleemosynis, quibus pauperes aegrotantes usque in Indiam sustentavit; praeterquam quod multis etiam sanis necessaria subministrabat; et quidquid delicatius in usum suum paratum esset, ad aegrotantium solatia, pro nostrorum arbitrio, dispensari voluit.

300. Duabus tempestatibus jactati sunt; in prima, quae minus fuit gravis, in concione docuit eos Gaspar quomodo se habere in hujusmodi tempestatibus deberent, animando interim eos ad laborem necessarium, et Dei misericordiam, non altis vocibus, ne alii terrerentur, sed corde implorandam, sine timoris demonstratione. At secunda, dum accederent ad caput Bonae Spei, multo fuit vehementior, et tres continuos dies cum summis periculis duravit; nauclerus similem se unquam vidisse negabat; et tam multum jam aquae navis collegerat, ut homines attoniti nihil nisi mortem exspectarent. Accessit tunc ad Gasparem vir quidam ad confessionem instituendam, quem breviter, sed maximo cum fructu expedivit; ille absolutus dixit, actum esse de navi, si Deus illam miraculo non liberaret. Ascendit tunc ad superiora Gaspar, ubi homines exanimatos, et ad mortem se parantes inveniens, et animare incipiens et ad se cunctos accurrere videns, perinde ac si ipse posset salvos facere, benedixit mare et cantavit cum aliis litanias, et septem psalmos, unde respirare homines, et bono animo esse coeperunt; et cum rogatu ducis, prope gubernacula navis staret, fluctus, qui in navim horrendum in modum ferebantur, benedicebat, illa verba dicens: *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, Christus ab omni malo nos defendat;* et sic nauclerum et alios ne animum desponderent hortabatur. Dum haec duraret tempestas, mulierculas illas parum honestas (in-

ter quas una erat, quae ipsum, aliis meliora suadentem, parum abfuit, quin fustibus cederet) ad confessionem adduxit, ut antequam [1] in infernum descenderent, Deo reconciliari properarent. Sed haec pericula, et alia gravissima incidendi in rupes, et in arenam impingendi, Deo propitio evadentes, feliciter in portum, quod Mozambique dicitur, cum nullus mortuus fuisset (quod raro admodum accidere solet), pervenerunt; et aliis a labore navigationis quiescentibus, nostri ad hospitale, ubi centum et viginti fere decumbebant, hospitii gratia se recipientes, oblata enim meliora hospitia recusarunt, subsidia corporalia quibus indigebant aegroti, et etiam spiritualia eis ministrarunt. Admoniti quidem fuerant, ut ab halitu aegrotantium, quorum aliqui contagiosis morbis laborabant, abstinerent; et in eodem hospitali Patrem Franciscum Xavier, quod minus cavisset, morti vicinum fuisse asserebant; sed in protectione Domini confidentes, charitatem exercuerunt, die, noctuque inter aegrotantes versati, confessiones audiendo, et migrantes ab hac vita, qui plurimi erant, verbo et opere adjuvando; et tam quae ad victum, quam quae ad medicinam pertinebant emendicantes, ad eos adferendo; Pater ipse Gaspar coqui simul, et pharmacopolae, et praedicatoris munere fungebatur; et quod concionaturus erat, dum praeparabat cibos aegrotis, vel noctu, cum eis vigilabat, vel cum morientibus loquebatur, vel ad sepulturam cadavera componebat, solebat studere. Tam copiosa praeterea erat messis confitentium, illis quindecim diebus, quos in oppido Mozambique exegerunt, ut omnibus non satisfacere possent. Mira tamen fuit Dei bonitas, quam vehementer homines admirabantur, quod in tam multis laboribus, et valetudinem et vires ei conservabat. Classe jam recessum parante, ne se desererent aegrotantes, sed secum ducerent, obsecrabant; adiit ergo navium duces P. Gaspar, cujus rogatu facile acquiescentes, suis navibus eos et exceperunt, et pie admodum eorum valetudinem curarunt, ac necessaria subministrarunt. Inde profecti, quarta die Septembris in Indiam pervenerunt, cum Ulyssipona 17 Martii solvissent. Erat id temporis Goa P. Franciscus Xavier, qui discessum ad maritimam

---

1 Sic; melius forte *potius quam ;* nisi iis verbis *in infernum descenderent* velimus intelligi *sub aequore mergerentur ,* aut quid simile.

oram Comurini parabat ; et cum adventum nostrorum intellexisset, substitit, et summa charitate et animi laetitia venientes suscepit, et auditis Societatis progressibus in Europa ad Dei gloriam et animarum fructum, non cessabat Dei bonitatem laudare. Voluit autem ut P. Gaspar (de quo multa vectores illius navis, in qua veniebat, referebant) in templo nostro ipso die Nativitatis B. Virginis concionaretur, sed cum multi auditores confluxissent, propter vocem submissiorem non satis intellectus, parum placuit. Recedens autem P. Franciscus hoc Superiori Collegii ordinavit, ut in templo noctu vocem Gaspar exerceret, quo altius loqui assuesceret; quod cum fecisset, conciones et placere et movere valde auditores coeperunt. Invisebat interim eos, qui in custodia publica detinebantur, et foris in variis operibus pietatis, domi etiam in praelegendo versabatur. Nona autem die Octobris P. Antonius Gomez cum sociis ad Goae portum insperatus appulit, nam jam ab ipsis Canariis insulis conspecta navis, qua vehebatur, non fuerat, et sane miraculo datum est quod incolumis in Indiam pervenerit; nam antequam Mozambicum venirent, et valido vento ferrentur, in arenosa loca navis impegit, et gubernaculo extra suum locum divulso, omnem spem salutis nautae abjecerant; tunc Pater Antonius Gomez, qui caput unius ex undecim mille Virginibus, Goam ad nostros adferebat, illud in manibus tenens, homines animando, et invitando ut se Domino per intercessionem ejus Virginis commendarent, et nihilominus, quod in ipsis erat ad evadendum ex arena non omitterent, placuit divinae Bonitati eos inde liberare; sed cum saepius tentassent gubernaculum suo loco collocare, et diffiderent se jam id praestare posse, dixit idem Antonius: *ultimo jam in nomine hujus Virginis Sanctae hoc ipsum tentate; nam vel ipsa impetrabit, ut suo loco gubernaculum collocetur, vel sine illo ad portum poterit nos deducere;* statim suo loco gubernaculum fuit collocatum, et prospere Mozambicum venerunt; ubi nostri, tam in aegrotis curandis quam iis secum asportandis priores imitati, in Indiam, ut dictum est, appulerunt.

301. Commissa fuerat cura tam Collegii Goënsis quam nostrorum, qui in variis Indiae locis versabantur, Patri Antonio Gomez a Simone, Portugalliae Provinciali; nondum enim id temporis Provincialis erat in India constitutus, et P. Franci-

scus longe abesse ab India credebatur. Coepit autem et ipse Antonius Gomez magno cum fervore et auditorum aedificatione concionari, quod ipso die undecim mille Virginum praestitit, postquam caput Virginis, quod adferebat, solemni pompa a Goënsi gubernatore, et Episcopo, cum omni nobilitate exceptum, et in Collegii nostri templum adductum fuisset; et cum magna populi commotione eo munere fungi est prosequutus.

302. Aegrotabat id temporis P. Gaspar, quem cum inviseret Antonius Gomez, ut eum consolaretur, dixit ei ut sanitatem cito recuperaret, quia crucem ejus humeris imponere constituerat; surgens autem die sequenti Gaspar, adiit Antonium ac subdidit, sicut dixerat, se jam valere, et paratum esse ad id quod injungeret obeundum. Accidit autem ut tunc Indiae gubernator (quod facere solet in annonae caritate, vel cum stipendia militibus solvere non potest), magnae hominum multitudini mensam pararet, ad quam partim edendi, partim spectandi gratia plurimi conveniunt; rogavit ergo Antonius Gomez Gasparem, num ipsi videretur ad Dei gloriam fore si illi mensae assidentibus adstantibusque concionaretur; cum id probaret Gaspar, jussus est ad diem dominicam sequentem concionem praeparare; petiit tamen ab eodem Gaspar ut postridie, qui dies Veneris erat, rem inchoare permitteret. Comite ergo Cosmo de Torres (qui Goae in Societatem admissus fuerat), et alio quodam Fratre, natione Malabare, ad mensam illam accedens, ubi quingenti vel sexcenti homines aderant, coepit quibusdam dicere cupere se eosdem ad mensam Christi, post confessionem, accedere. Quibusdam autem mirantibus et quid vellet homo disputantibus, occasionem arripiens Gaspar coepit alta voce dicere: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.* Tunc rei novitas cum homines admirabundos magis et attentos redderet, sic perrexit concionari, ut nunquam sibi visus fuerit in India melius fuisse concionatus; promisitque, absoluta concione, se diebus Lunae, Jovis, et Veneris meliorem cibum quam gubernator, scilicet verbi Dei, eis velle proponere. Non solum attoniti, sed et commoti, et aedificationis multum reportantes, conciones sequentes exceperunt; ad confitendum accedentes Patrum laborem simul et solatium in dies magis augebant. In aliis etiam templis eisdem diebus concionabatur, et aliquando accidebat fere totum continuum diem concionibus variis in lo-

cis transigi. In custodia detentos omnes ad confessionem adduxit, et ad litanias singulis noctibus dicendas; et inter eos unum aliquem constituit qui juramenta et alios publicos defectus publice reprehenderet; paucis diebus multae et magnae restitutiones bonorum alienorum sunt factae; multi etiam in alios homines, audito verbo Dei, mutati sunt; hic bona sua omnia, ut de eis P. Gaspar disponeret, offerebat, et ad pauperes ut eos converteret accedebat; ille ad quasvis, etiam acerbissimas, poenas pro peccatis subeundas se paratum exhibebat; hic, amore Dei fervens, ad omnia, quae in ipsius honorem facere posset, se promptum ostendebat; ille tunc incipere se christianum esse profitebatur, et se flagellis acerbissimis caedebat; aliae demum motiones admirandae, in hominibus, qui aliquando in peccatis insorduerant, videbantur.

303. Inter eos, qui concionantem Gasparem in publica custodia audiebant, unus fuit, qui, inter omnes gentiles ejus civitatis, nobilitate ac divitiis princeps erat; *Chrisnam* vocabant. De hoc cum relatum fuisset Gaspari, et hominem cominus aggredi decrevisset, incidit in eum, cum multi brachmanes et alii eum comitabantur; disputavit coram eo prolixe de ipsius lege; de nostra etiam quaedam, rationibus naturalibus et comparationibus, ad ejus captum accommodatis, confirmavit; et cum saepius hominem convenisset, rogavit eum, ejusque comites, ut ea cogitarent, quae proposuerat, Deumque precarentur, ut ad veritatis cognitionem ipsorum mentes illustraret. Ridebat quidem filius Chrisnae; sed non ita pater, qui post biduum significavit Patri Antonio Gomez se velle Christi fidem suscipere. Oratum est domi nostrae, ut confirmaret Dominus, quod coeperat; adierunt hominem deinde, qui se totum Antonio Gomez tradidit, salutarem baptismi aquam postulans, et ut se ad animae salutem consequendam juvaret; quamvis enim in custodia illa retinebatur, non se moveri libertatis desiderio ullo modo affirmabat, velle enim se omnino ut justitia locum suum haberet. Adiit Antonius Gomez gubernatorem Indiae, ab eoque obtinuit, ut hominem liberum dimitteret; qui, cum in Collegium ductus esset, octo diebus quae necessaria erant ad baptismum suscipiendum didicit. Interim autem tres ex nostris misit Antonius Gomez, cum totidem ex collegialibus canarinis, qui interpretum officio fungerentur, ut aliquos ex gentilibus

ad Christi religionem adducere niterentur; inter tres illos unus erat P. Gaspar; et tunc tres alii (inter quos nepos quidam illius Lucho, qui conversus jam fuerat) et alius quidam vir primarius, Christi fidem susceperunt. Cum ergo horum catechumenorum baptismus in Collegio nostro Goënsi, solemni Missae sacrificio et praedicatione praecedente, celebratus fuit, ipse Gubernator et Goënsis Episcopus patrini fuerunt. Luchum Lucas de Saa, ejus uxor domina Isabella, nepos autem dominus Antonius nomen accepit; deducti fuerant equis insidentes, et ab omni nobilitate christianorum, qui Goae versabantur, sed et brachmanibus multis comitati; et per vias publicas multae arbores palmarum positae fuerant; et demum integra hebdomada, ad Dei gloriam hic baptismus festiva gratulatione fuit celebratus. Ferebant gentiles quod, cum pater christianus esset effectus, ipsi filii essent patrem imitaturi; affirmabat etiam Lucas, se plures homines ad Christi fidem adducturum quam in capite pilos haberet; magna igitur de totius illius insulae conversione spes concepta est. Gubernator magnis honoribus novum hunc christianum prosequutus est, et inter privilegia et exemptiones dignitatem quamdam, scilicet primi *tanadoris* (quae inter ipsos magna est) concessit. Hic Lucas, dum gentilis esset, reditus annuos sexaginta millia aureorum habuit, in portugallenses valde beneficus, tamque liberalis, ut pro re modica duceret mille aureos donare. In eleemosynis pauperum fuerat etiam largus, et id existimatum est hominem ad hoc beneficium christianae fidei a Deo accipiendum, prae caeteris, disposuisse. Post hujus principis viri conversionem, quotidie novos catechumenos habere, et eis baptismum conferre nostri coeperunt. Domi etiam in variis humilitatis et abnegationis probationibus nostros novus Rector Antonius Gomez exercebat; inter alia injunxit P. Gaspari, ut quaereret juvenem quemdam nobilem, qui Ducis de Alvarez frater erat, nomine Andreas Carvaglio, et ad Societatem nostram adduceret; quod praestitit, et cum in Exercitiis versaretur, adiit eum Dux Cephalae, cui, inter alia multa, dixit se unius horae tempus, quod in Societate nostra consumeret, pro toto universi mundi auro non esse daturum; et hujus ejemplo alii etiam nobiles non pauci animum ad pietatem adjecerunt. Injunxit idem P. Antonius Patri Melchiori Gonzalez, ut adduce-

ret alium nobilem juvenem, qui Jacobus Lobo dicebatur, quem statim secum deduxit; hos duos alii tres nobiles sunt consequuti, et fere viginti alii ad id vehementer accensi erant.

304. Hoc tempore quidam rumor increbuit, quod P. Franciscus Xaverius crudeliter fuisset occissus, quod, quamvis falsum esset, benevolentiam tamen ac devotionem erga ipsum totius fere urbis detexit. Erant qui ejus corpus quaerere, et canonizationem ejus se velle curare, licet triginta millia ducatorum expenderent, affirmabant; varia ejus miracula (quae ipse tamen celabat) referebant; sed paulo post in maritima ora Comurini ipsum incolumem esse duo ex nostris inde venientes retulerunt.

305. Venerat praedictus P. Franciscus sub hujus anni initium in Cochinum, celebre Indiae emporium, et inde ad Patrem Ignatium scripsit, sibi videri aliquem esse in India instituendum, qui omnium nostrorum curam gereret; necdum enim provincia in India instituta erat, nec eo adhuc pervenerat P. Antonius Gomez, qui tamen a Patre Simone, non ab ipso P. Ignatio auctoritatem in alios acceperat; et litterae ipsius P. Francisci hoc significabant, optare se sub alicujus obedientia esse, quem tamen magno Dei talento praeditum esse debere merito existimat; concionatores etiam plures exoptat, singulis enim praesidiis lusitanorum singulos esse adhibendos, ut hoc munere mane quidem diebus dominicis et festis apud lusitanos, a prandio apud servos, et servas, et libertos, vel alios liberos homines neophytos, de fidei articulis disserendo, fungatur; et aliquo die hebdomadae, apud lusitanorum uxores ac filias, ut de eisdem articulis, ac de sacramentis Confessionis ac Communionis disserat. Qui vero concionatores non essent, et inter gentiles versari deberent, tales esse oportere, ut soli vel bini quocumque opus fuerit mitti possint, ait, ad Malucas, Sinas, Peguin, Japoniam. Addit etiam facultatem sacerdotibus quibusdam impetrandam ad sacramentum Confirmationis conferendum, cum unus tantum id temporis Episcopus Goae in tota India constitutus esset. Quod autem aliquando postulatum fuerat, ut quadragesimae tempus mutaretur, experientia se didicisse affirmat, quod non esset valde necessarium; cum enim Lusitani in variis orientis locis versarentur, in quibus hyems non est eadem, sed aliis alia, omnibus consideratis, nihil esse im-

mutandum se judicare. Ait etiam se constituisse vel aliquos mittere ad Japoniam, vel se ipsum eo proficisci; inter eos autem, quos Malucum miserat, Patrem Joannem de Beira superiorem reliquis constituisse; idem se facturum in provincia maritima Comurini, et ubicumque plures de Societate nostra fuerint, affirmat. Nec omittam quod Patri Simoni idem Franciscus scribit; cupere se a Rege Portugalliae hoc beneficium impetrare, ut quotidie per quartam horae partem, peteret a Deo gratiam sententiae illius recte intelligendae: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur*. Ejus mortis horam propinquiorem imminere, quam ipse existimet; subdit etiam necessarium esse, ut Rex Gubernatori Indiae serio praecipiat, ut augmentum religionis Christi in India curet, insulam Ceilam ad Christi fidem adduci, comurinensium etiam christianorum numerum augeri, studeat, et religiosorum virorum opera ad id utatur. Juretque Rex quod, si Gubernatores non ejus conscientiam exoneraverint, multos christianos efficiendo, cum Ulyssiponem redierint, eos in vincula conjecturus, et eorum bona confiscaturus sit; quod si Rex et juraverit, et impleverit, omnes brevi illis in locis christianos futuros, non aliter; quod si alii, quam Gubernatori Indiae, Rex negotium conversionis commendaverit, commendationem inutilem futuram esse.

306. Mense Octobri P. Franciscus, Goa Comurinum recesserat, ut dictum est, ubi christiani illius provinciae, cum summa animi laetitia hominem exceperunt, et viam, qua transiturus erat, pannis sternebant, et in ulnis eum ad Ecclesiam deducebant; inde ad Goënses invisendos rediit, Cochinum iturus et profectionem sequenti anno in Japoniam paraturus.

307. Erat id temporis Goae Paulus japoniensis, qui ad Patrem Ignatium, de sua vocatione ad Christi fidem, et de animi sui desiderio ac spe reducendi per Christi gratiam japonienses ad eamdem Christi religionem et ad prosperum successum orationes P. Ignatii et aliorum de Societate instanter petit.

308. Fuit liberatus onere gubernandi Collegii Goënsis P. Nicolaus Lancillotus, qui gratias egit maximas P. Ignatio, quod ipsum in numerum coadjutorum spiritualium admisisset; ad hoc ipse patentes litteras acceperat, et alias similes Patribus

Paulo [1], Cypriano, et Antonio Criminali, cum suis acceptas, reddendas curaverat; et hi quatuor in Societatis corpus, in coadjutorum spiritualium gradu, primi in India adscripti sunt.

309. Constituerat P. Ignatius ut nostri in India bini incederent, nec soli per varias provincias discurrerent, tum consolationis, tum spiritualis auxilii gratia; sed perdifficile id observari posse affirmabat Xaverius, cum tanta sit operariorum penuria in vastissima illa messe indica, ut unum dividi in plures partes, quo pluribus subveniri posset, optandum esset; et comitis solatium et auxilium per eximiam in virtute exercitationem ac prudentiam suppleri posse. Non tamen visum est Patri Ignatio id revocandum, quod constituerat. Patrem Antonium Gomez, quem superiorem omnibus Pater Simon miserat, idem Pater Nicolaus olfecit, jam inde ab ipso adventu, quod ad praedicandum et confessiones audiendas majus talentum quam ad gubernandum a Deo accepisset; quod res ipsa postea indicavit. Interim tamen cum magnam auctoritatem ex ipso dono concionandi sibi parasset, ei Cosmus Joannes, qui Collegii Goënsis curam habebat, totam ejus gubernationem tam in spiritualibus quam in corporalibus tradidit. Ille autem novam formam gubernationis, antequam experientia regionis et ingeniorum indicorum, edoctus esset, induxit, et ad normam Conimbricensis Collegii exigere decem nationum collectam juventutem, ex quibus quae sit alia magis barbara dubites, voluit. Extra Collegium tamen conciones continuas et alia pietatis opera, quae tam Antonius ipse et Gaspar quam ejus socius sedulo exercebant, egregius fructus est consequutus.

310. Hoc anno in Socotoram insulam, quae e regione maris rubri sita est, de qua superius egimus, P. Cyprianus cum duobus sociis est destinatus. P. Franciscus Perez cum socio Malacam fuit missus; Bazainum autem, ubi Rex Portugalliae Collegium institui volebat, et reditus trium millium aureorum ad puerorum indigenarum et eorum, qui eis instituendis vacarent, sustentationem destinabat, P. Melchior Gonzalez missus est, idque auctore Patre Antonio Gomez, qui ad fructum uberiorem ex indico agro colligendum, hujusmodi collegia perne-

---

1 Paulo, scilicet, Camerte; nec enim hucusque alium Paulum in Indias venisse legimus. *(Nota in margine scripta.)*

cessaria esse censebat ; in quibus tamen, non tantum indos, sed nostros etiam Societatis operarios instituendos existimabat. Pater quidem Nicolaus Lancillotus id oneris prius subire recusaverat, quia tunc e Societate nostra perpauci erant operarii, ut tam multis muneribus fungi possent. Sed cum satis multi hoc anno ex Portugallia missi essent, et religiosi ordinis Minorum, ad quos, nostris recusantibus, haec cura data fuerat, urgerent ut hoc onus nostri susciperent (quod ipsis parum convenire videbatur); approbante P. Francisco Xaverio et Episcopo Goënsi, eo se P. Melchior contulit, cui praedicti religiosi Collegii onus reliquerunt. Bazain civitas est in agro fertilissimo sita, quae rebus ad victum necessariis, ut oriza, et frumento, et pannis multis abundat. Cum Rege tamen Portugalliae agendum esse scribit Antonius Gomez, ut denuo nostris tradi et Collegium et reditus jubeat, sicut initio jusserat, cum a nostris non est admissum.

311. Odor bonus eorum, qui hoc anno Goam appulerant, tam late per Indiam sparsus est, ut etiam Dio et Bazaino aliqui ut nostris confiterentur venirent. Juvenes indi, qui hoc tempore in Collegio Goënsi educabantur, nonaginta propemodum, diversarum tamen aetatum, erant. Habebat autem reditus hoc Collegium fere mille et quingentos aureos, qui prius idolorum fanis (*pagodes* vocant) cum applicati essent, ad pium hoc opus in ipsa Collegii institutione conversi fuerant; iis adjunxit Rex Lusitaniae fere quingentos alios ex suis vectigalibus; mille praeterea singulis annis, ab his quos Lascharines vocant, et totidem singulis etiam annis ex donis regum gentilium et mahometanorum ad Gubernatorem missis, ex praescripto ejusdem Regis numerabantur; et quamvis annonae vilitas non ea est Goae quam Bazaini, satis multi, et ex nostris, et ex indigenis, his proventibus ali poterant. Sed male habebat Antonius, quod, quamvis aliquot ingenia bona, inter indigenas collegiales, et etiam propensiones ad bonum inveniret , rerum tamen spiritualium incapaces eos deprehendebat; eoque res progressa est, ut de illis paulatim ex Collegio dimittendis, et in officiis vel certe ministerio christianorum collocandis, cogitaret; quamdiu tamen in India fuit P. Franciscus, nihil est hac de re actum.

312. De Collegio Caulano instituendo, et de alio etiam

Cochini jam hoc ipso anno agi coeptum est; quae sequenti Pater Franciscus inchoavit.

313. Quamvis de rebus a se gestis perpauca scribat Pater Franciscus Xaverius, ut probabile est, humilitatis studio, illi omnes externi, inter quos versabatur, et nostri, quos ille et exemplo et verbo instruebat, et ad illud apostolicum opus animabat, et spirituali et amabili colloquio consolabatur, tam multa scribunt, ut facile intelligi possit, summam ejus viri fuisse in India auctoritatem, summamque aedificationem, ubicumque versatus esset, ab eo relictam; adeo ut et saeculares ejus colloquio et amicitia frui posse, pro magno Dei dono existimarent. Tam tenero affectu gratias agebat Deo, cum Societatis progressum a fratribus ex Europa venientibus intelligebat, ut non solum ipse plenos lacrymis oculos haberet, sed et fratres ad similem devotionis fletum provocaret, nomen Domini Nostri Jesu Christi, et Sanctissimae Trinitatis, tam crebro in ore habebat, ut facile ex corde pleno eructare sanctissima nomina intelligeres. Solebat etiam fratribus crebro dicere: *oh, fratres et socii mei, quanto meliorem habemus Deum quam nos cogitamus;* et ad gratias Ei agendas de beneficiis in hanc Societatem collatis excitabat. Admiranda quaedam operari Dominum per ipsum insinuant, sed ea sibi non licere evulgare fatentur.

314. In provincia illa maritima, quae Comurini dicitur, quatuor hoc anno sacerdotes Societatis versabantur; tres alii socii sine sacris ordinibus Christo militabant. Omnibus praepositus erat P. Antonius Criminalis, a reliquis electus, et a Patre Francisco Xaverio approbatus, cujus vitae sanctitas, non solum nostris, sed etiam externis tam lusitanis quam indigenis, aedificationis multum praebebat. Ejus labor magnus quidem, sed non minus utilis erat, dum per omnia loca christianorum discurrens, et nostros, eorumque ministeria, et populos etiam, magna cum vigilantia invisebat. Idioma ejus provinciae malavaris, indeffesso labore, imo et legere, et scribere, quod perdifficile erat, didicit.

315. In eodem tractu erant P. Franciscus Enriquez, ac Pater Balthasar Nuñez, sed longe a P. Henrico Enriquez; singuli tamen multorum locorum curam habebant; sicut et P. Cyprianus, antequam sub anni finem Socotoram versus discederet,

qui licet senex esset, ut juvenis tamen in tam copiosa messe laborare debuit. Emmanuel de Morales egregiam etiam operam comorinensibus navavit; cui cum multa loca eorum essent commissa, inter labores plurimos recte valebat, sed cum alio missus esset, loco cujusdam ex indigenis operariis, ubi minus occupatus fuit, non bene corpore se habere coepit; quod inde Henricus accidere censet, quod inter labores admirandam tribuere soleat Deus animi consolationem, et quo labores et occupationes majores sunt, eo vires tam corporales, quam spirituales, majores Dominus dabat. Addit idem Henricus, gustum spiritualem eis, qui in proximorum salute curanda occupantur, tam copiosum fuisse, ut ei videatur, si optio a Deo relicta esset, ut statim in coelum ascenderet, vel adhuc in ea provincia, in animabus juvandis, ad ipsius gloriam aliquandiu laboraret alacer, Ei responderet: *Permitte, Domine, ut aliquandiu in obsequio tuo hic laborem;* non tamen ob hujusmodi consolationes, sed ut Christum, et hunc crucifixum, in ferendis laboribus et afflictionibus imitarentur, in eas regiones eundum esse. Adamus Franciscus perutilem etiam operam aliis hominibus utriusque sexus dabat; et ejus in obsequio Domini sollicitudo a Patre Francisco, dum eos inviseret, multum probata est. Initio quidem pueri bis quotidie ad catechismum discendum veniebant; postea institutum est, ut puellae quidem mane, pueri autem a prandio venirent; et in singulis locis aliquis ex indigenis catechismum docendi, alius autem evocandi auditores curam habet; modum autem in docendo eum tenebant, quem P. Franciscus eos docuit, cujus etiam labore in vertendo catechismo in idioma malavarium fruebantur. Mulieres, in ea provincia, diebus sabbati ad ecclesias accedebant; viri autem diebus dominicis ut catechismum addiscant; viduae autem et anus in alio die hebdomadae eis designato veniebant; raro enim prius simul cum aliis accedere solebant; ad catechismum concio additur, ut multis rationibus ab affectu, quo ad idola olim erant gentes illae propensae, revocentur; constituerunt etiam dominicis diebus, postquam domini in domos suas se contulissent, ut servae ad ecclesiam accederent, prius enim ad ecclesiam non veniebant. Cum aliquis infans nascebatur, statim nostris significabant; quod si infans aliquis non baptizatus in aegritudinem incideret, propere ad nostros ut eum baptizent accurrunt; cum

etiam natu grandiores aegrotant, eosdem, ut pro infirmis orent, accersunt; pueros etiam, cum eleemosynarum oblationibus, ut pro eis oraretur, adducebant ad ecclesiam, sed eleemosynae non admittebantur, quin potius, ut in pauperes conferrent, nostri, cum magna eorum aedificatione, faciebant; aliter cum sacrificulis idolorum eis accidebat, qui, donec pecuniam accepissent, nihil eis dicebant; controversias eorum componere, quae plurimae erant, non exigui laboris erat.

316. Quamdiu P. Henricus interpretem habuit linguae malavaris, eam ipse addiscere non potuit; sed cum ab eo desertus esset, et nihilominus multorum locorum curam gereret, die noctuque ad illud idioma addiscendum incumbens, ad ejus difficultatem evincendam a Deo sic adjutus est, ut etiam de arte quadam conficienda, ad eam facilius discendam et alios docendam cogitaverit; unde cum indigenis sua lingua loqui coepisset, quam tam brevi tempore didicerat, nunquam satis admirari poterant; cum praesertim et conjugationum inflexiones eum tam distincte proferentem audirent, qui quinque tantum menses eo in labore consumpsisset, et vix totidem annis pauca quaedam verba et confuse caeteri lusitani discere consuevissent; et cum non tantum loqui, sed legere, et etiam scribere eum viderent, Dei donum esse crediderunt. Sine interprete itaque jam concionari coepit in ecclesia; et tunc denique deprehendit interpretes non bene hoc officio rerum fidei declarandarum fungi, quia cum unum eis dicatur, aliud ipsi intelligunt et explicant. Dedit autem Pater Franciscus Xaverius, cum ex malucis rediens eo pervenisset, cuidam ex tribus sacerdotibus malavaribus, articulorum fidei singulorum declarationem satis diffusam, ut eam in suum idioma converteret; quod cum ille perfecisset, jussit ut in omnibus ecclesiis illius maritimae regionis legeretur; quod Henricus magna consolatione in loco ubi versabatur audivit, et nostris characteribus eadem verba scribi curavit, ut singuli ex nostris, familiaribus sibi characteribus, populo praelegere possent, et praelegentes alios audire. Exoneravit autem Henricum Pater Franciscus aliorum locorum cura, unius, vel duorum tantum sollicitudinem ei relinquens, ut grammaticam hujus linguae diligentius et citius absolveret, quae nostris usui esset, ad eam linguam addiscendam, ne interpretum opera uti cogerentur. Cum coepisset autem fabulas

gentilium, quas vernacula lingua narrare illi solent, mente percipere, coepit idem Henricus animum ad scribendum contra ilias adjicere, rationibus eorum mendacia, quibus allucinantur, convincendo. Non solum autem confirmabat christianos, sed et gentiles de suis erroribus commonefaciebat, qui cultum eum, quem omnipotenti Deo debebant, in daemones et saxa converterent. Procurabat etiam ut centum, vel ducenti brachmanes simul ad se venirent, et quidem ex senioribus, cum quibus ipse adhuc juvenis disputare volebat, et de suis erroribus convincere, et si vellent periculum facere veritatis fidei nostrae, et falsitatis ejus quam ipsi sequuntur, ut pyram magnam incenderent, et simul cum ipso eam ingrederentur, et tunc quod ignis eos combureret, ipse vero immunis maneret; quod se facturum affirmabat, dummodo illi pollicerentur, se omnes christianos futuros, si res ita succederet.

317. Cum declararet fidei articulos, accidit ut diceret, si veram in Christum Deum et hominem fidem haberent, et aliquem obsessum a daemone viderent, et in Christi nomine ac veri Dei juberent spiritum malum ab eo recedere, quod recessurus erat; quidam hoc christianus cum percepisset, et cum quodam *iogue* disputaret, obtulit se daemonium ejecturum in Christi nomine, quod *iogus* facere non posset. Animadversum est quod daemones, ex quo Christi fides a multis est suscepta, desierunt magna ex parte illis molesti esse; prius enim vix erat qui accedere solus auderet ad mare, quia inter ipsas piscatorum cymbas daemones in formis igneis visebantur; sed postquam christiani effecti erant, nihil amplius videbant. Inter gentiles illarum regionum magnam tyrannidem daemones exercent, homines ad se adorandos terrore compellunt, et nisi pecuniam, et multos arietes sibi obtulerint, quorum sanguinem bibant, et alia plurima quae petunt, mortem et alia damna minantur; unde infelices illi homines et adorant eos et quidquid petunt offerunt. Henricus autem ut hoc terrore daemonum christianos liberaret, pollicebatur eis, si quem daemones obsiderent, se sanctis quibusdam verbis nostrae fidei, scilicet exorcismis, eos expulsurum; quod omnes simul brachmanes et *iogues* praestare non possent.

318. Inter illos gentiles aliqui inveniebantur, qui et rerum cognitione et vitae probitate, gentiles caeteros longe superant;

qui nec daemones, nec pagodes, sed unum solum Deum colunt, et commentitia esse intelligunt, quae vulgo creduntur. Unum ex his, ad ipsum venientem, novit familiariter Henricus, qui inter gentiles et sapientiae et probitatis existimationem non mediocrem habebat; hic pagodes multos confregerat, et se id didicisse a quodam gentilium antistite, qui unicum Deum colebat et idola abominabatur; quo praeceptore didicisse se affirmabat primi omnium parentis lapsum, qui a daemone deceptus fuerat; sed veris falsa sua narratione admiscebat. Hunc hominem gentiles homines, ac praecipue brachmanes, et magni faciebant, et amabant, quos ille reprehendebat quod dies bonos et malos discernerent et homines ad idolorum cultum adducerent; quibus brachmanes respondebant, non oportere ut se fame perire sinant, quod si illa non comminiscerentur, se quid comederent non habituros; rogabant etiam ne ipsorum fraudes vulgo detegeret, quas nihilominus omnes ille detegebat. Reprehendit ille aliquando christianos neophytos, si animadvertit quod suo magistro (qui erat P. Franciscus) non obediant, et ad ejus consilia sequenda hortabatur; et si quem errare vidisset, ad ipsum Henricum deferebat; et quamvis christianus non esset, mores tamen valde bonos habebat. Petebat ab eo Henricus, inter alia, quid censeret de gentilibus, qui bene vivere, quoad mores attinet, videntur, an, cum moriuntur, existimet eos in paradisum assumendos, an potius in infernum dejiciendos; respondit ille: Neminem qui pagodes colat ad paradisum iturum; et sic ad omnia sapienter respondebat.

319. In locis illis ubi Henricus versabatur, accidit ut gentilis quidam, coram pagode transiens, ipsum adoraret; quod cum pueri christiani vidissent, correptis lapidibus, pagodem invadunt, et idoli nasum confregerunt, gentili illo multum conquerente apud eorum magistrum. Ii pueri ac juvenes, si quid in senioribus observabant, quod male captum videretur, statim ad Henricum deferebant. Quod omnibus autem aedificationi praecipue erat, id potissimum fuit, quod pro nostris nihil nos accipere prorsus ministeriis, sed animarum salutem quaerere observabant. Et ut fides hujusmodi neophytorum cernatur, hoc addam: cum in quodam ex illis locis quidam aegrotaret, christianus quidam eum invisit, et rosarium suum collo ejus injecit, quo, dum precaretur, uti solitus erat; placuit au-

tem Deo ejus fidem comprobare, sanitatem aegrotanti reddendo; crevit vero haec fama per oppidum illud, et cum aliquis in morbum incidebat, statim ad rosarium illud precatorium petendum se conferebant; et cum aliqui pecuniam ei pollicerentur, eos deridens, gratis illud dabat.

320. Puer quidam, in Collegio Goënsi institutus, penes Henricum erat, qui cum a saracenis captus, in Moscheam inductus fuisset, ad adorandum Mahometum et fidem Christi negandam compellebant; cum autem puer recusaret, mortem illi minabantur, si Mahometum non adorasset; at ille respondit, quod si vellent eum occidere, id facere poterant, et propter Dei amorem se mortem laturum. Voluit divina Bonitas, quod eum non occiderent; sed compedes quosdam ei injecerunt, cum quibus incedebat; paucis vero post diebus, cum exercitu dux quidam ad locum illum venit, occisis autem oppidanis multis et oppido ipso incenso, puer evasit et ad Henricum pervenit. Narrabat autem is multos esse lusitanorum servos in illis locis, qui, quamvis dominos fugerunt, Christi tamen fidem retinent, qui puerum hortabantur ne fidem Christi relinqueret. Cum autem unus ex his servis stipendium a principe quodam gentili capiens, occisus esset, alii servi christiani ejus cadaver more nostro sepulturae tradere volentes, et genibus flexis, pro ejus anima Deum rogantes, cum summa admiratione gentilium, qui attoniti id considerabant, eum sepelierunt, et super eum crucem imposuerunt. Aliqui ex his servis P. Franciscum Xaverium adierunt, et rogarunt ut eis impunitatem fugae impetraret, et ut liberi inter christianos vivere possent.

321. In tractu provinciae maritimae Comurini, ducenta millia christianorum esse et amplius hoc anno ferebantur; qui multis in locis, per septuaginta fere leucas, versus mare habitabant; et id in causa erat ut nostri a se invicem divisi essent; et cum sub diversis regibus infidelibus essent christiani, aliquando inter se bella gerebant, et nostris, qui pacificare eos nitebantur, satis negotii exhibebant. Erat inter alios Emmanuel de Morales, qui, ut ipse scribit, dum quibusdam locis juvandis vacaret, a falsis quibusdam amicis pro servo inimicis venditus fuit, sed ope divina eorum manus evasit. Cibi, quibus utuntur in eo tractu, sunt oriza, triticum, lac, butyrum, pisces et gallinae; moneta una, quam *fanaum* vocant, et duas tertias par-

tes nummi argentei, quem *realem* vocamus, continet, et tres uno gallinae magnae emuntur. Ficus quibusdam in locis toto anno colliguntur; coccos habent plurimos, et fructus alios ad cocci naturam accedentes, *cannas* vocant, qui magnam aquae copiam continent, quae potata minime nocet. Omnes indigenae nudi incedunt, praeterquam quod pannis sub umbilico corpus tegunt, tam viri quam foeminae; pueri autem ne pannum quidem infra decem annos; aër autem salubris est admodum; et omnium christianorum habitatio in ipsa ora maris est; idolorum templa magna admodum sunt et ex marmore confecta, boum, elephantorum, simiarum et aliorum animalium figuras habentia; aliqua etiam minora sunt et minus pretiosa; eorum curam brachmanes habent, qui cum fingant pagodes comedere, et magno apparatu cibos ipsi confici jubeant, nidorem suis illis idolis exhibent, et ipsi cibis se ac suas familias sustentant.

322. Est et aliud genus hominum, quos *iogues* vocant, et paupertatem profitentes ex mendicato vivunt, et quia id propria voluntate facere dicuntur, sancti habentur. Regem habent suum hujusmodi *ioguii*, et quo vilius vestiuntur, sanctiores existimantur; et suos illos pannos centonibus plenos ferunt. Brachmanes publice a carnibus abstinent et ab animalibus, quae sanguinem habent; sed furtim carnes etiam comedunt; uxores habent quotquot volunt, et in usum pagodum eas esse fingunt, et sic primariis provinciae foeminis abutuntur, ut merito, qui vel modicum prudentiae sint nacti, eorum fraudes et scelera abominari possit. Ex majoribus oppidis totius provinciae hujus illud est, quod Totuchorin vocant, et aliud est magnum Punicale; horum cura Patri Henrico data est; alia etiam loca invisere debebat, et eorum aliquam curam habere, quorum ordinaria sollicitudo quibusdam indigenis sacerdotibus erat commissa. Alii etiam ex nostris, qui praecedenti anno et hoc ipso in Indiam venerant, aliorum etiam plurimorum locorum curam suscipere potuerunt. Eam ipsis P. Franciscus Xavier distribuit, quem magnum Patrem, ut omnium curam gerentem omnes vocabant.

323. Interim Malacae, quam diximus olim auream Chersonesum vocatam, duo ex nostris residebant. Nam Aprili mense Pater Franciscus Xaverius, postquam in Indiam redierat, Patrem Franciscum Perez cum socio Rocho de Oliveira eo mise-

rat; qui die 26 Maii Malacam pervenientes, magna hominum gratulatione sunt excepti, qui usque ad mare, ubi navis substiterat, cum exiguo navigio procedentes, Malacam eos deduxerunt, et in domo quadam, prope hospitale Misericordiae, hospitium eis dederunt. Et tam Vicarius Episcopi, quam clerici, magna animi laetitia eos invisebant; et tunc primum nostri, quamvis pauci, firmum tamen habere domicilium Malacae coeperunt. Statim Rochus de Oliveira docere juventutem coepit, non solum legere et scribere, sed etiam orare; et in ipso Beatae Virginis officio et christianae doctrinae a P. Francisco traditae libello, et descriptis Sanctorum vitis, hanc legendi peritiam docebat, ut simul cum ea christianae religionis rudimenta et exempla discerent. Coepit etiam grammaticam filios lusitanorum docere, et centum octoginta fere brevi tempore convenerunt, qui cum ex matribus gentilibus nati essent, et patres docendi officio non admodum fungerentur, hujusmodi filii (quos *mestizos* vocant) doctrina et institutione summopere indigebant, sicut et alii neophytorum indigenarum filii. Nec parum saraceni et gentiles mirabantur, cum a tam remotis gentibus, non ad aurum et gemmas sed ad hominum salutem quaerendam advenisse, et in eo tantum elaborare nostros viderent. Pater Franciscus Perez, diebus dominicis et festis, lusitanis mane concionabatur; post meridiem autem filiis, et servis eorum, et christianis neophytis, quos etiam quotidie catechismum per horam cum dimidio, vel duas horas docebat, eumdem modum, et doctrinae explicationem sectando, quam Pater Franciscus Xaverius scriptam reliquerat; unde tam late patuit catechismus, ut singulis domibus, et in tota urbe cantus hujusmodi doctrinae ad Dei laudem resonaret. In hospitali domo, quae pertenues habebat reditus, nostri, ex praescripto Patris Xaverii, diebus Mercurii Missae sacrificium faciebant, et pauperibus aegrotantibus in xenodochio urbis sanctum sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae ministrabant; et semel in hebdomada sacrum ibi faciebant; et his ac aliis ministeriis Societati nostrae consuetis continuam occupationem, sed cum summa consolatione spiritus conjunctam, habebant. Singulis diebus dominicis ex civitate multi ad sacramenta Confessionis et Communionis accedebant, et plures accessissent, si pluribus tempus sufficere potuisset, aut alius sacerdos ipsi adjunctus

fuisset. Diebus dominicis ibi Missae sacrificium celebrabat, ubi concionaturus erat, et sacro finito, sanctissimam Eucharistiam ministrabat; deinde suggestum ad concionandum ascendebat.

324. Est civitas illa Malaca celebre emporium et quo magna hominum multitudo solet confluere, non solum ex Indiae locis, sed ex turcarum etiam regione, per mare rubrum, multi albi coloris homines, sicut ex malavaribus, qui fusco colore sunt, ut et ipsi indigenae. Iudaei aliqui inter caeteros saracenos, arabes, et persas, ad praedicandos sectae suae errores veniebant; qui nullis vel periculis vel laboribus parcentes, gravia damna gregibus gentilium inferebant, et a nostris (quibus se plane inimicos ostendebant) avertere conabantur. Inter judaeos, qui illuc venerant, unus, qui se romanum esse affirmabat, concionibus Patris Francisci Perez intererat, et domum aliquando, ad aliquid de Bibliis conferendum, accedebat. Nihil illi durius nostra in religione videbatur, quam quod crederemus Deum hominem factum, flagellis caesum, et in cruce mortuum. Sed cum Franciscus Perez, blande cum eis agendo, nostrae fidei rationes redderet, illius cor a Domino illustratum est, et cum in ecclesia domus Misericordiae Franciscus versaretur, ingressus est judaeus, et aquam benedictam accepit, et ulnis apertis Franciscum Perez amplexus est, et se christianum velle fieri, ac nostrae fidei veritatem se cognoscere et tenebras errorum, in quibus versabatur, testatus est. Et quatuor vel quinque diebus, articulos fidei cum quadam protestatione, qua ibidem nostri utebantur, cum oratione dominica, et salutatione angelica ac Salve, Regina, confessionem generalem, et decem praecepta didicit; et ex domesticis ejus sex, vel septem sequuti sunt, et praesente Gubernatore, Duce Malacae domino Petro de Sylva, et aliis nobilibus lusitanis, ac primariis civibus urbis, sacramentum Baptismi suscepit. Cochinum deinde in Indiam discessit, ut filium, quem adhuc ibi habebat, christianum faceret. Ad Societatem nostram nonnulli aspirabant, qui quamvis idonei viderentur, Patris Francisci Xaverii judicio relicti sunt; interim tamen et in spiritualibus Exercitiis, et in pietatis ac humilitatis operibus se diligenter exercebant.

325. Antequam Malacam nostros destinaret, P. Xaverius, ad Gubernatorem Indiae, qui tunc erat dominus Joannes de Castro, Bazainum, ubi tunc ille versabatur, se contulit; et quamvis

tempus navigationis incommodum esset, et venti contrarii, paucis diebus eo delatus est, et benigne a Gubernatore et ejus exercitu fuit exceptus; et rogatus ut concionaretur, quamvis defatigatus valde, et studio tempus dare non potuisset, Deo tamen juvante, sic id munus praestitit, ut Gubernator, qui cum magna consolatione ipsum audierat, ne illa hyeme Goa discederet rogavit. Inde cum litteris necessariis ad duos ex nostris Malacam mittendos, Goam rediit, et praedictum Franciscum Perez et Rochum de Oliveira, in nomine Domini, octava die Aprilis Goa Cochinum, et inde Malacam misit. Cochinum Goa centum leucas, Malaca autem quingentas leucas Cochino distat; situs Malacae sub aequinoctiali est, a cujus linea duos gradus versus septemtrionem distat; toto fere anno pluit, unde non bene conjectarunt illi philosophi et poetae, qui regionem illam semper ab aestu torridam et inhabitabilem dixerunt; nullo autem anni mense, propter humiditatis copiam, herbae virentes desunt. Qui ad Sinas et Japoniam navigant, Malaca proficiscantur oportet; ad Malucas, etiam Bandam, Peguum, Cheromandel, et alias celebres regiones via etiam est; ideo mercatoribus abundat, et eruditis confessariis opus habet, ut subtilissimarum usurarum et contractuum difficilium nodos possint dissolvere, et lepram a lepra discernere. Quia vero supra mentio facta est de fidei protestatione, qua nostri in India, auctore P. Francisco Xaverio, uti consueverant, quaenam ea sit, jam subdam, scilicet: «Deum vere confiteor, ut bonum christianum decet, Sanctissimam Trinitatem, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, tres personas, unum solum Deum. Credo firmiter, nihil haesitans, quidquid tenet et credit sancta mater Ecclesia Romana; et ita promitto me victurum et moriturum in sancta fide catholica Domini mei Jesu Christi; et nunc pro eo tempore quo moriturus sum, si tunc loqui non potero, confiteor Dominum meum Jesum Christum ex toto corde meo. „ Hactenus protestatio, quae a catechumenis exigebatur, quamque memoriter addiscebant. Modus autem homines congregandi ad catechismi doctrinam hic erat. Egrediebatur Rochus de Oliveira cum tintinnabulo per totam urbem, et in quibusdam ejus locis, alta voce, praeconis more, dicebat: " Christiani, mittite vestros filios et filias, servos et ancillas, ut audiant sanctae fidei praedicationem. „ Diebus autem profestis aliqui

ex pueris, ejus discipuli, cum eodem tintinnabulo, per eadem loca, eisdem verbis utebantur. Nec solum symbolum, decalogus et orationes, sed etiam mensae benedictio et gratiarum actio, peccata mortalia et oppositae virtutes, et modus bene confitendi, et alia non pauca sic tradebantur, ut pueri ac puellae, et viri et mulieres, haec omnia memoriter tenerent.

326. Quamvis hoc anno Cochini nostri non resederint, aliquandiu tamen ibidem fuerunt, et opera Adami Francisci effectum est, inter alia, ut vir quidam primarius, malavaris nationis, cum uxore, liberis et domo tota ad Christum converteretur; alia etiam ibidem cum christianis ad Dei gloriam gesta sunt.

327. Cum sub finem anni praecedentis P. Joannes de Beira, cum P. Nonnio Ribeiro et sociis, Malucum venissent, prior in insulas Mauri cum duobus sociis, posterior in insulas Amboini se contulit; hic quatuor illis mensibus, quibus naves lusitanorum ibidem esse solent, dum tempus navigandi exspectant, fere sexcentos filios Ecclesiae per baptismum peperit; christianorum loca invisit; idola gentilium confregit; et christianae religionis doctrinam gentes illas, quae in summis tenebris ignorantiae versabantur, docuit; et recedentibus navibus, cum quibusdam lusitanis, qui zelo fidei illi se socios in sancto eo labore adjunxerunt, ut fidelium numerum augerent... [1] Sed de illis hoc anno nihil praeterea intellectum est [2].

Explicit hic volumen in 4.°, quod pag. 74-76 supra descripsimus.

---

1 Huic loco respondet in margine positum signum quoddam cum iis verbis: *vide supra 192*. In pagina autem (mss.) 192, quae hic est 266, post ultima verba historiae anni 47, signum huic omnino simile reperimus. Quid vero commune haec cum illis habeant plane non perspicimus.

2 Quae de Indicis rebus hoc anno gestis narrat Polancus et iis plura continentur in litteris, quas toto hoc anno et sequentis initio scripsit Xaverius, et in aliis, quas a Xaverii sociis aliisque scriptas et italico sermone donatas habes, non integras semper sed decurtatas saepius aut in compendium redactas, in volumine *Avisi particolari*, de quo supra. Quarumdam autographa, aliarum autem antiqua satis apographa, quae Romae, Conimbricae, Evorae, etc., transcribi nobis licuit, suo hic tempore edemus.

ANNUS 1549

328. Ineunte anno 1549, hic status Societatis erat: duae provinciae dumtaxat erant constitutae, in Portugallia prior, altera in Hispania, et duo Provinciales, P. Simon et Antonius Araozius; in India hoc ipso anno P. Franciscus Xaverius Indiae Provincialis creatus est, ut ex patentibus litteris ad eum missis constat; qui in Italia, Sicilia, Germania et Gallia versabantur, ab ipso Patre Ignatio, Generali, regebantur, quamvis in Sicilia P. Jacobus Laynez, ut Visitator, reliquis in ea insula praeerat.

329. Residebat Societas in viginti duobus locis, scilicet, Romae, ubi domus professa probationis etiam domum complectebatur; Patavii, Bononiae, atque Messinae in Sicilia initia potius Collegiorum quam Collegia erant; Coloniae, Lovanii et Parisiis tantumdem; in Lusitaniae Provincia, Ulyssiponae, nostri ad domus potius quam ad Collegii formulam accedebant; Conimbricae formatum erat Collegium; Regis curiam aliqui sequebantur; sed quia illa saepe Ulyssipone manebat, non distincta residentia censetur: in Hispania residebant nostri Compluti, Salmanticae, Vallisoleti, Valentiae, Gandiae, Caesaraugustae et Barcinonae. In India vero, Goae, Bazaini, Comurini, Malacae, et in Malucis. Pauci tamen in omnibus his locis, praeterquam Romae, Conimbricae, Ulyssiponae, Gandiae, Patavii et Messanae, versabantur. Proprium domicilium Goae solum, in Portugallia utrobique, in Hispania tantum Gandiae, in Italia Romae et Patavii; in Sicilia Messanae; in Gallia et Germania nullum erat; minus utique reditus ulli, praeterquam Conimbricae, Gandiae, Patavii et Messanae.

330. Hoc ipso anno res Societatis non parum auctae sunt. Romae quidem numerus nostrorum, accedentibus ex Germania et Gallia compluribus, ut Societatem melius cognoscerent et in romana domo probarentur, augebatur; in concionibus autem et lectionibus nostri templi et ministerio confessionis et communionis aliisque consuetis Societati charitatis officiis et fructus crescebat, et bonus Societatis odor apud Summum Pontificem et ecclesiasticos Ecclesiae principes et totam demum hanc almam civitatem. Non tamen ea referre sigillatim sollici-

tus ero, quia similia fuerunt his, de quibus annis primis plura scripta sunt.

331. A multis jam annis nullus ad professionem admissus fuerat praeter P. Franciscum Borgiam, qui, ut retulimus anno proxime elapso, secretam Gandiae professionem emiserat; quamvis P. Natalis superiore anno de hoc admonitus ab Ignatio fuisse dicitur [1]. In die autem Annunciationis Beatissimae Virginis quatuor simul ad professionem quatuor votorum sunt admissi [2]. Romae quidem ab ipso P. Ignatio, post celebratum in ecclesia sacrum, P. Emmanuel Miona, cui ego adjunctus fui; Gandiae vero eodem 25 die Martii P. Jacobus Miron et P. Andreas de Oviedo in manibus Patris Antonii Araoz similem professionem emiserunt.

332. Augebatur paulatim et ecclesia nostra, aliquid ei adjungendo, et nostrae etiam habitationis domus; hoc etiam anno cum a Summo Pontifice Paulo III id obtentum esset, ut facultates nostrae Societati convenientes, ad ipsius et commune animarum bonum promovendum, Cardinali Sfondrato negotium hoc est commissum, et quaecumque ex privilegiis aliorum ordinum eo tempore nobis convenire videbantur, eodem ad Summum Pontificem referente, concessa fuerunt, et litteris apostolicis comprehensa [3]. Et quia ante expeditionem confectam graviter Summus Pontifex aegrotare coepit, egregiam operam navavit dominus Thomas Lilius [4], nunc Episcopus Soranus, ut eo adhuc superstite litteras illas haberemus.

333. Ad Constitutiones etiam, quae ab ipso P. Ignatio conficerentur, vel confectae essent, complurium ex primis patribus, qui superstites erant, scripti consensus venerunt; donec

---

1 Lege pag. 238, chron. brevs. *(Nota ad oram paginae.)* Illi paginae respondet hic 306; at non ibi de professione Ducis Gandiae sermo fit, sed in 247, quae hic est 315.

2 Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, de iis qui Romae professionem emiserant et de dispensatione, qua ut professionem emitteret, indiguit ipse Polancus, 13 Julii.

3 Sic in mss., imperfecta verborum syntaxi et obscura sententia. Nec sufficiunt quae in hoc loco scribit Orlandinus, l. 9, n. 11, ad sensum clare perspiciendum; qui tamen hic esse videtur, scilicet: concessum Ignatio a Pontifice fuisse ut ex privilegiis Ordinum aliorum quae Societati convenirent ab iis quae non ita convenirent secerneret, illaque approbanda proponeret, et hoc Summo Pontifici proponendi quae Societati privilegia quadrarent negotium Cardinali Sfondrato fuisse ab Ignatio commissum.

4 Alias communiter *Giglius*, italice *del Giglio*. Vide *Cartas de San Ignacio*, passim, sed praesertim, tomo II, p. 318.

tamen ex diversis locis satis multi Patres convenirent (quod anno proximo jubilaei fieri posse Ignatius cogitabat) Constitutiones non sunt promulgatae [1].

334. Hoc anno, Novembri mense, Paulus tertius, Pontifex Maximus, ex hac vita migraverat; quare Cardinales in Conclave se contulerunt, a quibus subsidia temporalia ad res domui nostrae necessarias subministrari solebant. Placuit etiam divinae Bonitati Patrem Petrum Codacium a laboribus hujus saeculi ad meliorem vitam, ut speramus, transferre. Celebraverat is mane sacrum magna cum pietate ac devotione, et a prandio, dum ad Patris Ignatii cubiculum ascenderet, apoplexia correptus, prope ostium praedicti Patris concidit ac paulo post exspiravit. Corpore erat (quamvis inter magnos labores et sanctae paupertatis usum) obeso, et credendum est quod Deus molestiis diuturni morbi eum diutius detineri noluerit. Jam ab ipso initio Societatis sic rerum temporalium curam hic Pater subierat, ut alii omnes a sollicitudine quaerendi victus, et vestitus, et rerum aliarum, quae ad vitam traducendam sunt necessariae, immunes essent; sed eo magis, si humanam rationem spectes, destituta ejus morte domus nostra videbatur; cum nec esset domi qui ad hoc officium charitatis idoneus videretur, et licet fuisset aliquis, quia mors Patris Codacii repentina fuerat, in magna ignorantia et rerum et personarum versatus esset. Domus interim plena et, ut dictum est, Cardinales inclusi de electione novi Pontificis satis diu deliberaturi videbantur; at Pater Ignatius, qui magno prorsus animo spem omnem in Dei providentia collocaverat, octo vel decem novitios, qui Societatem ingredi cupiebant, domi admisit, et Patrem Pontium Cogordanum, qui natione gallus et lingua parum eloquens erat, procuratorem loco Patris Codacii constituit [2].

335. Visenda fuit autem divinae Bonitatis eo tempore erga domum romanam providentia, nam Cardinales ex ipso Conclavi copiosam eleemosynam, si bene memini, ducentorum

---

1 Vide supra, pag. 71, not. 1.

2 Polancus, *ex commissione*, Hieronymo Domenech, ut pro Petro Codacio tamquam pro fundatore Missas precesque offerant, 11 Maii; idem eidem, de domus Romanae egestate et debitis post Patris Codacii obitum, 14 Decembris; Ignatius custodi Conclavis, de modo quem tenere possent Cardinales in sublevanda domo Romana, hoc anno 49; Obligationes et debita Romanae Domus quo tempore e vivis sublatus est Petrus Codacius, a. 49.

aureorum miserunt. Cum autem eo tempore Joannes Crucius, obsonator domus, ad Basilicam Salvatoris se conferret, et per Colosseum (qui locus desertus est) transiret, vir quidam ad eum accessit, et crumenam illi cum centum fere aureis in manu posuit, et ab eo recessit. Cum domum Joannes rediisset, et quod acciderat narrasset, et aureos acceptos ostendisset, non deerat qui timeret ne, quod accidit cum lemures pecuniam offerunt quae postea in carbones convertitur, hujusmodi metamorphosis illi pecuniae accideret; sed moneta illa aurea et quasi tunc excussa formam non mutavit sed domus necessitatibus ac aeri alieno solvendo subvenit. Post unum vel alterum diem, cum ante lucem ad res necessarias coëmendas idem Joannes pro more se conferret, non procul a templo B. Mariae supra Minervam alius quidam vir se cum eo conjunxit et magnam summam nummorum aureorum (sexaginta vel septuaginta, ut opinor, fuerunt), qui recentes ex cuneo accepti videbantur, illi dedit ac recessit. Sed eodem etiam tempore cum in aperto quodam loco domus, ubi rudera quaedam et concisae chartae in cista quadam erant, ego ipse videre volens num quaedam aliae litterae ibi essent, rudera evolvissem, in quadam alba charta involuta magnum numerum aureorum novorum etiam inveni. Tam multis Bonitas divina per angelos, ut creditur, Patris Petris Codacii diligentiam et in hoc munere peritiam non desiderari voluit. Cumque ego iis de rebus Philippum Archintum, almae Urbis vicarium, alloquerer, " ne dubites inquit, quod has etiam eleemosynas P. Petrus Codacius domui vestrae procuret; nec ego dubitaverim ejusdem Petri in coelo charitatem et P. Ignatii in terris fidem ac spem haec subsidia a Dei bonitate impetrasse „. Unde romana domus in dies numero augebatur; quamvis enim alii atque alii in varia loca mitterentur, cum multos vocaret Dominus ad nostrum institutum sequendum, nec alia id temporis esset domus in his Italiae, Galliae et Germaniae regionibus, satis multi in hanc confluebant.

336. Duo Collegia, deductis ex Urbe coloniis, hoc anno fuerunt inchoata, unum quidem Panormi, alterum Tyburi; licet autem Ingolstadium aliqui sint missi, et inter alios P. Petrus Canisius, Sicilia ad hoc evocatus, Collegium tamen illud tunc non est inchoatum. Sed haec Collegia et missiones in causa

fuisse videntur, ut de Collegio Pisis inchoando, juxta pollicitationem Ducis Florentiae, Cosmi, Pater Ignatius sollicitus non fuerit, sicut nec aliud Collegium, quod Termentis in Sicilia per litteras ab eodem Patre Ignatio obtinere nitebantur, sunt consequuti. Paulatim hujusmodi onera subeunda, etiam paulatim, qui a Domino mittebantur, esse probandos, antequam in opus ministerii mitterentur, P. Ignatius judicabat. Interim de totius Societatis locis ac personis sollicitudinem gerens, Ignatius, multa Romae ad eorum utilitatem curabat. Inter alia illud curatum est ut Universitas vel studium generale Messanae auctoritate apostolica et quidem sub Societatis directione erigeretur. Anno quidem proxime elapso, ut dictum est, Summus Pontifex cum magno Signaturae applausu id concesserat. Sed hoc anno Litterae Apostolicae expeditae cum Messanam mitterentur, res magnam habuit difficultatem, tum a Catanensibus tum ab ipsismet Messanensibus ortam, qui sub Rectore nostri Collegii suam Universitatem esse, in qua et jurisperiti et medici futuri erant, parum aequo animo ferebant. Prius quidem Pro-rege Joanne de Vega praesente, Messanenses magistratus id ita constituerant, sed sententiam postea mutaverunt. Admissis autem in consilium P. Jacobo Laynez ac Patre Hieronymo Natali coram Prorege, sic hominum animi mutati sunt, ut quod prius nullo modo concoquere poterant, immo erat, qui diceret se potius passurum extrema, magno consensu juratorum et consultorum res est transacta; et Doctor quidam Messanensis, qui magnopere huic Universitatis rationi repugnabat, tanta laetitia fuit perfusus ut vix externis multis in gestibus ac verbis eam explicare posset, et simul orationes *Te Deum laudamus* dixerunt; et cum magnis laboribus Pro-regis et aliorum nihil prius effectum fuerit, id Dominus cum forte minus exspectabatur, praestitit: sed hoc fuit sub anni finem [1].

337. Sub initium autem tam res spirituales quam litterariae bene, Deo propitio, procedebant; magnus erat in his qui ad Sacramenta accedebant fervor et alacritas; confessiones gene-

---

1 Quae observanda Tyburi sunt a magistro Michaële de Ochoa, hoc anno 49; aut ad summum initio sequentis, 50; Polancus, *ex commissione*, Natalem reprehendit quod Canisium secum retinere voluerit, et poenam, quam Ignatius injunxit, declarat, 11 Maii; idem eidem, ut statim Canisium Romam mittat, 18 Maii; idem eidem, de felici Canisii adventu Romam, 22 Junii.

rales plurimae; renovationes vitae passim; alia de re inter multos non agebatur, quam de peccatis relinquendis, de ratione vitae in melius mutanda; et id sibi persuadebant homines, qui ad nostros accedebant, in posterum bene vivendum et Deo serviendum illis esse. Conciones a nostris frequenti admodum auditorio habebantur; sed a prandio lectio etiam Divi Pauli post vespertinum officium in cathedrali Ecclesia diebus dominicis praelegebatur; diebus autem aliis festis post idem officium vespertinum in templo nostri Collegii Sancti Nicolai de casibus conscientiae et catechismo lectiones habebantur; et in omnibus frequens populus cum magna animi motione aderat; nec tantum apud nostros, sed etiam apud aliorum ordinum religiosos, messis confessionum solito copiosior colligebatur, et antiqui monachi concursum hujusmodi se nunquam vidisse testabantur; et quia confessiones generales, ad quas instituendas homines erant excitati, non poterant quadragesimae tempore audiri, post Pascha rejiciebantur et in aestatem universam eam occupationem duraturam credebant; et omnino nec tempus nec vires nostrorum ut tam multis satisfieret sufficiebant. Sed inter caetera nostros recreabat plurimum scholasticorum in spiritu et litteris profectus; ii enim quotidie in utroque magnos progressus facere cernebantur. Exertitia etiam spiritualia compluribus, tam scholasticis quam aliis, proposita fuerunt et quidem cum magno fructu ab eis confecta. Aliqui etiam in Societatem admissi sunt; aliqui mittebantur ut, per urbem incedentes diebus dominicis et festis, privatis colloquiis aliquos adjuvarent, ex his praesertim, qui ludis et aliis parum honestis exercitationibus vacabant, ut, de rebus ad eorum salutem pertinentibus agendo, ad confessionem et vitae meliorem formam revocarent, et ex eo labore boni aliqui effectus ad Dei gloriam sunt consequuti. Morituros aliquando juvabant et inter caeteros Stiatigos (qui supremus est urbis magistratus) et Pro-reginae frater consobrinus erat, cum ad mortem aegrotaret, Patris Hieronymi Natalis opera (cui etiam sanus confitebatur) cum magna Pro-reginae et aliorum aedificatione usque ad decessum usus est.

338. Sed cum quadragesima instaret, in qua concionandi munus subeundum videbatur, idem P. Hieronymus Natalis, neminem ex aliis onere eo premendum ratus, concionandi quoti-

die laborem subiit, et interim Patri Andreae Frusio lectionem Divi Pauli suo loco praelegendam reliquit; et uterque suo munere strenue et cum frequenti auditorio functus est; et tanta confluere ad confessiones coepit multitudo ut, quamvis mane satis assisterent, vix eos ecclesia Divi Nicolai capere, praesertim diebus festis, posset. Sed et aliqui viri religiosi procul extra Urbem ad audiendum veniebant, et tam virorum quam foeminarum complurium magna erat nobilitas. Consequuta est autem eorum, qui confiteri volebant, tanta multitudo, ut cum nullo modo eis satisfieri posset, post Pascha ad confessiones generales instituendas rejicerentur. Aegrotabat circa id tempus molesta quadam infirmitate magister Benedictus Palmius, et remediis quibusdam acrioribus acceptis, sic ab ea liberatus est ut in posterum (quamvis familiaris ei prius fuisset) immunis ab ea futurus crederetur. Ipse autem P. Natalis non solum valetudinem retinuit, sed vires corporis et animi auctas in ipso fine quadragesimae expertus est, absolutis cum satisfactione et fructu non vulgari concionum laboribus. Quibus accedebant alii non solum ex cura domestica labores, sed et ex pietatis operibus ad externos pertinentibus; inter quos, ab Inquisitore aliqua commissa exsequi omnino debuit. Sed et alii operari in continuis confessionibus tantum laborarunt, ut sine peculiari Dei auxilio id facere non potuisse viderentur. In Exercitiis spiritualibus aliqui non parum in Domino profecerunt, inter quos nobilis quidam fuit Syracusanus, qui de instituendo Syracusis Collegio agere coepit. Quoddam etiam spirituale damnum insigne, quod illi civitati imminebat et nullo modo evulgari conveniebat, magno cum secreto, Societatis opera, evitatum fuit [1].

339. In festo Sanctissimi Corporis Christi, frequens admodum ad sacramenta Confessionis et Communionis accessit multitudo, et in processione civitatis generali reliquiae, quae in templo Divi Nicolai erant, et duo illa capita virginum Divae

---

1 Ignatius Natali, ut labori moderationem adhibeat, et de concionibus quadragesimalibus, 18 Januarii; Polancus, *ex commissione*, Hieronymo Domenech, de orphanorum domibus, 16 Februarii; idem eidem de iisdem, et de Pontificio diplomate quod in gratiam Urbis Messanae habere curabant Cardinales Crescentius et Maffaeus, et P. Ignatius, 20 Julii; magistri Sacri Palatii sententia de rebus Messanensibus, mense Octobri; Ignatius Natali, de Inquisitionis tribunali, mense Maio et Novembri 49.

Ursulae et sociarum, quae civitas suis litteris a P. Ignatio praecedenti anno postulaverat et obtinuerat, in ultimo loco et honoratissimo deportatae fuerunt. Ornanda curaverat ea capita et arcam, in qua erant includenda, cum magno decore et non sine sumptu P. Ignatius et per P. Antonium Vinckium, qui loco P. Canisii Messanam destinatus erat, eadem misit; nostri autem expedire ad Dei et Sanctarum Virginum honorem censentes, ut solemni pompa et magna cum veneratione exciperentur, cum Archiepiscopi Vicario curaverunt ut tam ea capita quam aliquae reliquiae, quas Pro-regina domina Leonora in ecclesia Divi Nicolai conservanda dederat, solemni pompa admitterentur. Indicta fuerat auctoritate Vicarii processio et diversorum ordinum religiosi invitati, a juratis etiam in tota civitate res promulgata fuerat; scholasticis etiam Collegii cum facibus cereis procedentibus ab ecclesia quadam portae civitatis vicina et satis a templo Divi Nicolai remota (eo enim conductae fuerant reliquiae) cum summo honore ac splendore, et frequentia cleri et populi, Vicario, juratis et nobilitate Messanensi comitante, et classicis et cantorum concentibus ad nostri Collegii templum perlatae fuerunt; et tunc Missae sacrificium celebratum est; et concio in aliam horam post meridiem dilata, in qua frequenti auditorio de veneratione et invocatione Sanctorum P. Natalis est concionatus, et ea occassione accepta, nullas eleemosynas Collegium accepturum esse nec nomine reliquiarum nec ob alia nostra ministeria, admitti enim juxta institutum nostrum non posse, cum tantum animarum salus et Dei gloria quaereretur, testatus est. Et non solum populus aedificationis et consolationis multum eo die a Domino accepit, sed et nostri mirum in modum recreati sunt, cum his temporibus tanta cum veneratione ad haereticorum confusionem tantopere honorari a Deo et ejus populo Sanctorum reliquias viderent [1].

340. Mense Julii maximo terremotu Messanensis civitas fuit concussa, et paulo ante fulmen, quod in arce ecclesiam

---

1 Polancus, *ex commissione*, Rectori Collegii Messanensis, scilicet, Hieronymo Natali, de duobus capitibus virginum et martyrum Coloniensium, 19 Martii 49 (Cf. *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 175); idem eidem, de eodem, 5 Januarii; idem eidem, de iis qui reliquias portant, de earum ornatu, de modo in eis publice excipiendis tenendo, 20 Martii; idem eidem, de expensis in ornatu reliquiarum factis, 1 Junii.

destruxerat et aliquot viros occiderat, non parum animos terruerat; unde ad confessionem magna hominum multitudo fuit excitata, cui messi colligendae nostri strenue vacarunt. Accidit etiam ut cum duo ex nostris ad sui victoriam (quod Societatis hominibus est usitatum) publice quasdam poenitentiae et humilitatis exercitationes facerent; populus autem, qui de nostris optime sentiebat, aliquam revelationem a Deo ipsis factam credidit et ad flagellum avertendum id factum a nostris interpretabatur; et cum paulo ante terremotus praecessisset, ecclesia nostra populo impleta fuit, ex quo ad confessionem aliqui accedebant.

341. Aegrotabat quaedam matrona, cum diu parturiret nec tamen parere posset; et eo res redierat ut medici de ejus salute desperantes eam relinquerent; illa, quae nostrum Collegium devotione peculiari prosequebatur, confessarium ad se mitti petiit. Missus est P. Antonius Vinckius, cui confessa est, et Deo ejus fidei et spei hoc tribuente (ut credimus), statim convaluit, et filium, qui jam in ventre obierat, peperit; unde ejus domus et aliae etiam, quae factum intellexerunt, ex vicinatu, ad confessionem instituendam ad templum nostrum accesserunt. In festo autem Assumptionis B. Virginis tanta fuit confitentium messis ut per octavam etiam negotium nostris facesseret et in consequentibus diebus.

342. Juvencula quaedam a daemonio obsessa esse ferebatur et res ipsa indicabat; haec vincta et quam multi tenebant circumstantes, ad ecclesiam nostram deducta est. Cum enim ad locum quemdam extra Messanam, ubi liberari aliqui energumeni solebant, frustra eam deduxissent, tandem illis venit in mentem ut ad nostrum templum eam deducerent. Et cum Pater Cornelius Wischaven exorcismis agere cum ea coepisset, rogabat daemon ne se in ignem mitteret; interim tres Missae, quae supererant dicendae, ad ejus sublevationem applicatae fuerunt, et in tertia daemon coram omnibus egressus est cum magno fremitu virginis, quae ut mortua relicta, postmodum vinculis ablatis, sensum et intellectus usum ac voluntatis recuperavit, et confessa est, ac sana domum rediit cum magna sane omnium eorum, qui adstabant, aedificatione et admiratione. Priusquam ad exorcismum ventum est, dum eam alloqueretur Cornelius, sensum recuperaverat et se confiteri velle promiserat; inde

ventum est ad exorcismum et spatio fere unius horae liberata confessionem, ut dictum est, instituit [1].

343. Septembri mensi epistolam ad Corinthios frequenti cum auditorio P. Andreas Frusius coepit praelegere. Eisdem autem diebus cum noctu domi nostrae gemitus quidam audirentur, et id quidem saepius, nec satis unde egrederentur posset intelligi, venit in mentem nostris quod fortassis aliqua esset anima, quae nostrorum suffragium requireret; et cum Missae sacrificium ad hunc fuisset finem celebratum, nulli amplius gemitus auditi fuerunt. Creditum est animam aliquam purgatorii hoc medio a divina Providentia fuisse liberatam [2].

344. Aliqui ad Dei obsequium idonei in Societatem sunt admissi [3].

345. Monasterium quoddam monialium nostrorum opera adjuvari in rebus spiritualibus optabat (Divae Mariae *dell' alto* dicebatur). Consultus P. Ignatius semel eorum audire confessiones juxta nostrum institutum posse respondit, sed utilius ad earum profectum futurum si in spiritualibus Exercitiis ad bonam confessionem instituendam praepararentur. Proposita itaque fuerunt tribus ex primariis monialibus primae hebdomadae exercitia ut illa aliis proponerent; et ita majori cum fructu confessiones, et quidem generales, a magna earum parte auditae fuerunt. Pater autem Cornelius eo labore cum magna ipsarum utilitate perfunctus est. Aliae etiam nobiles matronae, eisdem exercitiis in templo acceptis, multum in Domino profecerunt [4].

346. Magister Benedictus Palmius sub autumnum concionari in templo nostro magno cum fructu coepit, populus enim frequens ejus concionibus et ad lacrymas et ad vitae mutationem movebatur.

347. Quod ad litteraria exercitia attinet, ut nostrarum

---

1 Vide *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro,* t. I, pag. 266, not. 7.

2 Polancus, *ex commissione,* Andreae de Frusis, 18 Januarii.

3 De admittendorum in Societatem requisita aetate et dotibus, Polancus *ex commissione,* Hieronymo Natali, 5 Januarii; eidem Ignatius de eadem re, 18 Januarii 49.

4 Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Natali, mittit exemplar Exercitiorum, et Ignatii mentem explicat de iis quibus tradi possunt, 9 Februarii; Ignatius Civitati Messanensi, de mulierum ordinaria cura a Nostris non habenda, 4 Maii; Polancus, *ex commissione,* Antonio Vinck, de Cornelio Wischaven, 1 Junii; Ignatius Hieronymo Natali, quid in gratiam civitatis et Episcopi circa monialium curam fieri possit, 22 Junii 49.

scholarum bonus odor ad aedificationem augeretur, disputationibus aliorum nostri interesse, et ipsi etiam domi suas instituere debuerunt. In omnibus ergo facultatibus, quas Collegium profitebatur, biduo theses per diem integrum defensae fuerunt, quae prius et publicatae fuerant et publicis locis affixae; aliqui etiam viri graves et docti fuerunt invitati et nobiles plurimi. Quibus praesentibus, selecti adolescentes ex primaria nobilitate Messanensi aliquas orationes habuerunt, et quaestiones in utramque partem movere coeperunt cum auditorum jucunditate. Succedebant deinde qui argumentabantur juxta facultatum ordinem. Assistebat autem cuique ex respondentibus ejus praeceptor, qui et dirigeret argumentorum processum, et declararet ac responderet quod oportebat in re disputata. Et id tam bene cessit ut per urbem universam ea de re ageretur, et scholastici magnopere ad desiderium studendi et se exercendi inflammarentur, et ad bene pronunciandum, proponendum ac respondendum serio.

348. Cum autem apud dominicanos, in provinciali ipsorum capitulo, pro more, octo diebus publice positiones in ipsorum et cathedrali templo defenderentur, invitati nostri ad disputandum fuerunt. P. Hieronymus Natalis cum Patribus Canisio et Frusio eo se contulit; aderat etiam magister Isidorus; et tam prospere successit disputatio (primo autem loco vel inter primos disputarunt) ut Providentia divina id factum videatur, quae et vires et gratiam in disputando sic dedit, ut Collegii existimatio, quod ad litteras attinet, mirum in modum apud populum immo et apud insulam promoveretur. Erant enim illi religiosi totius ordinis in ea provincia celeberrimi; et nihilominus cum applausu, tam doctorum quam indoctorum nostri se gessisse visi sunt, et nunquam melius eo functos officio fuisse, quam tunc, ipse P. Natalis profitetur. Sed illud inter caetera animi causa dicatur, quod P. Canisius de potestate Ecclesiae tam eleganti sermone est argumentatus, ut bonus monachus, qui respondebat, parum intelligere ingenue fassus est; unde et ulterius progredi desiit cum auditorii applausu [1].

349. Cum in aliis disputationibus ante has nostri invitati

---

1 Polancus, *ex commissione*, Natali, placuisse Ignatio positiones Philosophiae et Theologiae et disputandi modum, etc., 9 Martii.

fuissent, ubi P. Natalis, cum Patre Andrea et magistro Isidoro, ac diversorum ordinum religiosi adessent, et contendi de primo loco a quibusdam coepisset, omnes fere auditores disputationem a Patre Natali, ut clerico, inchoari volebant; at ille modeste recusavit, et cum alii contendere pergerent de primatu, surrexit et alta voce, omnibus audientibus, dixit, quod judicabat primis religionibus cedendum esse, et quod ipse nec primus nec secundus disputare volebat; et ita omnes conquieverunt; et aedificationem ac consolationem non mediocrem acceperunt, tam de hac modestia quam de consequenti ejus argumentatione. Disputationes hae in Divi Francisci templo habebantur; et cum inde dominicani quidam Patres recedentes de contentionibus his loquerentur, et Pater Natalis diceret nostros hujusmodi priores locos minime curare, affirmabat vir quidam religiosus ex eis quod Dominus Societatem nostram in regnum illud misisset ut tam in litteris quam in spiritu illud reformaret.

350. Cum numerosa esset admodum ultima classis, dividi eam oportere P. Natalis judicavit, et novam esse classem adjiciendam, quae inter ultimam et penultimam media esset, ad majorem scholasticorum profectum; et ita in quinque classibus Grammatica legi coepta est, in quorum prima Rhetoricam id temporis magister Benedictus Palmius professus est; et hoc in renovatione studiorum sub autumno. Quo tempore et P. Andreas Frusius dialecticae lectionem (singulis enim annis Philosophiae cursus inchoandus videbatur) suscepit et feliciter, donec successorem habuit, prosequutus est. Nam magister Isidorus hoc secundo anno naturalem Philosophiam prosequebatur; Pater autem Antonius Vinck Durandi Theologiam scholasticam aggressus est; ipse vero P. Natalis tres lectiones diversas, Euclidis, scilicet, in Mathematicis, et in graecis atque hebraicis litteris varios auctores narravit. Ex praescripto autem Patris Ignatii, cum octavo quoque die scribere et quidem exacte deberent, etiam numerum auditorum in singulis classibus ad ipsum referre oportebat. Unde mense Novembri scribit idem P. Natalis in infima schola scholasticos esse septuaginta octo, in penultima quinquaginta sex, in tertia duo supra quadraginta, in quarta, quae et humaniorum litterarum dicebatur, quatuordecim (huic autem praeerat Pater Annibal), in quinta, scilicet, Rhetoricae quindecim vel sexdecim, in dialectica Pa-

ter Andreas sexdecim, Isidorus in Philosophia tredecim, Pater Antonius in Theologia scholastica tres tantum habuit (cum nullus fere maturus auditor inter saeculares inveniretur et religiosi nondum ad scholas nostras accedebant), in graeca lectione P. Natalis decem, in hebraica tres vel quatuor, in mathematicis decem vel duodecim. Addebantur etiam lectionibus singulis exercitationes more parisiensi, ut quamdam speciem Universitatis Collegium prae se ferre videretur. Hos inter labores non exiguos, mane et vespere susceptos, Praeceptorum tamen valetudinem Deus conservabat [1].

351. Ante hanc lectionum restaurationem mense Octobri factam, trium dierum publicae disputationes praecesserant omnium earum facultatum, quas erant professuri; quod cum aedificatione spectantium magnisque animis et ardore additis juventuti ad studia capessenda perfectum est. Graviores tamen lectiones dilatae sunt aliquandiu, donec negotium Universitatis, quod tunc nondum erat absolutum, praesente Pro-rege (qui disputationibus simul cum juratis et aliis primoribus Urbis adfuerat et orationes et carmina ad renovationem studiorum pertinentia audierat) absolveretur, ut paulo post est absolutum.

352. Inter alios fructus, qui nostrorum opera Messanae provenerunt, ille non minimus fuit, quod nostrorum exemplo aliorum ordinis religiosi, et praecipue ordinis Sancti Dominici, ad lectionem casuum conscientiae et Divi Pauli (prout a nostris diebus dominicis et festis fiebat) enarrandas epistolas animum admovere.

---

1 Polancus, *ex commissione*, Patri Hieronymo Domenech, de exemptione Collegii Messanensis, hoc anno 49; Capitoli circa il Collegio di Messina (De iis vide *Cartas de San Ignacio*, tom. II, pag. 334, not. 6 et 7); idem Hieronymo Natali, de lectoribus Universitatis Messanensis, de alio, qui Canisio substituatur, quaerendo, 5 Januarii; de Isidoro, eadem die; idem eidem, de lectione Scoti, 9 Februarii; idem eidem, de duobus Pontificis jussu in Germaniam mittendis, 23 Februarii; idem Patribus Laynez et Domenech, de Collegio et Universitate Messanensi, eadem die; idem Natali, de magistro Antonio Vinck et ejus socio, 9 et 20 Martii; idem eidem, de Canisio Romam remittendo, 30 Martii; Cardinalis Farnesius Joanni de Vega, de Canisio, medio Martio; idem de eodem juratis et civitati Messanensi, eodem mense; Polancus, *ex commissione*, de iisdem Hieronymo Domenech, 20 Martii; idem eidem, de substituendo sibi Andrea Frusio in schola theologiae, 8 Junii; idem eidem, de flagellando in schola pueros, 22 Junii; Ignatius et Polancus pluries hoc anno de Sbrando et Stephano, qui non in omnibus se bene gessisse videntur; Ignatius de Universitate, Hieronymo Natali; idem Annibali Coudreto, de libris praelegendis, 24 Augusti 49.

353. Mense Septembri sacerdos quidam insignis, qui Peronus dicebatur et magnam doctrinae existimationem ea in civitate habuerat, ex hac vita decedens, cum magnam librorum supellectilem haberet, bonam eorum partem Collegio nostro legavit, quod hujusmodi subsidio non parum egebat.

354. Quidam pii viri ex his qui frequenter ad Sacramenta suscipienda et conciones ad nostrum templum accedebant, fere sexaginta numero, congregati nostri sacristae opera, studium peculiare impendere charitatis functionibus proximis juvandis, tam pauperibus, qui emendicare erubescebant, quam aliis, qui in custodiis publicis detinebantur, decreverunt, et suam operam offerentes, dirigi a nostris optarunt, quos P. Natalis confirmavit in bono charitatis proposito et spiritualia eis auxilia obtulit.

355. Cum autem eorum numerus cresceret, qui vel in Societatem nostram erant admissi, vel se admitti postulabant, cogitare coepit Pater Natalis de domo aliqua ad probationem eorum assumenda, quae separata esset a Collegio, et a duobus vel tribus de Societate nostra regeretur, ut postquam ibi unum annum, vel quantum satis esset, habitu proprio retento, in humilitatis, obedientiae et orationis exercitationibus versati essent, ad nostrum Collegium transferri possent; et rem cum quibusdam ex primariis viris contulisset, eamque collaudassent, ad P. Ignatium detulit. Et quamvis hoc anno exsecutionem id non habuerit, quia tamen hujusmodi domorum probationis tum primum mentio fieri facta est, non silentio id praeterire volui [1].

356. Cum Episcopus pactensis, regni Siciliae Inquisitor, aliquem nostrorum ad visitationem sibi adjungi per litteras a nostris peteret, mense Julio hujus anni re considerata, visum est id ei non esse denegandum; et P. Andreas Frusius ad id munus cum approbatione electus et ad Inquisitorem missus fuit; et in ipso itinere de quodam sacerdote, qui valde a sua professione recesserat, bene meritus fuit, eum ad saniorem mentem per colloquium ac deinde per confessionem reducendo. Ubi autem ad pactensem Ecclesiam pervenisset, quotidie ad clericos

---

1 Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Natali, de domo probationis Messanae instituenda quid senserit Ignatius et de Superiore tali domui praeficiendo, 6 Julii; idem eidem, de novitiis, 20 Julii 49.

exhortationem aliquam habere coepit; et lectionem quotidie aliquam de rebus ad catechismum pertinentibus, ipso Inquisitore, canonicis et aliis clericis praesentibus, praelegebat. Familiaribus etiam colloquiis et Exercitiis spiritualibus tam pactenses quam alios de familia Episcopi juvare curavit.

357. Prosequebatur autem Patrem Andream Inquisitor magna dilectione, et illum apud se habere semper cupiebat, immo et Exercitiis spiritualibus ab eodem excoli cum suo Vicario, qui nepos ejusdem erat, si negotia visitationis id permisissent, optabat; cum tamen Messanae esset brevi venturus ipse Episcopus, ibi satisfieri posse ejus desiderio videbatur. Ad Societatem nostram valde idem Inquisitor et Episcopus affectus erat, et ex ejus domesticis aliqui interim documenta spiritualia cum magno ipsorum fructu ab eo acceperunt. Quia vero sacerdotes illius dioecesis valde pauperes erant, adeo ut sine labore manuum vitam traducere non possent, in concionibus, quas habebat ad populum idem Pater Andreas, ad seminanda in illis temporalia ut spiritualia meterent, est adhortatus; et ipso Episcopo in id ipsum incumbente et aliqua utiliter constituente, illi incommodo paupertatis congrue prospectum est. Concionabatur in singulis populis, quos Episcopus visitabat, et detentos in custodiis pauperes consolabatur et eorum confessiones audire nitebatur, et demum tam in his quae ad spiritum quam in his quae ad corpus pertinebant, de illis bene meritus est; quidam etiam pauperculus, qui injuste cum magno suae familiae detrimento in carcerem conjectus fuerat, ut liberaretur impetravit.

358. Initio hujus anni Pater Jacobus Laynez non exiguo negotio ab Urbe Neapoli, quam mire suis concionibus demeruerat, in praetoria triremi cum socio Joanne Philippo [1] et duobus aliis, qui Societati adhaeserant, profectus fuerat. Neapolitani autem jam inde ab eo tempore Patrem Alphonsum Salmeronem, cum non possent retinere Patrem Laynez, petere a Patre Ignatio coeperunt. Pervenit autem Laynez in Siciliam decima sexta Januarii prospera admodum navigatione, et Panormi a Pro-rege, Joanne de Vega, cum uxore et filiis, domino Didaco de Corduba, et Inquisitore magna cum charitate fuit exceptus, statimque ei templum quoddam Panormi, in quo com-

1 Cassino.

mode posset in quadragesima ejus conciones Pro-rex cum sua domo audire, fuit designatum [1].

359. Interim Gubernatorem Montis-regalis (quae civitas tantum tribus milliaribus Panormo distat) et alias ejus civitatis personas convenire coepit, et ut satisfieret Cardinali Farnesio, qui Visitatorem eum cum ampla auctoritate in suo Archiepiscopatu instituerat, et interim dum quadragesima accedebat, cum ipso Gubernatore Montem-regalem se contulit, ubi diebus festis populo, profestis autem monachis, et sacerdotibus, ac monialibus etiam seorsum, quae ad profectum ipsorum pertinebant, praedicare constituit, docere etiam catechismum et per spiritualia Exercitia aliquos juvare; et interim quae ad visitationem pertinebant, acceptis cum dexteritate informationibus, tractare cogitabat [2].

360. Aegrotaverat non mediocriter Pater Hieronymus Domenech anno proxime elapso Panormi, sed sub initium hujus anni, vires aliquo modo recuperans, quibusdam pietatis operibus pro more suo vacabat, ac praecipue pacem quamdam inter nobiles aliquos viros, qui graviter et cum magno periculo suo et aliorum dissidebant, conficiendam curavit. Audierat etiam Pro-regis ac ejus uxoris et filiae confessiones; sed dum parum suae valetudini consulit, in morbum recidit; et cum jam, facultate a Patre Ignatio impetrata Valentiam ad quaedam pia negotia expedienda se conferendi, et Pro-rex ipse id permitteret, et in navigium sarcinas deferri jussisset, visum est tandem Proregi, donec confirmaretur valetudo illius, non esse eum labori navigationis committendum, et ita etiam hoc anno in Sicilia substitit.

361. Coepit concionari Panormi Pater Jacobus Laynez dominica Septuagesimae, et id etiam fecit in die Cathedrae Sancti

---

1 Ignatius Abbati Evangelistae, Neapolim, gratias agens de bene excepto Patre Laynez, 18 Januarii 49; idem Patri Laynez, 30 Martii; idem Andreae Lipomano, de valetudine Patris Laynez, etc., 6 Aprilis; idem Hieronymo Domenech, de cura adhibenda ne iterum Laynez in aegritudinem recidat, 13 Aprilis; Ignatius Joanni Philippo Cassino, de ejus ad patrem patrisque ad eum litteris, 27 Aprilis; Polancus, *ex commissione*, de studiis quibus incumbat oportet Joannes Philippus Cassinus, 22 Junii.

2 Laynez Ignatio, de visitatione Dioecesis Montis-regalis, etc., 1 Maii; Ignatius Patri Laynez, de iis quae a Cardinali Farnesio expetebantur, 11 Maii; idem eidem, de informationibus capiendis, 12 Junii; Polancus, *ex commissione*, eidem, de Suffraganeo Montis-regalis, 31 Augusti; idem eidem, plura de visitatione, 26 Octobris.

Petri, praesentibus Pro-rege, Inquisitore et frequenti ac nobili auditorio, et quidem, uti solebat, cum magna et satisfactione et approbatione. Rediit tamen Montem-regalem ut quod coeperat prosequeretur, donec jam quadragesima imminente Panormum, ibidem mansurus, petiit.

362. Interim P. Hieronymus Domenech cum Pro-regina de Collegio Panormi instituendo agere coepit, ut quemadmodum Pro-rex Messanae, ita ipsa Panormi hoc ipsum opus promoveret. Coepit illa, ut erat insignis pietatis et valde strenua, rem magno affectu tractare, et erat inter nobiles, cum quibus illa rem tractabat, qui privatis sumptibus diceret se Collegium erecturum, si civitas id facere detrectasset [1].

363. Aggressus interim est conciones quadragesimae Pater Jacobus Laynez et quamvis primo quadragesimae die se debilem experiretur, voluit tamen concionari, ut etiam secundo; sed tertio, id facturus, cum nocte praecedenti laborare fluxu coepisset, nihilominus ut concionaretur in ecclesiam venit; at febris interim eum est adorta, et frigida quidem, quae, dum Pro-rex et ejus uxor et civitatis primores sacrum audiunt ante concionem fieri solitum, ita crevit ut ea simul cum fluxu permolesto non solum concionem prohiberet, sed ne pedibus quidem subsistere permitteret. Pater ergo Hieronymus Domenech de repentino morbo Pro-regem et alios admonens, sollicitos eos de Patris Laynez aegritudine fecit, et cum medici eum inviserent, sic uno die vires ejus tam febris quam fluxus prostravit, ut de ejus vita valde dubitare inciperent; et ad domum Gubernatoris Montis-regalis deductus, voluntati Dei se totum permittens, hilari animo quod Ipsi placuisset exspectabat; et pro miraculo habitum est quod repente, sicut eum invaserat, ita et

---

1 Hieronymus Domenech Ignatio, Panormi, 6 Decembris 48; Polancus, *ex commissione*, Hieronymo Domenech Panormum, 5 Januarii 49; domina Eleonora Osorio, Siciliae Pro-regina, Ignatio, ineunte Decembri 48; idem Hieronymo Domenech, de domino Didaco de Corduba, 9 Februarii; idem eidem, de Collegio Panormi erigendo, ne desperet, 2 Martii; idem Patri Laynez, ne quidquam in particulari, quoad personas praesertim, pro Collegio polliceantur, 11 Maii; idem eidem, ne curam animarum cum Collegio suscipiant, eadem die; idem civitati Panormitanae, 1 Junii; Ignatius Pro-regi et Pro-reginae, eadem die; Polancus, *ex commissione*, de mittendis ad studia Panormi Septembri mense inchoanda, eadem die; idem Patri Laynez de eisdem, et quid dicent Pontifici, cum, Panormum jamjam abituri, ad ejus pedem osculandum accedant, 6 Julii; idem eidem de Universitate Messanensi, eadem die; idem Hieronymo Natali, quare Societas Universitatem per se sola regere velit, motiva duodecim, eadem die.

reliquit tam febris quam fluxus, et coepit appetitum edendi et vires recuperare. Medici tamen ne recideret, concionandi laborem prohibuerunt; quare Pater Hieronymus Domenech, ejus loco, Pro-rege id petente, conciones prosequutus est. Laynez autem brevi et ad esum piscium quadragesimae et ad conciones rediit; sed secunda concione, quae fuit ipso die Annunciationis, acerbissimo dolore colico per sex vel septem horas vexatus et admodum debilis redditus, ad aliquot dies denuo abstinere a concionando debuit. In illa tamen, die Annunciationis facta, commendavit auditoribus ut hospitali incurabilium, magnam penuriam patienti, subvenirent; sequenti die Pro-regina eo se contulit et, cum ita esse, rem oculis perlustrando, intellexisset, coepit ipsa eleemosynam decem aureorum conferre, Pro-rex misit quinquaginta, et ex reditibus regiis centum. Commisit etiam uni ex filiis suis ut simul cum duobus aliis nobilibus viris eleemosynam pro eo hospitali a civibus panormitanis quaereret; itaque hospitalis necessitati praesenti, quingentis aureis collectis, commode prospectum est. Alteri etiam ex filiis commisit ut in subsidium conversarum ac puerorum orphanorum eleemosynam etiam undecumque quaereret, et sic pro aliis monasteriis ac locis piis ope indigentibus. Optimo ergo exemplo toti urbi exhibito, cum magno Dei honore et pauperum consolatione, domibus piis a Patre Laynez commendatis subventum est.

364. Dum autem Pater Laynez vacabat, Pater Hieronymus Domenech ejus loco Pro-regi et juratis concionatus est. Cum tamen ex auditoribus Patris Laynez non pauci peroptarent ut ad suas conciones rediret, cum primum commode potuit, tertio eas aggressus est [1].

365. Cum autem eo die quo Evangelium Magdalenae legitur, jussu Pro-regis peccatrices publicae ad conciones ipsius vocatae fuissent et etiam consequentibus interessent, ex illis multae ad Dominum conversae fuerunt. De sexdecim ex eis id constabat, quas domina Eleonora Pro-regina pro solita sua cha-

---

1 Ignatius Hieronymo Domenech, de cura habenda valetudinis Patris Laynez ejusque laboribus moderandis, 13 Aprilis; idem Patri Laynez, ne aestivo tempore iter faciat neve Messanam se conferat, 11 Maii; Laynez Ignatio, 6 et 12 Junii; Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, plura, 29 Junii; idem eidem, de locis ubi concionari eum in Sicilia oporteret, 13 Julii 49.

ritate amanter domi recipiebat, et partem earum, curatis dotibus, in matrimonio collocandas, alias in monasterium Conversarum deducendas curavit, alias domi retinuit.

366. Erant autem novem, quae, Pro-regina rogante et comitante, monasterium ingressae sunt, ibi tamdiu mansurae juxta Pro-reginae promissionem, donec in matrimonio possent collocari; hae statim ac ad monasterium deductae fuerunt, contestatae sunt quod esse religiosae volebant. Accidit autem ut secundo die hebdomadae sanctae, simul cum monialibus, completorii officio interessent; sed quia ridebant et parum quiete ibidem versabantur, moniales jusserunt eas choro recedere. Finito completorio et ingressis in obscurum quemdam locum ad flagellationem, quam disciplinam vocant, monialibus, hora noctis fere secunda, una conversarum, quae a choro et disciplinae loco ejecta fuerat, quaeque duriorem caeteris se praebebat, aegre ferens quod ejecta fuisset, prope portam substitit, quae aliquantulum aperta mansit. Illa ergo curiose agens, quamvis obscurus esset locus, introspicere tamen voluit. Accidit autem, ut creditum est, divinitus, ut splendor quidam coruscaret, sub quo tam moniales quam earum disciplinas videret; simul autem cum hoc externo aspectu cor ejus interius ita Dominus tetigit, ut magna cum compunctione et simul consolatione diceret se velle religiosam fieri. Hoc inter suas socias dicebat, et cum earum una id non crederet, nec forte moniales, statim capitis velamen projecit, et inaures ab auribus sustulit, rogavitque ut capillos suos tonderent et monachali habitu ipsam induerent. Cum altera ex sociis id videret, eodem spiritu incitata tantumdem fecit; tres aliae statim eam secutae sunt; moniales autem suis se vestibus exuentes eas induerunt, et magno fletu devotionis excitato, coram imagine B. Virginis orare illae coeperunt, et moniales cum animi laetitia magna *Te Deum laudamus* cecinerunt. Et cum Pro-reginae rem significassent et, capillos abscissos mittentes, vestes monachales novis conversis petiissent, eas illa libentissime conficiendas curavit. Pro-rex vero, ut ea de re clarius constaret, judicem cum notario ad monasterium misit, qui publicum actum conficerent, cui etiam voluit Patres Laynez et Hieronymum interesse, quod cum magna animi et consolatione et tranquillitate viderunt; et duae aliae easdem imitatae

sunt; itaque ex novem duae solae matrimonio collocandae ibi manserunt [1].

367. Quod ad Collegium Societatis attinet, rem urgebat Pro-regina, et cum in publico consilio civitatis die Martis Sancti res fuisset proposita, omnes illi, qui triginta numero erant, nemine dissentiente, opus Collegii amplexi sunt, et hanc suam voluntatem et Pro-regi et nostris significarunt; reliquum erat tamen et de loco et aliis de rebus particularibus certi aliquid constituere. Scripsit autem praetor et jurati civitatis Panormi ad P. Ignatium 13 die Maii, significando animi sui desiderium ut doctrinae et institutionis, quae a nostris Collegiis proficisci solita erat, participes fierent, eum rogando ut aliquos de nostra Societate ad hoc opus instituendum pro sua charitate mitteret, se autem domum idoneam et quae necessaria essent ad victum et vestitum esse subministraturos. Nobiles etiam multi nostros primo quoque tempore eo mitti ad juventutis erudiendae curam assumendam vehementer expetebant [2].

368. Fuit autem domus a nostris electa, quae et habitationem commodam et classes ad studiorum commoditatem et ecclesiam satis vicinam habebant. Inivit autem civitas, Pro-rege adjuvante, rationem opportunam ad domum comparandam et in nostrum usum aedificandam et quingentos aureos annui reditus coëmendos. Quamvis enim Imperatori Carolo V civitas supplicaverat ut aliquam abbatiam (sunt autem plurimae in eo regno, non solum disciplina religiosa sed monachis etiam destitutae, quae in commendam, ut dicitur, dari solebant) ad Collegii dotationem concederet, dixit Pro-rex non esse illi fundamento innitendum, sed reditus praedictos ab ipsa Societate [3] emendos, et, si Imperator quod optabatur concederet, abbatiae reditus ad augmentum operis cessuros. Missum est etiam viaticum, et Pro-regis litterae ad Summum Pontificem missae sunt et aliae ad eumdem Patrem nostrum Ignatium; quia tamen aestivo tempore non videbatur expedire ut nostri Roma mit-

---

1 Litterae historicae hujus anni 49, ad omnes Societatis domos missae.

2 Civitas Panormitana Ignatio, 13 Maii; Ignatius Civitati Panormitanae, 1 Junii; Eleonora, Vice-regina Siciliae, Ignatio, hoc anno 49; Joannes de Vega Summo Pontifici, Paulo III, pro Collegio Panormitano, hoc anno 49.

3 Sic, sed error est manifestus pro *civitate*.

terentur, praesertim in Siciliam, usque ad Septembris initium nostrorum missio dilata est [1].

369. Inter eos ex nostris, qui in Sicilia versabantur, frater laicus erat, nomine Julianus, natione Flander, Messanae in Societatem admissus, qui cum P. Hieronymum Domenech comitaretur, aliis etiam pietatis operibus diligenter vacabat, ac praesertim in ministerio distribuendarum eleemosynarum Proregis. Curavit etiam haud exiguo cum labore ut, quoniam nostri pauci erant Panormi et occupati, nec proinde poterant confessiones eorum, qui in custodiis publicis detinebantur, audire, ex diversis monasteriis confessarii ad carceres mitterentur, in quibus super trecentos confessionis et communionis Sacramentis reficiendos curavit, quod insolitum quidem erat Panormi. Et quia ex illis multi in casus reservatos inciderant, eleemosynam etiam conquisivit ut diplomata quaedam, quibus facultas eis concederetur ad obtinendam absolutionem, impetrare valerent.

370. Aliqui in Societatem sunt admissi, inter quos duo juvenes qui Pro-reginae inserviebant.

371. Prosequebantur interim Patres Laynez et Hieronymus Domenech consueta pietatis opera, quibus adjecit etiam Pater Laynez praedicationem in publicis custodiis de rebus quae ad eorum statum peculiari modo pertinebant. Cum autem ubi Pro-regis erat palatium, custodia hujusmodi hominum publica esset, Pro-regina non solum audiebat conciones sed eisdem diebus, quibus P. Laynez concionabatur, eleemosynam ibi detentis largiebatur, ut spiritualem simul et corporalem refectionem acciperent.

372. Rogatus ab Inquisitore, cum actus Inquisitionis celebraretur, Pro-rege ejusque uxore praesentibus eorumque tota domo, cum fructu concionatus est.

373. Curavit Romae P. Ignatius, Pro-rege Siciliae id petente, ut Litterae Apostolicae in forma Brevis ad reformanda in Silicia monialium monasteria mitterentur. Siciliam ergo cum perlatae essent admodum opportune, adhibita Pro-regis

---

1 Polancus, *ex commissione*, domino Andelot, de concessione ab Imperatore in favorem Collegiorum Panormitani et Messanensi facta, 11 Maii; Li Jurati della nobile città di Palermo, Ignatio, 13 Maii 49.

auctoritate, magnus inde reformationis fructus est consequutus.

374. Cum Conversarum domus arcta satis esset et, aucto monialium numero (nam, praeter eas, quae dictae sunt, aliae ad idem institutum suscipiendum accesserunt, et una inter caeteras insignis, quae magnarum adversus Deum offensarum causa fuerat), incommode habitarent, curavit Pater Hieronymus Domenech ut aedificium ex eleemosynis augeretur. Ut autem hospitali incurabilium in posterum consuleretur, hac ratione curatum est; calendis Maii Pro-regina primarias Panormi matronas ad se vocari jussit, ex quibus Societas quaedam confecta est hac lege, ut singulis mensibus earum singulae certam quamdam eleemosynam in incurabilium sublevationem conferret. Voluit autem ut P. Jacobus Laynez, concione apud eas habita, rem proponeret et ut singulis mensibus congregarentur, et foeminas in hospitali incurabilium decumbentes inviserent, hortaretur; et id saltem est obtentum ut ad eleemosynas dandas convenirent. Pecunia apud Pro-reginam cum alia ex illis matronis deponebatur, quam jam ex eo die conferre coeperunt. Consequenti vero mense, cum aliam exhortationem idem Pater fecisset, non solum eleemosynas solverunt, sed multae ipsarum ad integrum annum eas simul dederunt.

375. Crebro Pro-rex ad confessionem et communionem accedebat, ejusque exemplum alios ad imitationem merito invitabat.

376. Clausura in monasteriis monialium, Patre Hieronymo id curante et Pro-rege favente, juxta Concilii decretum et religiosum monialium institutum effecta est, et paulatim ad integram earum reformationem procedebatur.

377. Parabantur interim supellectilia, quae ad usum futuri Collegii necessaria futura erant, ut tanto commodius nostri domo ipsis jam parata exciperentur [1].

378. Post quadragesimam, quamvis festis diebus ac dominicis P. Jacobus Laynez Panormi concionaretur, Montem-regalem tamen ad reliquos dies se conferebat et serio negotium sibi visitationis a Cardinali Farnesio commissum prosequebatur; et cum magnae essent inter monachos et clericos con-

---

1 Ludovicus de Mendoza Patri Laynez, mense Augusto.

troversiae et valde antiquae, ad eas componendas miram adhibuit diligentiam, et etiam reconditas scripturas, quae in archivio magni monasterii servabantur, ut majore cum luce procederet, legere voluit; et ita de rebus omnibus ad Cardinalem perscripsit et eam rationem ineundae concordiae excogitavit, quae merito admitti deberi visa est. Referebat Cardinalis Bernardinus Maffaeus quod paucis illis diebus, scilicet, ante quadragesimam, quibus Pater Laynez in Monte-regali fuerat, plus effecerat, quam quatuor annis fieri ab aliis potuerat. Cum autem post Pascha eo rediisset, accepto a Cardinali Farnesio, Archiepiscopo Montis-regalis, responso et iis mediis, quae suggesserat, approbatis, ad perficiendum opus coeptum manum admovit. Et cum Monasterium Monialium reformatione magna indigeret, et quae aliis praeerat abbatissa, nobilissima quidem esset, sed nec exemplo vitae nec gubernationis prudentia, reformationis negotium promoveret, immo eam omnino impediret, effectum est ut ex eo monasterio in aliud Panormum egrederetur, et curatum cum ea ut officio suo renunciaret. Id cum conscientia rerum suarum initio facere vellet, sed postea, muliebri inconstantia vel ambitione, se velle renunciare negaret, informationem capere de rebus ejus Pater Laynez coepit; quae, cum hujusmodi esset ut etiam moniales, quae ei favevant, ad magnum ejus dedecus redundaturam (praeter justam depositionem) intelligerent, ut renunciaret ei suaserunt; et ita suo abbatissae officio cum summo monasterii commodo et populi aedificatione se abdicavit. Interim dum illa Panormi agebat Pater Laynez, universi monasterii confessiones audivit, et exhortationibus nonnullis ad eas habitis, moniales ad omnem reformationem disposuit. Igitur in die Pentecostes multis cum lacrymis et devotione Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum (quod undecim annis proxime elapsis tali die non fecerant) acceperunt, et cum magna animi consolatione ad omnia, quae ipsarum institutum exigebat, paratas se exhibuerunt [1].

379. Cum etiam in aestate Pro-rex cum sua domo Montem-regalem (quae civitas temperiem habet coeli commodam, cum tamen Panormi molesti sint aestus) se contulisset, et nostros

---

1 Cardinalis Farnesius Patri Laynez, ei committens reformationem monasterii Montis-regalis, 30 Martii; idem eidem, de visitatione dioecesis, 30 Julii.

ibidem manere oporteret, coepit in cathedrali Ecclesia Pater Laynez diebus dominicis et festis concionari, et profestis diebus aliquot in hebdomada Ecclesiastem interpretari, ut eis curialibus, qui ad eam lectionem ipsum erant adhortati, mundi hujus vanitatem ostenderet. Pater Hieronymus etiam post meridiem christianae doctrinae lectionem suscepit, quam ter in hebdomada in monasterio monialium, ad eorum et populi confluentis utilitatem, est prosequutus. Et quidem utriusque labor cum fructu egregio conjunctus fuit. Aliis etiam pietatis operibus uterque operam dedit.

380. Interim et Litteras Apostolicas et alia, quae expetierat a Cardinali Farnesio, ad monasterii primarii monachorum, et ad clericorum ac populi utilitatem, et ad suffraganei mutationem, et eleemosynas ad clericorum sublevationem, orphanorum, hospitalis, et in universum omnium pauperum Montisregalis accepit; et ea ratione in spiritualibus et temporalibus de omnibus P. Laynez per benignitatem Cardinalis bene mereri, ut optabat, potuit. Pro-rex enim magnopere de iis, quae providerat Cardinalis, laetatus suam ad omnia auctoritatem et brachium est pollicitus. Et optimus est odor de Cardinalis optima mente et liberalitate consequutus. Alia etiam quae suggesserat Cardinali Pater Laynez, brevi se missurum promisit. Inter alia scripserat de aliquibus e nostra Societate ad docendos juvenes et populum in spiritu juvandum a P. Ignatio petendos, sed id aliquandiu dilatum est.

381. Moniales, quibus Vicarium idoneum praefecerat Pater Laynez, ad communem vitam juxta suum institutum observandam se contulerant, et sufficere sibi ad plures dies necessaria, quae prius ad pauciores non sufficiebant, experimento didicerunt et testatae fuerunt. Silentium etiam tenere, divinis Officiis omnes adesse, clausuram diligenter observare, singulis mensibus confiteri et communicare, et demum, quod a fundatione monasterii nunquam factum fuerat, sui instituti formam exacte servare cum magna animorum renovatione coeperunt [1].

382. Sub finem Augusti, cum urgerent ex Sicilia nostri, misit P. Ignatius ex Urbe aliquos, qui Collegio Panormitano

---

1 Ignatius Messanensi civitati, de mulierum ordinaria cura a nostris non suscipienda, 11 Maii 49.

principium darent; et quidem novem numero fuerunt; nam duo alii Patavio accersiti, qui nondum venerant in Urbem, postea sunt profecti. Caput priorum et Collegii Rector institutus erat P. Nicolaus Lanoyus, cui P. Paulus de Achillis adjunctus est, uterque Theologiae Doctor. Cum autem Neapolim pergerent, unum ex nostris, scilicet Michaëlem Botellum miraculo liberatum esse a praecipitio creditum est ; equo enim corruente, ipse in alteram partem desiliens substitit. Invenerunt Neapoli peropportune Patrem Nicolaum Bobadillam, qui eo ad negotia quaedam pia venerat, ut infra dicetur. Id autem necessarium omnino fuit, tum ut eorum trajectionem in Siciliam in triremibus curaret, quod per dominam Joannam de Aragonia, Ducissam, a domino Berengello, classis duce, impetravit, tum ut duorum curam gereret, qui Neapoli in gravem febrim inciderant, vel ex nimio aestu, vel forte ob aëris mutationem, quae eo tempore Neapolim versus euntibus admodum insalubris creditur. Horum ergo curam ille magna cum charitate gessit, et aliqui ex amicis Societatis omnia necessaria ipsis amanter obtulerunt. Placuit autem Domino alterum, qui natione gallus erat, nomine Paschasius, et ad docendum mittebatur, ad meliorem vitam, omnibus Sacramentis acceptis, vocare; alter autem, qui magister Joannes Rogerius parisiensis erat, et ut lector etiam litterarum humaniorum mittebatur, cum medici pene desperarent de ejus vita, accepto jam viatico, convaluit. Sed dum illi Neapoli curantur, septem alii, in praetoria triremi perbenigne excepti, prospera navigatione Panormum sunt delati; nec tempus in ipso itinere ex Urbe Siciliam usque sine spirituali fructu elapsum est. Nam inter alios qui ab ipsis adjuti sunt, quidam, qui militarem ordinem ferebat, in fide dubius, confirmatus est ; in quibusdam etiam locis, antequam Neapolim pervenirent, in plateis concionati sunt, et exemplum aliis ipse Rector in hoc humilitatis et charitatis genere praebuit. In triremi etiam tam vincti plurimi quam alii, inter quos ipse dux erat, et consolationem et spirituale auxilium ex nostrorum exemplo et doctrina in exhortationibus et colloquiis retulerunt[1].

---

1 Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Domenech , de parando viatico ituris Panormum ad Collegium inchoandum, 17 Augusti; idem Natali, de quodam philosophiae

383. Occurrit illis prope portum P. Hieronymus Domenech, qui, bombardarum sonitu audito, ex Monte-regali eo venerat et cum aliis nobilibus nostros in triremibus quaerebat. Magna ergo utrinque animi laetitia accepta, cum valde exspectatus eorum adventus esset, ad domum ipsis jam paratam cum habitatione percommoda et supellectilibus instructa, horto et classibus, deducti sunt. Quo statim nobiles non pauci et inter eos duo, quibus procuratio Collegii a Pro-rege commissa erat, ad eos salutandos officiose, et paulo post ipsa civitas, id est, quinque vel sex jurati, civitatis nomine, ad congratulationem de adventu et ad victum necessaria offerenda venerunt. Situs domus in saluberrimo et optimo loco civitatis erat, et quinque classes, horto intermedio a collegialium habitatione sejunctae, satis commodae paratae erant, nam ad publicam viam ejus aditus patebat, et tamen nostri ab interiori parte ad eas ingredi poterant. Negabat P. Paulus se scholas commodiores Parisiis vidisse. Gavisus est autem valde Pro-rex de nostrorum adventu cum Pro-regina; quamvis alii Neapoli et Roma venturi exspectabantur, antequam ad eos salutandos, Montem-regalem se, qui jam venerant, conferrent. Donec autem illi venirent (inter quos erat Petrus de Rivadeneira Rhetoricam, et magister Joannes Rogerius humaniores litteras professurus) non videbantur lectiones esse inchoandae.

384. Pater tamen Jacobus Laynez, Panormo cum concionaretur in cathedrali Ecclesia, praesente Pro-rege et juratis, populo denunciavit et adventum nostrorum et fructum, qui ex Collegio sperari poterat; et quia ad paucos dies Messanam Prorex iturus erat, ad ejus usque reditum studiorum initium dilatum fuit. Comitatus est autem P. Laynez Pro-regem, et cum 15 Octobris Messanam pervenissent, renovationi studiorum, de qua superius mentio facta est, interesse potuerunt. Ipse Pater Laynez in Cathedrali templo Pro-regi, et juratis, multisque nobilitus ac frequenti populo concionatus est, et quidem tanta cum libertate et fervore spiritus, praeter doctrinam copiosam, quae illi familiaris semper erat, ut non solum satisfactionem maxi-

---

professore loco N. (Isidori) qui forte dimittendus esset, Messanae substituendo, eadem die; idem Nicolao Bobadilla, de profectione Petri Rivadeneira Siciliam versus, 5 Octobris; idem Domenech, de Rogerio et Paschasio Neapoli propter aegritudinem subsistentibus, 16 Septembris 49.

mam sed admirationem etiam in auditoribus reliquerit; et in festo Sancti Simonis et Judae tantumdem praestitit. Demum cum Pro-rege Panormum rediit, ubi interim in magna exspectatione lectionum civitas erat; et quamvis templum proprium nostri non haberent, tam frequentes accedebant ad vicinum, ubi nostri sacrificia Missarum celebrabant, ut vix sacerdos ad altare posset accedere, cum prius velut deserta ea ecclesia haberetur.

385. Accidit autem ut eo tempore vir quidam nobilis, ex Hispania oriundus, quem Ludovicum Sancium Regentem vocabant, in gravem morbum incideret. Is erat Pro-reginae valde addictus et ad juvandam Societatem propensus, quem, cum sanus esset, Pro-regina non semel ad adjuvandum pium opus Collegii fuerat exhortata. Cum autem in morbum incidens, quingentos aureos cuidam monasterio, Sanctae Zitae nominato, dedisset, significavit ei Pro-regina rem quidem se valde probare, sed invidia quadam sancta pro Collegio nostrae Societatis se laborare, ipsumque rogavit ut illius memor esset; cui respondit Regens se, sive superstes esset, sive ab hac vita recedendum illi foret, id quod rogabatur, praestiturum. Cum autem medici mortem ipsi imminere denunciassent, misit ad eum Pro-regina et ut de rebus suis disponeret hortata est; ille vero ut accedere ad se Pro-regina dignaretur, cum ejus consilio vellet testamentum conficere, precatus est. Adfuit illa, quam haeredem universalem Regens instituit, ac significavit duas se domos habere, quas vellet in Collegii usum cedere, nisi aliis pietatis operibus eas applicandas Pro-regina censeret. Admisit haereditatem Pro-regina, non aliam utilitatem ex ea quam charitatis exercitationem erga opera pia habitura. Illa ergo aliquid ex ipsarum domorum pretio pueris orphanis relinquere statuens, quod reliquum erat, ad Collegii amplificationem applicavit. Ascendebat autem domorum valor minimum ad octo vel novem millia ducatorum; quae tamen venditae tunc non fuerunt, et ex locationis pretio, ad viginti quinque supra trecentos aureos singulis annis ascendente, Pro-regina orphanis pueris, quam constituerat, eleemosynam donavit. Romanae etiam domus necessitatem, ducentos aureos in eleemosynam mittendo, sublevavit. Antequam a Regente discederet, rogavit eam ille ut nostros ad se mitteret, qui accedere diebus illis cunctabantur, donec testamentum conficerent, ne ad aliquid

ab eo extorquendum nostros ei adfuisse populus existimaret. Accersiti ergo post testamentum confectum P. Jacobus Laynez et P. Hieronymus Domenech illi adfuerunt, nec usque ad diem sequentem, quo ab hac vita discessit, eum reliquerunt. Habebat idem tres abbatias, quae cum per ejus mortem vacarent, scripsit civitas Panormitana ad Pro-regem, qui ad paucos dies Messanam iverat, ut unam ex his abbatiis ab Imperatore Carolo in Collegii augmentum peteret; et jam tum ex curia responsum ita fuit ut brevi se compotes voti futuros sperarent [1].

386. Venerant interim Petrus de Rivadeneira et Joannes Rogerius, et ita quae ad principium studiorum oportebat praeparare, diligenter parabantur; nec aliud quam Pro-regis adventus cum Patre Laynez exspectabatur. Cum ergo accessissent, jussit Pro-rex ut praeconis publici voce res per Urbem promulgaretur; itaque 24 Novembris scripta publicis in locis de studiorum initio affixa sunt. Eodem autem die, qui dominicus erat, in templo Sancti Francisci (quod in medio civitatis situm est) pro concione Pater Jacobus Laynez studiorum initium auditoribus, Pro-rege et juratis praesentibus, denunciavit. Post meridiem autem, vespertino officio absoluto, Pater Nicolaus Lanoyus et magister Petrus Rivadeneira per duas horas cum dimidia suas orationes pronunciarunt, et quidem cum attentione et satisfactione auditorum magna; nam Patris Nicolai, qui Theologiam erat professurus, oratio, ut gravis et modesta, magistri Petri autem ut elegans et plena Siciliae laudibus atque ipsius Regis [2], et eloquentia, quam erat professurus, et valde bona actione pronunciata, multum commendatae sunt. Die Lunae, qui Divae Catherinae fuit sacer, Pater Paulus suam etiam orationem perdoctam pronunciavit. Die vero Martis lectiones inchoatae sunt, et id quidem horis distinctis, ut singulos lectores audire quisque posset, P. Nicolaus Lanoyus magistrum Sententiarum, P. Paulus dialecticam Caesarei, Petrus Rivadeneira Ciceronis Rhetoricam *ad Herennium* cum Suetonio Tranquillo, magister Joannes Rogerius epistolas Ciceronis ad *Quintum fratrem* et Horatii, Michaël Botellus epistolas familiares Ciceronis et alia quaedam, sicut et inferiores praeceptores, ma-

---

1 De testamento domini Ludovici Sanctii, Polancus, *ex commissione,* Patri Laynez, 11 Maii 49.

2 Sic; suspicamur tamen Polancum dictasse *Pro-regis*.

gister Juvenalis et Petrus Brixiensis, alios auctores, qui grammaticam tradunt, aggressi sunt. Post primam autem diem eisdem horis praelegere coeperunt; et a mane quidem a decima quinta usque ad decimam octavam, a prandio vero a vigesima prima usque ad vigesimam quartam, partim in lectionibus, partim in exercitationibus in scholis consumebant, et in universum, Deo juvante, omnes suo muneri egregie satisfacere nisi sunt ; et quotidie auditores frequentiores confluebant, praeterquam ad theologicam; cum enim auditores in philosophia nullibi versati fere essent, ea lectio in aliud tempus relinquenda fuit [1].

387. P. Hieronymus Domenech S. Matthaeum in alio templo interpretari coepit, ipse vero P. Jacobus Laynez Pro-regi concionabatur. Sed et omnibus simul scholasticis, quorum numerus in inferioribus scholis in dies crescebat, christianam doctrinam explicare aggressus est, quam magna cum attentione illi audiebant ; et confiteri etiam plurimi coeperunt, quod singulis mensibus libenter deinde pro nostrarum scholarum more fecerunt. Canonicis autem, animarum pastoribus, et aliis clericis, Vicario praesente, de rebus ad eorum vocationem et officium pertinentibus, lectiones aliquas quas magnum fructum esse consecuturum ipsimet testabantur, fecit ; sed hi auditores, sicut et theologiae, non diu perseverarunt. Collegiales etiam nostri, tum in ecclesia vicina, tum in monasterio Conversarum, tum in diversis custodiis cum aedificatione et fructu non poenitendo sunt concionati. Consequebantur autem detentorum in custodiis confessiones, quibus omnibus audiendis quia nostri vacare non poterant, ut rogatu Pro-regis alii confessarii eos audirent, curatum est, et magnae ipsorum multitudini consultum. Et ut operariorum Collegii talentum augeretur, petita est (sic enim id temporis fiebat) a P. Ignatio facultas ut magister Juvenalis Boterius Cisalpinus et magister Petrus Venustus [2] (qui postea Dei Martyr fuit) ad sacros ordines promoverentur, quam libenter concessit [3].

---

1 Polancus, *ex commissione,* Natali, de Sbrando et Stephano, 24 Augusti ; Ignatius eisdem, puncta quaedam de obedientiae perfectione, eadem die ; idem eidem de Universitate, eadem die (huic addidit Polancus, *ex commissione,* quamdam *Instructionem).*

2 Sic; sed rectius multo Orlandinus: "Michaël Botellus lusitanus, Juvenalis e Subalpinis, Petrus Venustus e Valle Tellina „, lib. IX, n. 31.

3 Finis hic est enarrationis rerum hoc anno gestarum in Sicilia. Ad hanc autem enarrationem conficiendam usus est Polancus litteris a PP. Laynez, Domenech, Natali,

388. Cum sub initium hujus anni recessurus in Siciliam esset P. Jacobus Laynez, qui Neapoli, ut dictum est, plurimorum animos ad pietatis studium et ad Societatem nostram expetendam inflammaverat, et cum multorum ac suo nomine Sancti Severini Abbas aliquem saltem successorem submitti per litteras expeteret, missus est P. Nicolaus Bobadilla, qui jam aliquot menses post reditum ex Germania partim Romae, et partim in quodam Episcopatu Italiae visitando exegerat. Est autem ei adjunctus comes Michaël Ochoa, navarrus, de quo superius mentio facta est ; in ipso autem itinere, cum inter alia pietatis opera, Michaël mulierem peccatricem a turpi vita ad honestam traducere niteretur, et ut peccatorum exomologesim faceret persuasisset, quidam ex ejus amatoribus (Neapolim autem omnes pergebant) mortem minatus est Michaëli, si amplius de peccatis relinquendis mulierculae loqueretur ; sed non ille propter ejus minas et periculum ab eo, quod propter Deum recte coeperat, destitit. Cum autem Neapolim pervenissent et Patri Bobadilla relatum esset hominem quemdam a civitate Neapolitana ad Summum Pontificem mitti, ut aliquos ex Societate sibi concedi impetraret, quibus et ecclesiam et domum offerebant, visum est ei non esse in urbem ingrediendum donec responsum redderetur. Probabat hoc idem P. Laynez, qui nondum cum triremibus Neapoli recesserat. Ad alia ergo loca, ad veteres amicos invisendos, ipse P. Bobadilla se contulit; Michaël autem in Abbatia quadam, quae *Capella* nominatur, extra urbem mansit. Ea erat Cardinali Sanctae Crucis, Marcello (qui postea Pontifex fuit), commendata. Ibi hispanis militibus (erant autem illi ad duo hominum millia sub domino Garcia de Toledo) coepit Michaël concionari, et aliquandiu piam hujusmodi exercitationem cum eorum concursu et consolatione est prosequutus [1].

389. Rediens P. Bobadilla hoc ipso mense Januario et Nea-

Canisio, Frusio, etc., scriptis Romamque missis, quas indicare, nedum summatim exponere, foret longissimum.

1 Polancus, *ex commissione,* Nicolao Bobadilla, de litteris ab Ignatio scriptis ad dominam Joannam de Aragon et Abbatem Evangelistam ; de catechismi lectione non omittenda : de Exercitiis ; de adventu Petri Riera ; de PP. Laynez et Salmeron, 26 Januarii ; idem eidem, de remittendo Romam Michaële Ochoa ; de Lucretia Bradine ; de Cardinali Burgensi, 16 Februarii ; idem eidem, de litteris ad Imperatoris Curiam mittendis, 2 Martii ; de Episcopo Fabio de Archelis ? , 13 Aprilis ; Ignatius Fratri (Abbati ?) Dionysio, gratias agens, etc., 19 Junii 49.

polim ingressus, apud monachos Sancti Benedicti, ubi etiam Pater Laynez hospitio exceptus fuerat, divertit; ubi Abbatis et monachorum rogatu, qui plus quam explicari verbis posset, Patris Laynez concionibus delectati fuerant, in eodem loco, ubi solitus erat P. Laynez concionari, idem ipse officium praestitit. Et praeter lectionem, quam in cathedrali ecclesia diebus dominicis praelegebat, in ipso monasterio Sancti Severini ter in hebdomada Epistolam ad Romanos enarrabat; et tam vitae integritatem quam doctrinam et spiritum (non autem eodem modo eloquentiam) multum commendabant.

390. Sed et ejus socius Michaël in templo Annunciatae satis celebri est concionatus. Assueti nihilominus doctrinae ac spiritui Patris Laynez, aliquem amici Societatis, qui esset Patri Bobadillae tanquam Moisi Aaron, requirebant. Et quia civitas in communi reditus non habebat, nec facile de templo aliquo in Societatis usum disponere poterat, quamvis privati plurimi aliquod Collegii initium expeterent, res tamen eo tempore non evaluit. Et licet in hospitali Sancti Jacobi et habitationem et quae necessaria essent ad victum, ut saltem transeuntibus in Sicilia et inde Romam venientibus pro hospitio deserviret, offerebant, et duos ex nostris ad hoc saltem, ut alter concionaretur, alter spiritualia Exercitia traderet, postulabant Patri Ignatio (qui alioqui Neapoli Collegium institui optabat) id minime probatum est. Versati sunt ergo nostri Neapoli tota quadragesima et aliquandiu post Pascha, et quotidie P. Bobadilla concionabatur non quidem numeroso, sed constanti et selecto auditorio, et confessiones etiam aliquorum audiebat; quotidie etiam alibi Michaël concionabatur ac pueros in catechismo instituebat; post festum tamen Paschae Romam revocatus est [1].

391. Interim pluribus ex locis P. Bobadilla expetebatur in eo regno; et quamvis P. Ignatius ei libere permisisset ut eo se converteret, ubi majorem se posse fructum capere ad animarum auxilium speraret, nihilominus cum frater Ambrosius

---

1 Polancus, *ex commissione,* Michaëli Ochoa, de ejus fratre, deque reditu Romam versus, 16 Februarii; idem eidem, de concionibus earumque fructu, 20 Martii; idem eidem, 6 Aprilis; de quadam restitutione, 13 Aprilis; idem Nicolao Bobadilla, de sociorum ejus, Rogerii et Paschasii, convalescentia, 28 Septembris; idem eisdem Rogerio et Paschasio, solaminis verba, eadem die, anno 49.

Catherinus, Episcopus minorensis, ejus opera ad dioecesim suam visitandam indigeret, hoc negotium, quo etiam animus Patris Ignatii propendebat, est prosequutus; sed fere per totum Maium mensem substitit Neapoli, et ejus lectiones in dies magis etiam eruditis viris (multi enim tales eum audiebant) probabantur [1].

392. Incalescebat etiam amicorum desiderium de Societate in eam urbem adducenda, et tria loca Patri Bobadillae obtulerunt ut ex eis unus eligeretur; sed quia nihil Pro-regis vel civitatis totius nomine agebatur, eorum desideria solidum fundamentum non habere sunt visa. Pro-rex deinde, dominus Petrus de Toledo, cum eum adiret Bobadilla, et benevolentiam exhibuit et auxilium est pollicitus [2].

393. Post Pentecostem igitur, juxta superius dicta, Minorim [3] se contulit, et ibidem et in vicinis Episcopatibus cum fructu versatus est. Concionabatur dominicis ac festis diebus, et inter magna incommoda quae patiebatur, spiritualis fructus solum eum recreabat. Ejus autem visitatio in ea dioecesi interrupta fuit cum in gratiam Cardinalis Bernardini Maffaei ad negotium quoddam arduum Neapolim rediit, et quidem eo tempore anni, quo non sine periculo valetudinis eo venire poterat; obedientiae enim omnia posthabenda existimavit. Deinde Minorim rediens, quamvis febribus laborasset, non solum concionari diebus festis perrexit, sed omnes pueros civitatis congregatos cum aedificatione magna catechismum docuit. Cum autem in gratiam ejus civitatis Neapolim sub initium Septembris ad quoddam non levis momenti negotium venisset, accidit quod supra dictum est ut nostri, qui ad Collegium Panormi inchoandum mittebantur, ab eo excipi et septem ex illis cum triremi-

---

1 Polancus, *ex commissione,* Nicolao Bobadilla, de visitatione Episcopatuum Minorensis et Tropaeensis, et de Bisignano, 6 Aprilis et 25 Maii; idem eidem, de facultatibus et auctoritate, quibus gaudebit, dum visitationem Minorensis dioecesis peraget, 4 Maii; idem eidem, ut Casertae in gratiam Cardinalis Maffaei id postulantis, aliquantisper subsistat, litteras inde Ignatio det et informationem Cardinali, 8 Junii; Cardinalis Maffaei patentes litterae ad Bobadilla missae, 12 Junii; idem eidem, de eisdem, et de doctrina christiana docenda, ei mittens quosdam ejus doctrinae libellos, 29 Junii; idem eidem, qui aegrum corpore se esse dolebat, de iis qui tunc temporis Romae aegri decumbebant, 10 Augusti 49.

2 Vide infra annot. ad num. 395. — Bobadilla Ignatio, 25 Maii et initio Junii, de locis Neapoli oblatis ad Collegium struendum, anno 49.

3 Aliis est latine *Minora*. Vide FERRARI, *Lexicon Geographicum*.

bus in Siciliam trajicere et qui aegroti substiterunt ab eo curari potuissent [1].

394. Cum autem id temporis de reductione Regni Angliae ad catholicam religionem rumor increbresceret, et Cardinalis Polus, qui Patrem Bobadilla diligebat, eo mittendus esset, alii etiam Praelati eumdem magna benevolentia prosequerentur, ne officiosas quidem litteras ad eos scribere voluit, ne aliquo modo de sui missione sollicitus fuisse vel ad eam aliquid contulisse videretur, sed omnia sincere et per obedientiam ipsi secundum Dei voluntatem injungerentur ; et ita se indifferentem ad omnia offerebat [2].

395. Dum esset Neapoli, curabant aliqui ut lectiones in Cathedrali templo coeptas resumeret; sed occupatus cum aegrotantibus praedictis, et postquam convaluerunt illi, a tribus Episcopis in diversa Calabriae loca evocatus, id oneris non admisit, majori cum auctoritate id subiturus, cum proprium locum Societas Neapoli haberet. Civitas enim in suo desiderio non solum perseverabat, sed et crescere videbatur. Non quidem expensa publica de loco assignando agebatur, sed multi nobiles et pii, tam itali quam hispani, de loco aliquo idoneo ad Societatis Collegium instituendum agebant ; et cum venditioni exponeretur domus quaedam Praedicatorum, quae Sancti Petri Martyris dicebatur, cum adjuncta ecclesia, Regentes et regium consilium id non permiserunt, cum tamen in usum Collegii nostri converti utilius posse existimarent. Haec autem dilatio non sine fructu transacta est. Nam praeterquam quod aucta est plurimorum devotio, complures, qui partim a Patre Laynez, partim a Patre Bobadilla et eorum sociis ad pietatem excitati et in ea promoti fuerant, cum Societas locum ibi nondum haberet, in quo reciperentur, in monasterio Sancti Severini se Dei ministerio consecrarunt [3].

396. Rediit tunc Minorim P. Bobadilla ut visitationem per-

---

1 Haec praeponenda erant. *(Verba haec in margine posita sunt ita ut totam hanc periodum a verbis*, Cum autem in gratiam... *comprehendant.)*

2 Polancus, *ex commissione*, de litteris Cardinalis Poli, de reformatione Congregationis Sancti Onuphrii, Arimini; de quodam magistro Alonso, Societatis benefactore, 13 Aprilis 49.

3 Polancus, *ex commissione*, Nicolao Bobadilla, de iis, qui domos Neapoli offerunt, et de requisitis ut Collegium aliquod a Societate admittatur, 25 Maii ; idem eidem, de profectione Petri de Rivadeneira et de quodam Doctore Thoma Gomez, 5 Octobris 49.

actam promulgaret, et ipso festo Omnium Sanctorum conciones resumpsit et populo paulo post valedixit. Postquam autem valedixit, ibidem tamen aliquandiu haerere debuit ; nam, Archidiacono renunciante suam dignitatem, quod existimaret se in matrimonio Deo melius posse servire, complures alias dignitates et officia mutare debuit. Tandem, concordia inter multos inita, et dubiis multis luce allata, inde recessit, et Policastrum ad Episcopum se contulit ; inde Bisignanum, ubi expectabatur, iturus, et tandem Rosanum, cujus dioecesim erat visitaturus; et ubique ejus opera Dominus ad suam gloriam et aedificationem multorum est usus [1].

397. Missus fuerat Fulginium anno proxime elapso P. Sylvester Landinus, ut superius dictum est. Ibidem primos quatuor menses anni 1549 exegit, ubi pro suo more strenue in illa Domini vinea laboravit ; confessionibus enim audiendis aliquando usque ad duas horas noctis, cum ante lucem mane eas audire coepisset, perseverabat ; generales autem totius vitae confessiones plurimas inter alias et anni initio et postea audivit ; spiritualia Exercitia cuidam Abbati, canonico item, et tertio cuidam clerico proposuit inter alios, qui Patris Ignatii obedientiae se submiserunt. Pacem inter aliquos conciliari studuit, quorum unus, qui offensus videbatur, adduci prius non potuerat, ut offensoribus reconciliaretur; sed accedens ad confessionem Patri Sylvestro, in ejus manus totum pacis negotium rejecit, unde confectum est.

398. Ex civibus primariis et qui publica officia gerebant, ejus opera in confessionibus multi adjuti fuerunt. In christianae doctrinae explicationem quotidie incumbebat, quam aliquando ducenti pueri, praeter alios utriusque sexus homines, clericos ac monachos, audiebant; aliquis ad confessionem adduci non poterat jam ab aliquot annis, quem cum alloqueretur Sylvester ab ejus fratre admonitus, illi ut ad Sacramentum hoc sanctum accederet persuasit.

399. Societatem interim quamdam, quae pietatis operibus vacabat, in sacramentorum Poenitentiae ac Communionis ministerio singulis dominicis diebus consolabatur. Aegrotantes

---

1 Cardinalis Verallus Patri Laynez, de reformatione cleri Rosanensis, 23 Maii ; Polancus, *ex commissione,* Nicolao Bobadilla, de visitatione dioecesis Cardinalis Veralli, 11 Maii ; idem eidem, de excolenda Calabria, 9 Novembris 49.

aliquos invisebat et eisdem Sacramentis recreabat, nec inter hos deerant qui octavo quoque die vel prima dominica mensis se accessuros ad communionem pollicerentur. Voluit autem Episcopus ut saltem diebus Veneris et Sabbati in cathedrali ecclesia confessiones audiret (nam aliis diebus in sacello praedictae confraternitatis eas audire solebat). Rogabat autem eum Episcopus ut dioecesis curam, tamquam ipsius coadjutor, susciperet, et ejusdem opera in visitatione dioecesis usus est. Quando autem P. Sylvester ad societatis praedictae consolationem divinis officiis in eorum oratorio intererat, prae animi laetitia lacrymas effundebant. Ibi etiam, officiis absolutis, ad multam noctem diebus festis confessionibus audiendis vacabat.

400. Interim Casulani, apud quos anno proxime elapso idem fuerat, ad Patrem Ignatium semel ac iterum magno affectu scripserunt ut ad suam et provinciae illius totius utilitatem Patrem Sylvestrum ad eos remitteret; et inter caetera quoddam monasterium, quod anno superiori Casulanis persuaserat instituendum, ob oculos ei proponebant; nondum enim aedificium erat absolutum, et tamen complures virgines, quae ad perfectam vivendi rationem ab eo fuerant excitatae, et magna cum aedificatione in sancto proposito perseverabant, usque ad ejus reditum et alia composita monasterium non erant ingressurae; alia nihilominus bene ab eodem Patre instituta, quamvis utcumque conservabantur, tamen ejus opera adhuc indigere videbantur. Pia admodum haec omnia et attendenda visa sunt; non tamen ad quadragesimam, ut illi expetebant, Fulginio abesse Sylvester poterat.

401. Cum in sepultura defuncti cujusdam concionem haberet, tantopere Dei verbum auditores utriusque sexus commovit ut multi eum adirent et rogarent ut octavo quoque die ipsorum confessiones exciperet, quo ad Domini mensam deinde accedere possent; et mulieres aliquae nobiles ac juvenes, cum domum pervenissent, sua pretiosa unguenta, fucos, aquas odoriferas et alias hujusmodi delicias per fenestram in viam publicam dejecerunt, et deinde permodesto habitu indutae ad P. Sylvestrum in templo redierunt, et se paratas ad omnia quaecumque injungerentur ad animae suae salutem obtulerunt; cujus rei fama cum per urbem et extra eam evulgata esset, Episcopus summa animi laetitia perfusus denuo Patri Sylvestro

suae dioecesis curam commendavit, ut plantes, inquit, et aedifices ecclesias et destruas; Priori etiam Sancti Feliciani injunxit ut ad Dei verbum audiendum se suosque praepararet.

402. Numerus juvenum, qui octavo quoque die, eodem auctore, confitebantur, magnopere auctus est et fere jam erant octoginta, ex quibus maturiores communicabant cum magno parentum et Episcopi gaudio. Hi autem, qui crebro ad Sacramenta accedebant, praesertim ex juvenibus scholasticis, sub noctem, sub ipsomet oratorio ab Episcopo designato ad orationem conveniebant; et haec juvenum congregatio nostrae Societatis nomen sibi imposuit; et tam ferventes hi adolescentes in hoc pietatis opus incumbebant ut cujusdam doctoris honorati filius, cum facultatem a patre petitam non obtinuisset, sine illa huic congregationi se adjunxit, quod postea lubens ejus pater comprobavit.

403. Cum ad templum Beatissimae Virginis Lauretanae se contulisset, in itinere pacem inter quosdam inivit, et alius quidam, qui vulneratus fuerat, injuriam et damnum adversario condonavit; et cum vicini aliquot populi intellexissent ejus reditum, jumenta mittebant, ut ad se hominem deducerent. Et in quemdam pagum tanta multitudo ex sex vel septem aliis locis confluxit, ut eis in aperto campo concionari debuerit; post concionem, quatuor, qui prius inter se dissidebant, invicem reconciliati sunt et, populo petente, se invicem sunt amplexati, et P. Sylvestro sunt polliciti quod parocho, qui vicinus erat, essent confessionem facturi; sacerdotes etiam aliqui ad suas parochias ipsum invitabant [1]..., non cognoscere confitebantur. In ipsa civitate in templo quodam, quod Annunciationis Beatissimae Virginis nomen habet, quo tota civitas confluebat, concionatus est. Cum autem spiritualia Exercitia quibusdam proponere vellet, multi sese opponebant, ne ad religionem illi animum applicarent timendo; sed ea, quae usque ad confessionem generalem in prima hebdomada proponuntur, declarare non omittebat. Quaedam confraternitas, quam ex Urbevetana civitate Lauretum contulerat, cum ejus exhortationem ad crebro communicandum audisset, octavo quoque die se id factu-

---

1 Festinabat hic ad extremum paginae Polanci librarius, et duo, quae, ut videtur, scripsit verba, legere omnino nec divinare valemus.

ram promisit. Publicis lusoribus, dum eos reprehenderet, initio quidem molestus erat; sed deinde placati et corde omnino mutato, et a ludis cessabant, et remedia contra suarum animarum morbos petebant. Per quaecumque oppida vel pagos transibat, non cessabat ab una porta ad aliam alta voce per modum dialogi cum socio de praeparatione ad mortem loqui, et multi ad confessionem et communionem diversis in locis, ubi conciona-batur in via, accedebant.

404. Fulginium cum rediisset, post completorium in cathedrali templo frequenti admodum auditorio, Episcopi loco (qui id facere solitus erat, sed quotidie id praestare minime poterat), est concionatus; et cum canonicorum, tum aliorum magistratuum, qui aderant, confessiones generales sunt consequutae. Sed tam parum laboribus parcebat, ut societas Sancti Hieronymi, ubi habitabat, Patri Ignatio per litteras conquesti fuerint quod suae valetudinis rationem nullam habere videretur. Et cum audissent de discessu ejusdem Patris agi, unus ex magistratibus (*Dominos* ipsi vocant) aegre admodum civitatem ejus discessum esse laturam scripsit; cum non tantum in urbe, sed etiam in vicinis locis cum magna utilitate omnium versaretur; et ita P. Ignatium precabatur, ne ipsum inde removeret. At satisfaciendum fuit Casulanis, ad quos sub finem mensis Maii missus est. Cum tamen prius quaedam dioecesis loca rogatu Episcopi visitasset, in quodam, cujus nomen est Caput aquae eschae, confessionis et communionis sanctae consuetudinem inchoari curavit, et viri et foeminae non paucae octavo quoque die communicare perseverarunt, ubi etiam aliqui, qui in Paschate non erant communicati, relictis inimicitiis, et pace consequuta, communicarunt. His ibi quotidie concionabatur, seorsum sacerdotibus et populo. Alia etiam pietatis opera ibidem instituta fuerunt. Confessiones etiam plurimas audivit. In alio pago, Longus collis dicitur, alia societas ad frequentiam communionis est ab eo instituta, et multi confessi sunt et communicarunt, pace cum inimicis composita, qui tempore ab ecclesia constituto id non fecerant. Superstitiones et magicae incantationes, quibus abundabat locus, extirpandas curavit [1].

---

1 Ignatius Sylvestro Landino, de magistro Angelo et quid erga ipsum Fulginii praestandum, 4 Martii.

405. Cum Casulam pervenisset sub Maii finem, discordes multorum animos offendit, sed virgines, quae se Deo dicaverant anno proximo, cum magna admiratione proficiebant ; eos autem, qui refrixerant, ad optima quaeque inflammare studuit, et statim fere quadraginta quinque eorum confessiones audivit, inter quos oppidi magistratus erant ; et quamvis quotidie concionaretur, octo tamen sacerdotibus simul (ex quibus quinque ex provincia Carfagnana venerant) spiritualia Exercitia tradidit; et eadem hebdomada in sex vel septem locis, ubi concionatus est, multorum confessiones generales audivit ; multi etiam ad sacramentum Communionis accesserunt ; sacerdotes autem, qui exercebantur in spiritualibus exercitationibus, uberrimis lacrymis sua peccata diluebant. Concurrebant etiam ex vicinis populis tam multi, ut ter aliquando in eodem die concionaretur ; inimicitiae, et usurae, et saltationes inhonestae relinquebantur ; cogebat hominum ignorantia et sitis verbi Dei ut in duas vel tres horas conciones extenderet; novem ex sacerdotibus Carfagnanae, ab eo excitati, ad confessionum ac communionum ministerium propter Christi amorem exhibendum se Domino dedicarunt ; quatuor ex illis, qui post Exercitia confessionem generalem instituerant, obedientiae Patris Ignatii se subjecerunt, omnes parochi ecclesiarum et qui vitae exemplo et piis laboribus in vinea Domini colenda elaborabant; quare, cum non videretur ad Dei gloriam fore ut inde avocarentur, a Patre Ignatio non sunt in Societatem admissi. Cum autem hi sacerdotes, qui prae caeteris in pretio habebantur, eos, qui cum usura mutuum dabant, nollent absolvere, nullus jam inveniebatur qui usuram exercere auderet, et potius ut se ab hujusmodi contractibus olim factis liberarent et per restitutionem a peccato emergerent, erant solliciti [1].

406. In Campo-regiano, quae provincia est sub Duce Ferrariae, ubi mutinensis militiae dux residet, aliqui haereses nonnullas sparserant, et cum intelligerent Patris Sylvestri

---

1 Ignatius Sylvestro Landino, ut Casulam Fulginio recedat, ut a Fulginiensibus de se scriptum testimonium requirat, et successorem constituat, qui incoeptorum operum curam gerat, 11 Maii ; idem magistro Angelo (Fulginii Vicario ?) ut Sylvestrum abire libenter permittat, eadem die ; Ignatius Episcopo Fulginiensi, item Consilio *Dominorum* civitatis, de Landini abitu, 25 Maii ; Polancus, *ex commissione*, ut de Casulanis agat cum Duce Florentiae hujusque socero, Petro de Toledo, 10 Augusti.

adventum, aliqui sacerdotes et medici infecti, qui pelagianum ipsum esse jactabant (sic enim catholicos, qui opera bona ad salutem necessaria esse tenent, vocabant), ei occurrerunt et cum se amicos venditarent et de justificatione cum ipso loquerentur, is autem adultis baptizatis bona opera in charitate facta esse necessaria affirmaret, furere illi coeperunt, ac minitari quod si Campo-regiani eam doctrinam praedicaret, effecturi essent ut tanquam bestia haberetur. Post quindecim dies eo se contulit Sylvester, et per hebdomadam integram Campo-regiani est concionatus ; et tantus terror haereticos illos invasit ut medicus primo die tanta cum velocitate fugam arriperet, ut propemodum ejus jumentum in via deficeret ; et illud lepide accidit quod, cum venerationem sanctorum pernegare solitus esset, tunc tamen et sanctum Aloyum [1] et sanctum Antonium, et alios sanctos (ut commissarius Ducis Ferrariae et militiae mutinensis dux retulit) ut mulam suam liberarent, invocabat. Sacerdos quidam, qui ei occurrerat, quotidie ad concionem accedebat et se contra haereticos propugnatorem profitebatur; et qui in tota quadragesima antea carnes edebat, die mercurii, cum vigilia non esset, jejunabat. Primus commissarius communicare coepit, et cum multis aliis conciones audiebat, et omnem suam operam et auctoritatem offerebat ; tantumdem militiae dux; et ita caput eorum, qui errores seminabant, contritum est. Tanto autem affectu illis in locis Sylvestrum prosequebantur, ut dum ab uno loco in alium se conferebat, genibus flexis aliqui propter Deum orarent ut ad sua loca veniret, et se universos ad confessionem peccatorum et communionem accessuros, et quidquid illis injungeret esse facturos ; et si in centum partes se dividere potuisset, tamen sacerdotibus, et laicis, et omnis sexus ac aetatis hominibus, qui ejus opera uti optabant, satisfacere non potuisset ; erant enim velut oves non habentes pastorem. Ubicumque autem concionabatur, sic omnes commovebantur, ut primores locorum, nomine communitatum, et juvenes, nomine omnium juvenum, et Duces vel centuriones vitam suam et bona offerrent ; quorum animum bonum tantum admittebat, sua omnia illis relinquendo. Ubicumque autem semen verbi

---

1 Sic clare ; sed an mendum sit librarii, an ex italico, et quidem, ut ferme solet, immutato latinum effictum vocabulum (ut si ex hispano *Eloy*, quod respondet *Eligio*, *Eloyum* conficeres) nescimus.

Dei jecit, ad frequentem communionem homines sunt adducti; hic quadraginta, ibi sexaginta, illic centum; cum post hominum memoriam nunquam nisi semel in anno, et vix quidem, communicassent. Fuit qui septemdecim annis non communicaverat. Loca autem in quibus concionatus est, et ubi frequenter confitendi et communicandi consuetudinem induxit, haec fuerunt. Silanum, Bursilianum, Cognum, Levigniacum, Orzado et aliae villae, Verucuba, Pugianella, Sanctus Romanus, Hagium cum aliis villis, Jaconianum, Rupes Christi, Capolum, Campo-regianum [1]; quae loca sub Duce Ferrariae sunt; sed et alia loca sub Florentiae et Reipublicae Lucensium dominio, et alia. In iis omnibus, praeter jam dicta, pauperibus per eleemosynas consultum est, concordiae compositae, oratio sub vesperum instituta, et christiana doctrina explicata, in qua pueri multum profecerunt.

407. Confirmabat etiam parochos per litteras ut in his, quae bene coepta erant, perseverarent. In quibusdam autem locis ubi Sanctissimum Sacramentum in parochiis non tenebatur, curavit non solum ut teneretur, sed ut accensa lumina conservarentur perpetuo, et homines frequenter ad communionem accederent. Per alia etiam loca mense Julio sequenti in eisdem provinciis discurrens, ea quae ad Dei gloriam poterat, instituebat; dabat enim ei Dominus tantum auctoritatis, ut populi et sacerdotes eum, perinde ac si eorum Episcopus esset, consulerent. Ad oppidum deinde magnum, quod Carregium dicitur, se contulit; ubi initio tam male exceptus est, ut dum concionaretur, aliqui templum egressi, lapides in portam projicientes, eos, qui audiebant, perturbarent; sed cum per octo dies continuos et aliquando bis eodem die concionatus esset, non solum lapides jacere desierunt, sed ipsa in aurora ad ejus conciones magna cum devotione accedebant. Seditiones eo in loco tam multae fuerant ut quadraginta quinque homines, inter quos tres sacerdotes, occisi fuerint, et usque ad altare homi-

---

1 Nomina haec accurate transcribimus, non immutata orthographia, qua in iis scribendis usus est Polancus. Ea omisit Orlandinus, dum haec a Landino gesta suae inseruit narrationi, lib. IX, nn. 34-43. Qui Polanci exemplum potius quam Orlandini imitari velit, prius certior fiat oportet de recto ea nomina scribendi modo. Nos de uno tantum *Bursilianum* quid italice ei respondeat, scil. *Borsigliana,* certo affirmare valemus.

nes armati accedebant; duo contrarii duces erant harum factionum, qui ad P. Sylvestrum, confessionis gratia, a qua multis annis abstinuerant, accesserunt, et se paratos ad pacem ineundam et quidquid ipsis juberet obtulerunt, et cum terrori magno aliis essent, concionem quotidie audiendo, humilem prorsus animum prae se ferebant. Per praeconem sub vesperam publice denunciabatur ut summo mane omnes ad Dei verbum audiendum accederent sub certa quadam poena; et cum initio omnia rumore et risu streperent, postea summum silentium ab omnibus tam in concione quam in sacro tenebatur; tanta vero confessionum frequentia est consequuta, ut quamvis aliquos sacerdotes vicinos in auxilium vocasset, poenitentibus omnibus satisfacere non posset; et ab ipso Sylvestro in via publica, provolutis genibus, confessionem petebant; et cum vix semel in anno communio ibi prius cerneretur, quotidie jam cernebatur. Diebus dominicis vix dimidiam Missam armati audiebant; jam inermes non unam tantum, sed quotquot in ecclesia dicebantur. Cum recederet in alium locum, praefectus oppidi cum consiliariis et magistratibus eum sunt consequuti, et precibus ut aliquandiu apud eos maneret impetrarunt. Stupebant loca vicina hanc mutationem dexterae Excelsi. Factionum contrariarum capita ad ipsum, refectionis etiam corporalis sumendae gratia, veniebant, et pro magno beneficio ducebant, si alicujus ipsorum domum ingressus esset. Confluebant etiam sacerdotes ex vicinis locis, et ut suas parochias visitaret rogabant. In concionibus autem declarabat quae in primae hebdomadae Exercitiis continentur, quod audientes populi tremebant; illi demum duces factionum contrariarum suas controversias in P. Sylvestrum rejecerunt, et sperabat pacem cum aedificatione, quae latissime pateret, consecuturam. Et ita pax est conciliata, quae eo accidit gratior quod annos triginta factiones contrariae accerbissimis odiis et magna cum crudelitate inter se certaverant, nec ad confessionem et communionem accedendo, et cum summo etiam bonorum temporalium detrimento. Modus autem quem tenuit, hic fuit: postquam animos eorum qui factionibus praeerant, verbum Dei emollivisset, in frequenti auditorio cum concionaretur, vocavit suo nomine unum ex illis duobus capitibus, cujus nomen erat Joannes Corsus; respondit illi: Pater mi, quis vis me facere?; dixit ex sug-

gestu Sylvester : ut omnibus inimicis tuis ignoscas, nec solum hoc, sed veniam etiam petas ab his omnibus, quos offendisti, et propter Dei amorem ut omnibus pacem tribuas. Statim ille arma in terram projecit, et seipsum prosternens, coepit magna voce dicere : pax, pax. Sic et reliqui utriusque factionis dicere: pax, pax, coeperunt. Descendit tunc ex suggestu P. Sylvester et dixit : id, quod ego fecero, et vos facite ; et coepit homines amplecti et osculo pacis osculari ; tunc illi suos inimicos et amplecti et cum magna amoris significatione osculari coeperunt, et quidem tam multis cum lacrymis gaudio mixtis, ut alter alterum multum inter pacis oscula madefaceret. Senes ac juvenes, viri ac foeminae tota ecclesia cum lacrymis pacem personabant ; et corda illa, quae leonum in morem paucis ante diebus nihil aliud quam vindictam et homicidia sitiebant, velut agnorum in morem mansueta et mutua dilectione connexa effecta sunt, et officiis charitatis exinde invicem certare coeperunt. Et quidem eo magis digitus Dei ille fuisse judicatus est, quod nec Dux Ferrariae, nec ejus officiales aut commissarii, nec oppida vicina, et alii viri clari, cum id tentassent diligentissime, quidquam ab eis obtinere potuerant, quin potius ipsis remediis vulnus crudescere videbatur. Sibi renati homines videbantur in christiana vita, cum tamdiu Christo mortui fuissent, et tam frequentes ad communionem et confessionem adibant, ut uno die ducenti et triginta communicarint, cum quotidie alii atque alii ad sacram Domini mensam, a qua tot annis abstinuerant, accederent. Adnotatus fuit pacis dies, nam singulis annis se velle, in memoriam hujus beneficii, festum diem ad Dei honorem celebrare. Est autem dictu mirum quod unus ex capitibus, qui Benedictus dicebatur, usum excrementi prorsus amiserat, et in ipso latere argentea canna corpus suum curabat et exonerabat [1]. Illi autem sacerdotes, qui spiritualibus Exercitiis fuerant exculti, in exhortationibus et sacramentorum ministerio et aliis misericordiae operibus ipsum Sylvestrum imitabantur.

408. In provincia Carfagnana multis bene constitutis, Casulam rediit, et ibidem ac in locis vicinis semen verbi Dei jace-

---

1 Indicium hoc, quo a caeteris discerni poterat iste Benedictus, urbane praetermisit Orlandinus.

re perrexit, et in Ariniani ecclesia, ubi multis annis non fuerat Sanctissimum Sacramentum, ibidem honeste reponendum constituit.

409. Ad provinciam, quae Marchioni Aquilae subjacet, se contulit, ibique multis cum lacrymis ejus conciones sunt auditae, et emendatio vitae in quibusdam est consequuta. Casulenses animati sunt denuo ad opus monasterii absolvendum, cujus aedificio ipsemet Sylvester instabat, et manum etiam operi admovebat, et multum pecuniae et rerum aliarum in usum hujus monasterii et virginum conferri ab auditoribus concionum curavit. Multis etiam pauperibus, dum in ministerio hujus aedificii eos occupat, de rebus ad vitam traducendam necessariis prospexit. Ecclesiam etiam a fundamentis erigi curavit, et ipso die Nativitatis B. Virginis primus in ea lapis, inscriptus nomine P. Ignatii, positus est, et brevi aedificium fuit absolutum, multis fabris murariis adhibitis.

410. Inter tam multa pietatis opera non deerat Patri Sylvestro patientiae exercitatio, a concubinariis sacerdotibus potissimum profecta, qui multis calumniis eum perscindere nitebantur [1].

411. Crescebat interim Casulae confessiones generales instituentium fervor et numerus, et etiam profestis diebus communiones frequentes eo in populo cernebantur ; jejunia etiam, orationes et eleemosynae; et spiritualia Exercitia quae utriusque sexus personis, et quidem multis, fuerunt cum spirituali fructu proposita, sed et christiana doctrina multi omnis aetatis sunt instituti.

412. Non omittam autem quod sacerdotes spiritualibus Exercitiis exculti, ingredientes populos, alta voce dicebant : *bene facite, servite Deo, confitemini peccata, quia mors vicina est ; ne exspectetis judicium Domini, mors enim adest ; poenitentiam agite*, etc.; et cum divites essent, panem ad victum, aedificationis gratia, mendicabant. Unde non mirum si humilitatem cum charitate conjunctam magnus fructus et commotio populorum consequeretur [2].

---

1 Ignatius Sylvestro Landino, ejus animum erigit et solatur, 29 Junii.

2 Polancus, *ex commissione,* Sylvestro Landino, de extraordinaria absolvendi facultate, et ut in Corsicam ire sit paratus, 31 Augusti ; Ignatius Archiepiscopo Sassaritano (Sacer) de Sylvestro Landino, 2 Novembris ; idem Sylvestro Landino, de profe-

413. Nostrorum opera multis in locis Italiae expetebatur et Cortonae inter caetera. Pauci tamen operarii, messis multa. Ex aliis etiam locis opera pietatis Patri Ignatio commendabant Romae peragenda ; ut jam tum civitas Forilivii per litteras commendavit ut protectionem susciperet puellae cujusdam hebraeae, quae cum decem fere annos nata esset, Dei inspiratione mota, ad Christi fidem aspirabat, et, ut responsis suis spiritu plenis significabat, ab alio quam humano spiritu dirigebatur ; unde et magistratum ad lacrymas commovebat, cum interroganti cur vellet esse christiana, id affirmabat se velle ut Christo serviens animam suam salvam faceret, et protestationem adjunxit, quod ipsi reddituri essent Deo rationem de anima ipsius, si ipsorum negligentia baptismo privaretur. Sed quia potentissimi inter hebraeos, ejus parentes, omnia se expugnaturos pecunia jactarent, et puellam recuperaturos, et ad id Romam hominem miserant, ut mendaciis et largitionibus, quod optabant, impetrarent, civitas hoc negotium Patri Ignatio commendavit, quem sponte sua charitas ad talia opera excitabat.

414. Alia etiam pietatis opera, ut Conversarum in civitate Parmensi, Romae promovebat. Erat Parmae id temporis Pater Baptista Pezzanus, qui, quamvis Societati nomen dedisset, in functionibus nihilominus charitatis Parmae aliquandiu haesit. Praelegebat is satis frequenti auditorio quae pietatem in populo fovebant, et confessionum numerus apud ipsum et alios in tota civitate augebatur [1].

415. Bononiae P. Paschasius hoc anno pro more suo et confessionibus et spiritualibus Exercitiis tradendis dabat operam, quam fructus egregius consequebatur ; aliqui etiam ejus opera ad Societatis institutum moti fuerunt, inter quos fuit ille magister Joannes Rogerius, qui in Siciliam (ut supra diximus) missus hoc anno fuit. Debuit autem et in Aemiliam se transferre (Romagna dicitur), ut pacem quamdam inter viros quosdam

---

ctione in Corsicam, de Constitutionibus, de monialibus, de privilegiis, de curanda sententia judicum adversus calumniatores, 9 Novembris. — Sylvestri Landini et Vicarii Casulani ad S. Ignatium litterae.

1 Ignatius Deputatis, seu protectoribus, monasterii Conversarum parmensis, 25 Maii; Polancus, *ex commissione*, Joanni Baptistae Pezzano, plura de paupertatis voto, de monialium cura, de cognatorum amore, a quibus quo se melius expediat, ut Romam sequenti Februario post Purificationis festum veniat, 12 Octobris.

nobiles componeret, quae diu multumque tentata, parum successerat; sed, Deo adjuvante, Paschasii charitas et sollicitudo difficultatem evicit, et concordia non levis momenti est consequuta [1].

416. Primi veris initio, Prior Trinitatis, qui Collegium Venetiis sicut et Patavii erigi optabat, locum quemdam habitationi prioratus Sanctissimae Trinitatis conjunctum, qui *Pietatis* dicebatur, quibusdam conditionibus, ad Collegii usum obtinuit, et mense Aprili ejus possessionem cepit, in cujus templo Pater Salmeron, Belluno rediens, ut mox dicemus, sacrum celebravit. Erat autem ille ipsi Prioratui Trinitatis unitus sed ab ipsomet Priore redemptus est in hunc modum: olim a Prioratu Sanctissimae Trinitatis fuerat disjunctus et puellarum domui aedificandae applicatus, quae congregationi *Pietatis* erant commissae; illa vero restituit domum Priori, qui pretium trium millium ducatorum congregationi dedit. Ut ergo Collegio nostro applicaretur et quidem, ut ipse Prior scribit, sine ulla pensione, quae nepoti ejus, novo Priori Sanctissimae Trinitatis, esset solvenda, in usum Collegii fuit conversus; immo, cum pro sua gratitudine P. Ignatius cuivis nepoti Prioris quadringentos aureos super Prioratu Societati unito Patavii obtulisset (quae res domini Joannis Lipomani animum non parum conciliasse visa est, qui prius adversarius fuerat unioni Prioratus); rem extraxit ad aliquot menses et deinde significavit hanc se sentire inspirationem a Domino, ut locum illum sine tali pensione Societas obtineret; et Octobri mense a Patre Ignatio petiit aliquos de Societate Venetias mitti, ut Collegium inchoarent, cum jam locus expeditus et paratus esset. Sed

---

1 Ignatius Paschasio Broet, de fratre Paschasio Corvino, 18 Januarii, et 9 Februarii; idem eidem, de pace quadam ineunda, 16 Februari; idem eidem ut Faventiam se sine excusatione ad pacem quamdam conciliandam conferat, et de quadam quasi visitatione domorum Italiae a P. Polanco post paucos dies facienda (quae tamen non facta est), 2 Martii; idem eidem aut, si is absit, Francisco Palmio, de eadem pace, 9 Martii; Polancus, *ex commissione*, Paschasio Broet, de quodam Canonico qui Societatem ingredi postularat, de Rogerio, de Patre Laynez, 30 Martii; idem eidem, de mittendis Romam, Rogerio, Petro Brixiano, Daniele, plura, 13 Aprilis; idem eidem, ut Rogerium juvet in paranda praefatione *magnifica*, quam leget in studiorum instauratione Panormi, 6 Julii; Ignatius eidem, de pace inter Cardinalis de Carpi cognatos concilianda, 20 Julii; idem eidem, de moderando studentium labore, 16 Novembris 49. — Litterae Paschasii Broet ad Sanctum Ignatium et P. Polancum. — Plura de Bononia ad hujus anni extremum. *(Nota hic aliena manu apposita.)*

usque ad initium anni sequentis missio novae coloniae fuit differenda ob aliquas causas rationi consonas.

417. Missi sunt etiam hoc anno cum P. Adriano Adriani, qui hyemem Romae exegerat, tres alii Lovanium, et alii Patavium, et alii Parisios, et alii alio [1].

418. Erat Patavii Rector Collegii nostri P. Elpidius Ugolettus, qui tamen cum afflicta esset valetudine, de eodem Patavio transferendo ad locum mitioris coeli agebatur; et quidem Pater Ignatius ipsi ut libere scriberet quo propensus esset injunxerat. Tandem, consultis medicis, expedire ipsemet judicavit ut ibi maneret, majorem adhibendo diligentiam ut valetudinem tueretur.

419. Qui versabantur in eo Collegio, ad scholas publicas id temporis, partim ad humaniores litteras, partim ad logicam audiendam, se conferebant; aliqui etiam ibidem Societatis instituto animum adjecerunt et in eam sunt admissi. Quod ad externos attinet, multi octavo quoque die confiteri nostris ac singulis diebus dominicis communicare perseverabant, et in spiritu proficiebant, et bonus admodum Societatis odor late per urbem spargebatur; quibusdam etiam spiritualia Exercitia cum spirituali fructu sunt proposita. Cum autem publicae lectiones, quas nostri audiebant, rariores essent quam eorum in studiis fervor et proficiendi desiderium requireret, domi privatis lectionibus cum sua et audientium utilitate se exercebant, et satis jam tum experientia docebat publicas hujusmodi lectiones, quamvis perdoctae sint, ad nostrorum eruditionem, qui brevi se a studiis expedire ac in vinea Domini laborare vellent, satis non esse; et hoc detrimentum utrumque reficere nitebantur per privatas lectiones, tum domi tum foris auditas; et positionibus dominico quoque die defensis qui philosophiae dabant operam, se non sine fructu exercere nitebantur [2].

---

1 Ignatii Adriano Adriani, Lovanium proficiscenti, instructio decem capitibus constans, 28 Martii; idem eadem die Andreae Lipomano de iis, qui Patavium, Venetias et Parisios mittebantur; idem Adriano Adriani, de ejus socio, Andrea Zutphemensi, 13 Aprilis; Polancus, *ex commissione*, Elpidio Ugoletti, de modo tenendo cum Andrea, Adriani itineris socio, eadem die.

2 Ignatius Elpidio Ugoletti, de socio etiam cum ad publicas itur lectiones adhibendo, 16 Februarii; eidem Polancus, *ex commissione*, de quatuor scholasticis ad eum missis, etc., 30 Martii; idem eidem, de Petro Brixiano et quodam Astianensi Romam Patavio mittendis, 13 Aprilis; idem eidem, de ejus valetudine curanda, habitationis loco, etc.,

420. Ferrariae interim P. Claudius Jaius in consuetis pietatis exercitationibus perseverabat, Ducis Herculis confessiones in certis quibusdam ac solemnioribus festis audiebat, et eidem sanctissimum Eucharistiae corpus communicabat ; sed et alios nobiles ac cujusvis status et conditionis homines eisdem Sacramentis reficiebat ; praeter messem copiosam, quam xenodochium Divae Annae multis aegrotantibus hoc anno refertum exhibebat : nam cum annonae caritas anno praeterito magna fuisset, ex incommodis cibis aut penuria magnus morborum proventus est consequutus, ubi perlibenter bonus Pater ac non minus diligenter hujusmodi pauperum aegrotantium ministerio suam operam impendebat.

421. Diebus autem festis lectionem superiori anno coeptam in templo Sanctae Annae est prosequutus, et ex auditoribus multos incalescere ad pietatis opera sectanda experiebatur. Et accidebat, lectione absoluta, e suggestu ad sedem confessionibus destinatam sine ulla interpolatione descendere, nec inde, nisi multis auditis, se expedire posse. Et cum Januario mense, quodam die dominico, propter nivium et frigoris magnitudinem lectionem omisisset, quod auditores ad eam non esse venturos existimaret, se non bene conjectasse expertus est ; venerunt enim illi pro more, et cum non viderent suum lectorem ad templum venire, ad ejus cubiculum non pauci accesserunt, et loco lectionis ut de vitae, quae christianum decet, instituenda ratione ipsos doceret rogaverunt ; quod ille libenter, exhortatione spirituali ad eos habita, praestitit. Sed aliis auditoribus urgentibus non ei licuit in posterum a lectionibus publicis abstinere, sed omnino debuit, etiam inter frigora vehementissima, eis vacare. Cum autem sacerdos quidam, qui puellarum orphanarum spiritualem curam gerebat, in morbum diuturnum (quem mors est consequuta) incidisset, ad quem ex civibus non pauci utriusque sexus, confessionis gratia et spiritualis insti-

---

25 Maii ; Ignatius Andreae Lipomano, de expurgandis humaniorum litterarum libris, 22 Junii ; Polancus, *ex commissione*, eidem, ut locum, de medicorum consilio, seligat, ubi hyemis proximae tempore habitet, de Ludovico (Croce ?) ad balnea mittendo, 27 Julii; idem Petro Rivadeneira, de studiis, 10 Augusti ; idem Elpidio Ugoletti, de Societatis privilegiis, et de rebus et libris quibus singuli scholastici Patavii tunc degentes studere oportebat, 12 Octobris; idem Fulvio, de cura quam habere debet valetudinis Patris Ugoletti, 28 Octobris. — Litterae Petri Rivadeneira, Elpidii Ugoletti et Petri Brixiani ad S. Ignatium et P. Polancum.

tutionis, accedere soliti erant, haec etiam nova messis Patri Claudio oblata est; nam ad eum confessionis atque communionis gratia, tam illius filii spirituales, quam alii sacerdotes se contulerunt; sed his laboribus subeundis vires et sanitatem simul cum bona voluntate Dominus ei tribuebat.

422. Inter alios, quorum confessionem audivit, fuit primogenitus Ducis, qui eidem in Ducatu successit; sed alterum filium (qui Cardinalis ab Este dictus est) paulo post simul cum primogenito audivit; immo cum Mutinae Ducis confessionem audivisset, ab eodem Ferrariam missus est, ut utriusque filii confessionem exciperet; quod et fecit, et principi, scilicet primogenito, simul cum sua curia, sanctissimam Communionem est impertitus [1].

423. Post Paschae festum evocatus a P. Salmerone ut de missione germanica conferrent, de qua paulo post dicam, eo se contulit, et nostros etiam Patavii sua praesentia consolatus, Ferrariam rediit, et die Pentecostes suam lectionem resumpsit et confessionum audiendarum ministerium. Voluit etiam Dux ut judicio, quod exercebatur de quodam haeretico, interesset, qui satis severe punitus est. Addidit etiam rogatu factoris ducalis (hoc nomine primarius Ducis minister dicebatur) aliam occupationem solitis, scilicet, Conversarum foeminarum confessionem ad tempus audire, donec earum confessarius, qui Mediolanum se contulerat, reversus est [2].

424. Inter alios, qui hospitali Sanctae Annae inserviebant, quidam erat sacerdos, Andreas Galvanellus nomine, magna charitate et mediocri eruditione praeditus, et in pietatis operibus sollicitus. Hic, exemplo Patris Claudii et forte etiam lectionibus excitatus, Societati se dedidit.

425. Orphanis virginibus, propter aegritudinem confessarii earum, ad tempus etiam suam operam in confessionibus

---

1 Ignatius Jaio, 26 Januarii; eidem Polancus, *ex commissione*, de duobus conscientiae casibus, de favore erga Parisienses obtinendo, 9 et 16 Februarii; idem eidem, ut pro duobus Parisiensibus a Ferrariae Duce et Mutinensi commendatitias litteras habere curet, 16 Martii; idem eidem ut Ferrariae Ducem alloquatur de nostris qui in Lombardorum Collegio *bursas* obtinent; insuper orphanarum curam Societatis Constitutionibus repugnare, 30 Martii; idem eidem, de profectione in Bavariam, 4 Maii.—Claudii Jaii litterae ad S. Ignatium.

2 Ignatius Jaio, de Germania, 16 Februari; eidem Polancus, *ex commissione*, de gradu Doctoris suscipiendo, 18 Maii; eidem pro gradu Bononiae suscipiendo patentes

impendit. Duos viros valde bonos, inter quos unus doctor erat, Romam ad Patrem Ignatium suis litteris est comitatus, ut ab eo, prout optabant, in via Domini dirigerentur.

426. Erat initio hujus anni P. Alphonsus Salmeron Veronae, ubi Epistolam ad Romanos tanta auditorum frequentia legit (quamvis in tribus aliis vel quatuor ecclesiis eadem hora Sacra Scriptura praelegeretur) ut cathedra relicta, in suggestum, ex quo concionari solitum erat, debuerit ascendere, quo vox latius se extenderet. In monasteriis etiam monialium et quibusdam ecclesiis concionabatur; et quidem fructus non mediocris ex ejus labore provenit, dum multi etiam in his, quae ad fidem catholicam pertinent, adjuti sunt, quamvis aliqui et adulatorem eum esse Pontificis et Sedis Romanae dicerent, et scire quidem ipsum, sed nolle dicere, veritatem mussitabant; sed hi perpauci erant et perditi haeretici; nam ab auditoribus cum magna attentione et consolatione audiebatur, et sectariis charitatem et compassionem, etiam dum eorum vulnera curare niteretur, exhibebat [1].

427. Electus Episcopus Bellunensis ex illustri familia Contarenorum, Patrem Ignatium Romae allocutus fuerat de Patre Salmerone in civitatem Bellunensem ad tempus mittendo; nec negaverat P. Ignatius ejus operam, si a Reverendo Domino, Priore Trinitatis, qui frater erat Episcopo Veronensi, revocandus ille Verona ad hanc missionem judicaretur. Fuit autem Prioris haec sententia, ut post Purificationem Beatissimae Virginis inde recederet P. Salmeron et Venetias veniret, Bellunum profecturus; quod ille obedientiae acquiescens diligenter praestitit; et cum intellexisset civitatem Bellunensem factionibus civium inter se dissidentium valde divisam esse, orationum suffragiis a Patre Ignatio postulatis, eo se contulit. Et cum prima Dominica Martii eo pervenisset, die Mercurii sequente, suis concionibus principium dedit, et frequentia auditorum ipso in initio major fuit, quam solebat cum alii con-

---

Ignatii litterae et commendatitiae Cardinalis de Monte, 10 Augusti; eidem Polancus, eadem die, de viatico seu necessariis ad iter conficiendum; idem eidem, de arripiendo itinere in Germaniam et quid Ferrariae Duci dicendum, 24 Augusti. — Litterae Jaii, Othonis Trutchses, et Ferrariae Ducis ad S. Ignatium.

1 Ignatius Andreae Lipomano, de Salmerone Verona revocando, 18 Januarii 49; domina Joanna de Aragon Ignatio, de Patre Salmerone, sub finem anni 48; Abbas Sancti Severini Ignatio, de eodem, eodem tempore. — Salmeronis litterae ad varios.

cionarentur; et magna cum satisfactione et consolatione eum audire coeperunt, cum demum serio sibi praedicari verbum Dei experirentur; nam prius comoedias sine spiritu et litteris ex suggestu audire soliti erant; et crescebat in dies auditorum numerus et non sine fructu semen verbi Dei jactum esse multa signa ostendebant. Eodem tempore nihilominus quibusdam bonae spei juvenibus spiritualia Exercitia dedit, ex quibus duo Societatis institutum sunt amplexi. Et ut principia et media concionum feliciter successerant, ita et finis, immo et felicius quam ipse P. Alphonsus sperabat, successit; nam divina Bonitas tam valide hominum corda commovit, et tanta animorum in melius commutatio consequuta est, ut cives affirmarent quod, postquam ibi P. Bernardinus concionatus fuerat, talis in ea urbe fructus ex praedicatione nunquam provenerit; multi tam saeculares quam ecclesiastici, qui concionibus adesse non solebant, quod parum eis praedicatores satisfacerent, assidui auditores hac quadragesima fuerunt. Aliqui parum catholice de rebus fidei sentientes, ut de purgatorio, de sanctis operibus, de confessione, et aliis, luce verbi Dei illustrati fuerunt, ut omnino ab erroribus et dubitationibus recedentes, in Ecclesiae catholicae gremium redirent; et complures libri lutherani, et alii suspecti, combusti sunt ab eis; nec se in posterum velle disputare vel dubitare, cum de veritate catholica certi essent, asserebant. Fuit inter alios, qui, cum anno praeterito tantum in genere, more lutherano, confessus esset se peccatorem, nec ad species peccatorum suorum descendere vellet, hac quadragesima eumdem adiit confessarium ut in particulari peccata confiteretur et absolutionem ab eo reciperet. Multi, qui quadragesimae jejunium et delectum ciborum observare soliti non erant, post quatuor vel quinque lectiones auditas, usque ad finem quadragesimae quod debebant observaverunt; odia et discordiae, quae in illa civitate latissime patebant, immo et regnabant, sic sopita aut extincta fuerunt, ut nulla factionum signa cernerentur; ea enim concionator peculiari cura insectatus est; in cujus rei signum Episcopi Vicarius testatus est fere mille homines plures quam anno proxime elapso, ad confessionem et communionem accessisse. In virginibus etiam, quae magna cum licentia ac libertate a matribus gubernari solebant, unde omnia plena amatoriis colloquiis et clandestinis

matrimoniis et aliis parum honestis actionibus visebantur, tanta mutatio ex hac dissolutione ad honestiorem et securiorem vitae rationem est sequuta, ut merito a Domino factum id esse videretur. Recessit ergo cum non mediocri animi sui consolatione propter spiritualem hunc fructum inde P. Alphonsus; et quamvis non pauci juvenes, quos vel familiaribus colloquiis vel Exercitiis spiritualibus excoluerat, eum sequi et Societatem ingredi vellent, immo et parentes eos offerrent, duos tantum secum Patavium deduxit, ne multitudine Collegium illud oneraret, bona spe interim alios alens, quod si perseverassent ac proficerent, Venetiis vel Patavii essent admittendi. Magnam pecuniae summam nobiles Bellunenses offerebant, sed ille non eam admittens, de bona voluntate gratias egit. Tam autem civitas quam ecclesiae capitulum nobilem quemdam Venetias miserunt ad gratias Episcopo et Priori Sanctissimae Trinitatis agendas, et ut curaret ad tres vel quatuor menses ejusdem Patris reditum, ut fructus, qui se tam praeclarum ostendebat, magis confirmaretur [1].

428. Magnum sui desiderium reliquerat Ingolstadii P. Claudius Jaius, cujus et doctrina et mores, magnam ipsi et benevolentiam et auctoritatem in illis Germaniae locis conciliaverant; cumque Dux Bavariae Guilielmus, qui catholicae religionis vindex erat acerrimus, in illa Universitate sua Ingolstadiensi sibi persuaderet perutilem Societatis nostrae operam fore, si aliquot ex ea theologiae professores in illa Universitate sacras litteras docerent, a Summo Pontifice Paulo III hoc ipso anno obtinuit, ut tres de Societate nostra lectores ad se Ingolstadium mitterentur. Cum autem Summus Pontifex id Patri Ignatio significasset, delegit ille praeter P. Claudium, qui nominatim expetebatur, PP. Alphonsum Salmeronem et Petrum Canisium. Cum igitur Venetias rediisset Salmeron ex civitate Belluni sub finem Aprilis, hanc Summi Pontificis obedientiam ac Patris Ignatii ibidem accepit et, evocato P. Claudio Ferraria, ut supra dictum est, hanc profectionem in Bavariam ei significavit. Quia tamen non facile Ferraria educi potuisset P. Clau-

---

1 Ignatius Andreae Lipomano, ut Salmeronem Veronam ire post quadragesimam ne aegre ferat, 9 Martii; idem, eadem die, de profectione Veronam, Salmeroni; Polancus, *ex commissione,* Salmeroni, ut post Pascha Priorem Trinitatis invisat, et quae cum eo ipsi sunt agenda, 30 Martii. — Salmeronis et Laynez litterae.

dius, cum ejus opera Duci Herculis pergrata esset et ad spirituale multorum auxilium et consolationem se extenderet, peculiaribus litteris Cardinalis Alexandri Farnesii, Summi Pontificis nomine, haec profectio germanica illi est injuncta; idemque Cardinalis ad Ducem Ferrariae de eadem profectione scripserat ut ad tempus a se abesse P. Claudium aequiore animo ferret. Quamvis autem P. Ignatius et ipsemet P. Claudius ad obsequendum Duci Ferrariae satis essent propensi, cum de reductione Ducissae ad catholicam religionem spes fere nulla affulgeret, non tanta spiritualis messis Ferrariae quanta in Germania ad Dei gloriam fore sperabatur. Sed trimestre tempus utrique datum est ut se expedirent, ita ut sub finem Augusti vel initio Septembris Bononiam convenirent, quo revocatus etiam a Sicilia Pater Canisius illis se adjungere debebat. Dux autem Ferrariae, non quidem ut omnino se privaret Patre Claudio, sed ad tempus, acquievit ut is in Germaniam discederet, Ferrariam rediturus [1].

429. Cumque a fine Aprilis ad finem Augusti posset P. Alphonsus Salmeron in Italia commorari, in gratiam Prioris Sanctissimae Trinitatis, cujus sententiae P. Ignatius subscribebat, gratificandum esse Bellunensibus judicavit. Scripserat quidem Veronensis Episcopus (qui id temporis Bruxellis in curia Imperatoris Caroli ut Nuncius Summi Pontificis agebat) ad Patrem Ignatium sibi benevolentia conjunctissimum, et conquestus erat quod, Verona posthabita, in civitatem Bellunensem in quadragesima Salmeron missus esset, et aegrius etiam laturus videbatur, si hos saltem menses aestatis, qui reliqui erant, Veronae non impendisset. Sed dominus Andreas Lipomanus, Prior, recepit se fratri suo Episcopo satisfacturum; et ita cum electo Episcopo Bellunensi eo P. Salmeron rediit. Id enim debebatur sollicitudini civitatis, quae, ut Prior scribebat, adhibitis oratoribus spiritualibus et temporalibus petere et pulsare non cessabat; et ipsemet P. Alphonsus spe fructus uberioris ad eam missionem potius quam ad Veronensem propensus videbatur. Fuit autem magna animorum consolatione a Bel-

---

1 Ignatius Andreae Lipomano, Salmeronem cum Jaio et Canisio peti a Duce Bavariae, de eorum itinere, etc., 6 Aprilis; Polancus, *ex commissione*, Alphonso Salmeroni, de Doctoratus gradu suscipiendo, 22 Junii et 10 Augusti. — Patrum Laynez, Salmeronis, Canisii et Jaii litterae.

lunensibus exceptus, et statim conciones est aggressus; post Pentecostes autem festa, in Dominica Sanctissimae Trinitatis frequentissimo auditorio ter in hebdomada Pauli Epistolas se interpretaturum promulgavit, diebus scilicet Lunae, Mercurii et Veneris. Multi interim ad Confessionis sacramentum accedere crebrius assuescebant; nec solum ad praedicationem diebus dominicis et festis, sed et ad alias lectiones, ut Epistolae ad Ephesios, magno studio et frequenti homines confluebant, quibus aderat saepe et Episcopus, et magistratus, quem Rectorem vocant. Voluit autem Episcopus ut ad quamdam parochiam quindecim mille passibus distantem, Agaton nomine, se conferret; quod enim finitima est Germaniae, aliquid ex haeretica peste infectionis ibidem cernebatur. In festo divi Petri et Pauli, in quo bis concionatus est, dedit Dominus voci suae vocem virtutis, et catholici valde animati et consolati fuerunt, et aliqui, qui in haereticorum errores inciderant, tum lacrymis, tum aliis modis poenitentiae signum dederunt, et aliter intelligere quae ad fidem ortodoxam pertinent testati sunt. Ad aliud etiam oppidum, Sarabal [1] vocatum (quindecim etiam milliaribus Belluno distat et magna infamia, quod ad religionem attinet, laborabat), evocatus est; sed rem distulit usque ad principium Augusti, et interim spiritualia Exercitia quibusdam proposuit, ex quibus duo aptiores ei videbantur ad institutum Societatis, quod ardentibus desideriis optabant; alterum autem eorum secum Patavium postea deduxit [2].

430. Profectus Seravallem paucos in fide sanos invenit; septies concionatus est eis; et id saltem effecit, ut aliqui ad animae suae salutem propensiores juvarentur, alii autem obstinatiores ac maligniores, qui veritatem, quantumvis claram, manifeste admittere nolebant, confunderentur. Civitas autem Bellunensis suis litteris testata est, doctrina et exemplo Patris Alphonsi Salmeronis hoc effectum esse, ut civitas quasi regenerata in Christo et reaedificata videretur; et animi sui benevolentiam quibus modis potuit significavit.

431. Postquam autem Venetiis et Patavii aliquot dies conquievisset, sub vesperum vigesimae quartae Augusti Ferra-

---

1 Infra scripsit idem Polancus *Seraval, Seravallem.*

2 Ignatius Andreae Lipomano, de Patre Salmeron, 4 Maii.

riam versus profectus est, et sub initium Septembris cum Patre Claudio, qui eam facultatem a Duce impetraverat, Bononiam pervenit, et inde, simul cum P. Petro Canisio, Tridento viam instituentes, in Germaniam pervenerunt. Occasione hujus transitus Archiepiscopus Turritanus, qui cum nonnullis Episcopis adhuc Tridenti haerebat (non enim translatio Concilii Carolo V Imperatori placuerat) agere coepit de aliquo de nostra Societate in Sardiniam mittendo, quamvis aliquandiu id fuerit dilatum.

432. Cardinalis Tridentinus magna cum humanitate nostros in sua civitate excepit, sed Dilingae Cardinalis Augustanus etiam cum lacrymis animi sui affectum erga nostros ostendit. Curaverat ille praeter Petrum de Soto, olim Caroli V Imperatoris confessarium, et Doctorem Martinum de Olave, viros pietate et doctrina insignes, qui suam operam ei navabant, aliquem ex nostra Societate a P. Ignatio, et nominatim P. Canisium, obtinere, et litteris enixe admodum id contendebat, ut Collegio, quod Dilingae instituebat ad scholasticos, qui ministri Ecclesiae postea futuri essent, in litteris et pietate informandos, ille praeesset; et ut praedicti duo, Soto et Olave, talentum a Domino acceptum ad promovendum hoc opus conferre statuerant, ita et praedictum P. Canisium eidem operi invigilare cupiebat. Nondum enim de erigendo Societatis Collegio (cujus in Germania exemplum nullum videbatur) Cardinalis cogitaverat. Quamvis tamen ex tribus nullum retinere apud se posset, omnem eis humanitatem exhibuit, et eos Duci Bavariae Guilielmo officiose commendavit ; qui nostros Monachii summa charitatis et benignitatis significatione excepit, et amplexus est, ac suo primo Cancellario, Doctori Ecchio, ne quid ipsis deesset, sollicite commendavit. Ab eo autem tempore Cancellarius Ecchius semper se nostris amicissimum exhibuit [1].

---

1 Polancus, *ex commissione*, Alphonso Salmeroni, quid sentiat Pontifex de Collegiis Societatis in Germania et Polonia erigendis, 10 Augusti; Ignatii et Polanci et aliorum litterae ad Doctorem Martinum de Olave scriptae et Roma Bononiam missae, 14 Septembris; Polancus Canisio, de ejus scriptis, eadem die 14 Septembris; instructio Canisio data de modo se in Germania gerendi, Bononiam ipsi missa, 21 Septembris; Legati pro Bavariae Duce ad Cardinalem Tridentinum litterae, de iis qui in Bavariam mittebantur, eodem Septembri; Ignatius Jaio, de Cardinali Augustano, 28 Septembris; idem Cardinali Augustano, de Jaio et Canisio, 2 Novembris; idem Doctori Olave, officiose, eadem die 9; Ignatius Claudio Jaio, de rebus Ingolstadiensibus; idem Salmeroni, de iisdem etc., 21 Decembris 49.

433. Duodecima ergo die Novembris Monachio profecti, duobus itineris ducibus adjunctis, Ingolstadium sequenti die pervenerunt, et magno cum honore ab Universitate (cui Dux Bavariae nostros serio commendaverat) excepti sunt. Universitatis Cancellarius et idem Sacrae Scripturae lector, et Episcopus, ac omnes doctores et professores eodem die quo nostri eo pervenerunt, ad diversorium, eos salutandi gratia , venerunt, et unus eorum congratulatoriam apud eos orationem habuit, qua gratias agebat Deo et Summo Pontifici ac Duci suo quod nostros ad suam Academiam venire curavissent, fuisse magno cum desiderio nostrorum adventum ab eis exspectatum, et omnia se prospera optare, et alia hujusmodi. Patres autem nostri seniores curam respondendi Patri Petro Canisio dederunt ; qui, quamvis extemporanea, eleganti tamen oratione eis respondit, nostrorum operam et diligentiam ad Universitatis bonum promovendum offerens; et omnes, cum more germanico convivium in ipso hospitio praeparandum curassent, cum nostris coenaverunt ; et die sequenti nostros ad praecipuum Universitatis Collegium (quod vetus vocant) conduxerunt et singulis percommodam habitationem assignarunt supellectilibus et libris ac rebus omnibus necessariis instructissimam ; illud etiam providendo ut, sine germanicis conviviis, more religioso atque italico nostri vivere possent.

434. Scripserat Cancellarius Ecchius Universitati de theologicis lectionibus, quae Ingolstadii erant praelegendae ; erant autem prima ex evangeliis, secunda ex Pauli epistolis, tertia ex psalterio Davidico, quarta ex Magistro sententiarum. Primam ex evangelio Cancellarius et Episcopus erat praelecturus; P. Alphonsus Salmeron Pauli epistolas; P. Claudius psalmos; P. Canisius Magistrum sententiarum enarrandum susceperunt. Die autem 26 Novembris, in studiorum initio, Pater Canisius praefationis loco pulchram et doctam orationem habuit, quae partim in laudibus theologiae, partim in inflammandis auditoribus ad ejus studium versata est. Habuit autem non solum frequens sed valde attentum auditorium et cui mirum in modum satisfecit. Die autem 29 P. Alphonsus Salmeron perdocta ac pereleganti etiam oratione auditoribus (qui permulti erant) non minus fecit satis. Ab ea interpretationem epistolae ad Romanos inchoavit, sicut et quartum Sententiarum Canisius

aggresus fuerat. Multi autem cum Doctore Ecchio Cancellario eas orationes ut typis excussae evulgarentur petierunt. Universitas autem, quae tota praesens fuerat, his verbis judicium suum de nostris explicavit: " Nuper quantam laetitiam ceperimus omnes ex adventu trium theologorum, scilicet, Doctorum Claudii Jaii, Alphonsi Salmeronis, ac Petri Canisii, vix dici potest; quorum praesentia non solum famam de ipsis excitatam non minuit, sed auget; quorum singularis in sacrosanctis studiis scientia, tum in omnibus disciplinis exercitatio, postremo sanctimonia vitae exspectationem omnium non solum aequat, sed superat. „

435. Pater Claudius quod jam Natalitia festa instarent, in novi anni initium lectionem suam differendam censuit. Multum auctoritatis hi Patres Societati nostrae in ea Universitate, quae inter germanicas celebris est, conciliarunt; sed et ipsa Universitas in facultate theologica propter eos celebrior est habita et externi auditores non pauci exspectabantur; vicini etiam Episcopi magna laetitia occasionem inde habuerunt jam contempta propter sectarios theologiae studia erigere, quod frustra prius tentassent, cum tamen penuria sacerdotum eos ad seminarium theologicum curandum necessario urgeret. Impetraverat etiam ipse Dux Bavariae a Summo Pontifice facultatem decimas a subditis suis ecclesiasticis capiendi per triennium, ad hoc ipsum ut Universitatem Ingolstadiensem instauraret; et ex primo anno supra viginti quatuor millia florenorum collegerat; et saltem eorum partem in alendis theologis impensurus credebatur. Quia tamen fundamentum philosophiae auditores non habebant, et ipsa scholastica theologia satis erat exosa, non exspectari poterat ex nostrorum lectionibus magnus fructus, si stabiles auditores, in uno vel pluribus Collegiis vel a Duce vel a vicinis Episcopis instituendis, idonee non praeparentur. Cum commissarii Ducis, inter quos et Cancellarius Ecchius erat, Ingolstadium venissent, et quamdam P. Salmeronis lectionem audivissent, magnam animi consolationem acceperunt, nec sese continere potuit Dominus Ecchius quin diceret quod pro magna pecuniae summa noluisset eam lectionem non audisse, et quod Joannes Ecchius, insignis ejus Universitatis olim professor, talem lectionem praelegere unquam potuisset; et statim ad Ducem scripsit quantopere ea lectio pla-

cuisset. Linguarum peritia et doctrinae ubertas, qua praeditus erat P. Salmeron etiam in rebus minimis, admirationi erat.

436. Postquam autem rem Deo commendassent, judicarunt nostri proponendam Cancellario Ecchio erectionem Collegii nostrae Societatis in ea Universitate; cum autem Pater Claudius id proposuisset, perplacuit res Cancellario ut quae perutilis in tota Bavaria futura videbatur, et se jam ante biennium ea de re cogitasse et cum Duce contulisse affirmabat, nec de ejus se dubitare voluntate; sed ad hujusmodi Collegii erectionem non decimas ullas, ne Universitati substrahi quicquam videretur, sed ex aliqua abbatia, a monachis deserta, vel vacantibus beneficiis ecclesiasticis fundationem Collegii, Pontificis Summi auctoritate, faciendam videri. Et tunc primum tractari coeptum est in universa Germania de Collegio Societatis instituendo; quamvis alia prius, propter varias causas dilationis, fuerunt instituta. In hoc autem ingressu nostrorum, Patris Claudii auctoritas et gratia apud Praelatos Germaniae multum contulit.

437. Coloniae interim nostri pauci numero erant, et tamen illi consuetis Societati modis bene mereri de proximis non desinebant; et per confessionum ministeria et spiritualia Exercitia P. Leonardus Kessel multos ad profectum adjuvabat, et aliqui ad nostrum, aliqui ad Carthusiensium institutum a Domino movebantur. Inter caeteros juvenes magister Erardus Leodiensis, magister Martinus Stevordianus, Arnoldus Hezeus fuerunt, qui litteris etiam dabant operam et domesticis disputationibus et declamationibus, quibus externi scholastici auditores se praebebant, exercebantur [1].

438. Lovanii fuit perpaucorum de nostris caput P. Cornelius Brogelmans, donec hoc ipso anno P. Adrianus Adriani, qui Romam anno proximo venerat, cum socio Lovanium remissus, Collegii nostri curam suscepit; et numerus auctus aedificationem augere potuit, et non pauci ad Societatem animum applicantes vel ibi admitti vel Romam mitti potuerunt. Reditus Patris Nicolai Gaudani, magnis precibus adhibitis, a Marchionissa Bergensi petebatur, quae ab eo pendere non unius civita-

---

1 Ignatius Leonardo Kessel, in Societatem acceptans Martinum, Arnoldum, Godefridum et Erardum, 8 Julii; Polancus eidem, de ratione scribendi, eadem die.

tis, sed magnae partis Bravantiae salutem scribit; sed id justis ex causis est ei denegatum [1].

439. Hoc anno 1549 praeerat nostris parisiensibus P. Baptista Viola, et in Collegio Longobardorum idem electus ab italis superior erat. Cum enim domum propriam nostri non haberent, eo in Collegio aliquot bursas, ut vocant, quidam ex nostris obtinuerant, quod ex illis Italiae locis essent, ex quibus, juxta institutionen antiquam illius Collegii, aliqui admitti poterant. Sed se religiosos esse hi dissimulabant; alios autem de Societate tanquam convictores, vel quibus ipsa cubicula locarentur, penes se habebant. Omnes curabat diligenter Pater Viola, et, adjutus opera P. Everardi Mercuriani, in disciplina religiosa (prout ferebat loci ac temporis ratio, cum contradictionum tolerantia potius quam constitutionibus vel regulis tunc esset vivendum) continebat. Non enim vacabat hoc habitationis genus magnis incommodis, quae partim ex saecularium eodem in Collegio viventium contubernio oriebantur, partim ex eo quod aperte Societatis institutum profiteri non audebant, ne ex Collegio ejicerentur. Ideo ad Dei gloriam et Societatis magnum commodum futurum esse videbatur, si domus aliqua propria, ubi nostri seorsum et religiosorum more degerent, et sacellum ad confluentium externorum confessiones excipiendas, et Sanctissimum Sacramentum eisdem ministrandum, haberent; et cum Episcopum claramontanum P. Baptista adiisset et rem cum eo contulisset, consilium ille probavit et ad domum coëmendam sexcentorum aureorum eleemosynam obtulit. Alii etiam amici et ex novitiis duo suum symbolum ad domum hujusmodi coëmendam vel contulerunt vel promiserunt. Sed cum magna diligentia domum aliquam idoneam tota fere Universitate quaererent, nullam, quae moderato aliquo pretio emi posset, invenerunt; et licet invenissent, quia nondum Societas in Gallia stabilia aliqua bona habere poterat, prius ea facultas, quam *naturalitatem* vocant, erat a Rege Christianissimo impetranda.

440. Quamvis autem Episcopus Claramontanus oblocutio-

---

1 Polancus Cornelio Brogelmans, de rebus temporalibus, 13 Maii; idem, *ex commissione*, Adriano Adriani, de anticipanda et postponenda officii recitatione, et plura de paupertatis voto, 9 Octobris; idem eadem die, Marchionissae de Bergis, de Nicolao Gaudano.

nibus quorumdam non exiguae auctoritatis hominum (utpote qui doctores erant theologiae) tepidior solito in instituendo Societatis Collegio effectus esset, et ad suorum dioecesanorum utilitatem spiritualem potius se debere convertere existimaret; ut vir piae mentis erat, non ita a proposito priore revocari potuit, quin vellet Societatem ad habendum Parisiis domicilium juvare; et, post multa cogitata, eam rationem ineundam duxit ut domum quamdam ipsius Episcopatus Claramontani, quae in via Citharae satis commoda ad nostrorum usum erat, nostris habitandam daret, ut interim, dum alia commodior domus emeretur, nostri seorsum et more Societatis habitarent. Hortatus est etiam ut suo nomine ad Patrem Ignatium scriberetur, ut ex professis Societatis aliquem Parisios mitteret, non solum ut Societatis consueta ministeria ibi exerceret, verum etiam ut quae Societati donarentur, ab ipso P. Ignatio auctoritate accepta, posset admittere. Nolebat enim dubius esse ad Societatis ipsius commodum perpetuo futurum, si quid vel ad domum coëmendam vel familiam sustentandam dedisset; et quia ad novi Pontificis electionem Carolus, Cardinalis Guisianus, qui primas apud Henricum Regem habebat, simul cum aliis Cardinalibus gallis Romam venerat, suadebat ne eam occasionem P. Ignatius elabi de manibus permitteret, sed diligenter Societatis negotia in Gallia conficienda Cardinali Guisiano praesertim commendaret [1].

441. Quamvis autem cum aliqua perturbatione domestica hic annus propter causam Longobardorum, ut diximus, transigeretur, liberi tamen ab hujusmodi molestiis P. Everardus ac Pater Joannes Pelletarius pietatis officiis sedulam operam navabant. Ipse etiam P. Baptista (nam alii novitii erant) in spiritualem coadjutorem a P. Ignatio admissus est, et Societatis facultates per patentes litteras accepit, quas duobus praedictis, Everardo ac Joanni, mittendas etiam curavit ut, cum multis sacramenta Confessionis et Communionis ministrarent, petentibus cum qua auctoritate id facerent, possent respondere. Petierat P. Ignatius, cum Siciliae et aliorum locorum Collegia

---

1 Polancus, *ex commissione*, Joanni Baptistae Viola, de Doctore Govea, de domo, de sacello, de conciliando Episcopo Claromontano, de iis quae Societas erga fundatores domorum praestat, de non suscipienda Missarum obligatione, de obedientia, etc., 11 Maii; idem eidem, de mediis ad adquirenda jura, quae *naturalitatem* vocant, 1 Junii.

urgerent, num aliquod lectorum subsidium ad graecas praesertim et hebraeas litteras docendas Parisiis mitti posset ; et ita sub autumni initium quatuor ex Collegio Parisiensi, qui in artium facultate magistri omnes erant, et duo ex eis etiam in theologia versati, Romam missi sunt. Eorum autem unus erat Pater Joannes Pelletarius, alter magister Guido Roiletus, tertius magister Joannes Forcada [1], quartus magister Nicolaus Morellus ; qui omnes ad excolendam Domini vineam erant idonei. Et nihilominus Parisiis duodecim hoc anno vel tredecim numero de Societate exstiterunt ; nam simul atque initio Septembris quatuor illi Parisiis discesserunt, totidem alii, quibus exercitia P. Everardus proposuerat, in eorum locum successerunt; inter eos magister Robertus Clayssonius et magister Joachimus, uterque natione belga, cum juvenes satis eruditi essent, in Societatem sunt admissi [2].

442. Conferebant se ad Carthusianos praedicti Patres dominicis ac festis diebus, ubi nostri sanctissimae Eucharistiae sacramentum sumebant ; et eorum, vel exemplo, vel etiam exhortatione commoti, alii scholastici satis multi ad eadem sacramenta suscipienda eo confluebant, qui aliquando sexagenarium numerum excedebant; sed alii etiam ex populo utriusque sexus homines nostrorum opera in rebus spiritualibus juvabantur, et ad res Societatis fovendas satis erant propensi. Spiritualia vero Exercitia late admodum patebant, inter gallos aeque ac flandros; quidam etiam hispanus, qui commendatitias Patris Strada litteras tulerat, per eadem Exercitia ad Societatis institutum accessit. Doctor Picardus et consiliis, et auctoritate, et omni opera res nostrorum sincere admodum et amanter promovebat [3].

---

1 Vide supra not. 3, sub. num. 259, pag. 296.

2 Polancus, *ex commissione,* Joanni Baptistae Viola, de Everardo Mercuriano et Joanne Pelletario; mittit etiam patentes litteras ut privilegiis Societati concessis uti possint, 13 Februarii; idem domino Perot, eadem die; Ignatius Joanni Baptistae Viola, ne quempiam in Exercitiis ad unum potius quam aliud moveant, 9 Februarii; Polancus, *ex commissione*, J. B. Viola, de iis, qui Patavio et Venetiis Parisios mittuntur, de communicatione per litteras et alia cum Lovaniensibus et Coloniensibus, 28 Marti; Ignatii patentes litterae Patribus Viola, Mercuriano et Pelletario, 11 Maii; Polancus Joanni Baptistae Viola, de ratione scribendi Romam, 13 Maii; idem eidem de diligentia in quaerenda domo, 28 Octobris 49.

3 Polancus, *ex commissione,* Doctori Picardo, gratias agens, etc., 11 Maii; idem Joan-

443. Nec deerat tamen nostris patientiae exercitatio; multi enim, ex ordine praesertim theologorum, eos satis diligenter exagitabant, inter quos Doctor quidam magni nominis affirmabat Societatem non esse duraturam; ideo in alios pauperes potius quam in eos eleemosynas esse collocandas; alter huic et illi dissuadebat nostrorum familiaritatem et ne se cum eis immisceret; tertius, qui sub Patre Ignatio, cum Parisiis esset, spiritualibus exercitiis excultus fuerat, affirmabat nostros omnes, si quidem pro merito tractandi essent, publice per plateas verberibus caedendos esse, ut qui seductores juventutis essent; et in testimonium id adferebat quod, ut triginta dies in quodam cubiculo rebus spiritualibus incumberet, Ignatius ei auctor fuisset. Hujusmodi autem rumores, Talpinus quidam, in humanioribus litteris latinis et graecis eruditus, et quidem in philosophia et theologia versatus, auxit; cum enim in exercitiis spiritualibus a P. Paulo de Achillis adjutus fuisset, spiritu fervens votum emisit de Societate nostra, si admitteretur, ingredienda; et accidit (cum id ignoraret omnino P. Paulus) ut vota nostra sanguine proprio, qui ex naribus forte deciderat, conscriberet; cum autem esset parum constantis animi et cum voti successu temporis poeniteret, non paucos doctores consuluit an hujusmodi votis teneretur, quae suomet sanguine conscripserat. Illi vero existimaverunt quod fortassis edendorum votorum et proprio sanguine scribendorum P. Paulus auctor fuisset, qui tamen nullo modo rem intellexerat; et inde nostrae Societati hoc imponebant quod homines ad vota temere emittenda et proprio sanguine conscribenda hortaretur; quibus rumoribus matronam quamdam, quae domum nostris donare constituerat, a proposito suo revocarunt. Episcopo etiam Claramontano frigidam adhibuerunt; ille tamen, qui Societatem Tridenti et in Italia noverat, non potuit omnino a sua deliberatione revocari, quamvis aliquandiu tepidior fuerit. Curaverat P. Ignatius ad Nuncium Apostolicum et ad Cardinalem Machonensem [1], litteras mitti; Cardinalis enim Farnesius studiosus nostrae Societatis ab initio, ejus protector sem-

---

ni Baptistae Viola, de ministeriis Societati consentaneis, quibus, dum per adjuncta liceat, incumbere nostros Parisiis degentes oportebit, 29 Augusti 49.

1 Rectius, ut videtur, *Matisconensis*; sed, si ita est, non recte dicitur *Cardinalis*.

per fuit [1]; et quidem Nuncius egregie officio suo functus est, et quamvis mors Pontificis consequuta in causa fuit ne quid apud Regem tunc conficeretur, per Cardinalem Guisianum, qui operam suam apud Regem obtulerat, tandem effectum est. Cardinalis autem Machonensis se nullo modo Societatem adjuturum et potius Regi dissuasurum ne eam juvaret protestatus est, cum nostri sub religionis specie panem pauperum ederent; quodque multo consultius esset, si nos et alii multi religiosi ad terram fodiendam nos converteremus, et quod sciebat quisnam fuisset auctor hujus religionis, nimirum Ignatium quemdam, hispanum. Aderat tunc opportune Cardinali vir pietate et doctrina insignis, Danesius [2], qui postea Episcopus effectus est; is Regis christianissimi in Concilio Tridentino orator fuerat; qui coepit apud illum Antistitem Societatis institutum et insignem fructum ex ea provenientem commendare, ut qui Patrem Claudium Jaium cum duobus aliis Patribus (hi erant Jacobus Laynez et Alphonsus Salmeron) in Concilio Tridentino cognovisset, qui viri erant magna sanctitate, pietate ac doctrina praediti, et insignia charitatis opera in Concilio et civitate tridentina ediderant; et quod, animadverso spirituali fructu, qui ex Societatis opera proveniebat, ipse jam viderat domum Societati donatam Patavii, et quod Venetiis alia erat brevi inchoanda, quodque Portugalliae Rex Collegium erexerat, et in Hispania duo vel tria jam erecta erant; et alia hujusmodi bonus ille et perdoctus vir tam opportune dixit ut advocatus a Societate missus videretur; nihil tamen a Machonensi Antistite impetratum est, quem forte parisienses aliqui doctores rumoribus jam dictis praeoccupaverant [3].

444. Die Praesentationis Beatissimae Virginis ad Montem Martyrum, ubi caput Divi Dionysii Areopagitae conscissum est, cum se nostri parisienses ad confirmanda sua vota et sa-

---

1 Videtur hic deesse aliquid, scil., Ignatium curasse litteras ad Nuncium Apostolicum Parisios mitti per Cardinalem Farnesium.

2 Pierre Danes.

3 Commendatitiae litterae Ducis Ferrariae et Mutinensis in favorem scholasticorum Societatis Parisiis in Collegio, qui Lombardorum dicitur, degentium, mense Aprili; Cardinalis Farnesius Nuncio Apostolico, de Societatis instituto et natura, quo Regem Galliae de iis edocere valeat, mense Maio; Cardinalis de Armagnac cuidam Regis familiari in favorem Societatis, eodem tempore; Polancus, *ex commissione,* de Talpino Romam mittendo, ejusque studiis, 28 Octobris.

cram synaxim sumendam contulissent (est enim is locus, ad excitandam devotionem magnopere aptus) multi ex benevolis, et qui etiam sancta Sacramenta a nostris suscipere soliti erant, ex insperato adfuerunt, et magna cum aedificatione hujus renovationis tredecim collegialium spectatores fuerunt. Supplebat omnino spiritus Domini multa, quae illis id temporis deesse videbantur, scilicet, domus propria, constitutiones et regulae, et alia, quae disciplinam religiosam fovere solent. Erat nihilominus in eis magna ad obedientiam promptitudo et singularis instituti ac Societatis totius amor, unde ad eam numero operariorum augendam, diligenter alios, qui idonei videbantur, ad religionis statum invitabant. Cum ageretur etiam de domo, quae Societatis esset propria, coëmenda, licet nihil a Superiore injunctum esset, ipsi novitii patrimonia sua vendenda, ut pretium eorum ad domum emendam converteretur, libentissime offerebant. Ipse etiam P. Baptista, qui propter adversam valetudinem et occupationes, quae studium Theologiae impediebant, Patri Ignatio sui mutationem in aliam Universitatem proposuerat, quamvis libera etiam ei potestas facta, ut Parisiis recederet, cum tamen id temporis ageretur de domo Societati paranda, et valetudinem et sua studia posthabuit communi Societatis bono, et ibidem permanere decrevit, quod suam operam id temporis esse necessariam ad praedictum negotium intelligeret. Nullus adhuc erat concionator Parisiis ex nostris, et tantum per Sacramentorum ministerium ac spitualia Exercitia, dum litteris dabant operam, proximorum auxilium et ipsius Societatis augmentum promovebant. Alebat autem in primis eorum sancta desideria, quod de spirituali fructu aliorum locorum, Indiae, Portugalliae, Hispaniae, Italiae, ac Siciliae audiebant; itaque litterarum communicatio ad optima quaeque eos animabat et in magnis difficultatibus consolabatur [1].

445. In Hispania res Societatis hoc anno non exiguum incrementum, Salmanticae praesertim et Compluti, acceperunt. Sub initium anni 1549 P. Doctor Torres, ut humilitatis funda-

---

1 Polancus, *ex commissione,* Patri Joanni Baptistae Viola, de tuenda valetudine et an velit Romam Septembri mense se conferre, de alio in ejus locum subtituendo, 13 Februarii; idem eidem, de iis qui Romam Parisiis venerant, de regulis quibus Parisiis gubernabantur, de studiis, de profectu in virtutibus, 28 Octobris.

mentum solidius jaceret, in officiis janitoris, vel coqui, vel ejus qui refectorio inservit, se occupabat; ipsemet immunditias collectas adsportabat, manu sua omnium domesticorum lectos sternebat, domum verrebat, et alia etiam humiliora praestabat, ultimus mensae assidebat, et demum exemplo suo non minus quam verbis ad sui abnegationem sibi subditos fratres invitabat. Aliunde etiam humilitatis occasio praebebatur; nam ipso die Epiphaniae religiosus quidam et insignis concionator ordinis Sancti Dominici in suo templo dixit, inter alia, inventores novarum religionum esse hypocritas, cum aliud intus retineant quam foris ostendant; Religiones approbatas sufficere Ecclesiae Dei, nec angulos esse quaerendos; quae propter Societatem dicta fuisse, facile auditores intelligebant; sed parum hujusmodi dicta eorum animos jam movebant, et nostri domi ad Christi imitationem, sui Rectoris exemplo, adspirabant, et in concionibus etiam domesticis privatim se exercebant [1].

446. Venit autem P. Franciscus Strada Salmanticam, et cum jam de Societate homines majoris auctoritatis et populus etiam bene sentirent, quamvis concionatoribus civitas abundaret, suggestum in optima civitatis parochia, scilicet Sancti Martini, ei assignarunt. Coeperat quidem ille concionari in templo Sancti Isidori, sed cum semel in parochia Divi Martini concionatus esset, sic auditores affecti sunt ut ad Collegium accederent, et precibus fere importunis ut ea quadragesima apud se concionaretur postularent. Cum tamen ex Collegio Divi Bartholomaei (quod prae caeteris insigne est) Theologiae quidam publicus professor eum suggestum saltem ad dies dominicos sibi dari peteret, adeuntes Episcopi Vicarium (quem Provisorem vocant) parochiani significarunt tantopere sibi placuisse concionem illam primam, ut alterius admisceri conciones nollent, nisi forte post quadragesimam ipse P. Strada id proba-

---

1 Polancus, *ex commissione*, Doctori Torres, mittens Generalis Praedicatorum patentes litteras, Romae acta in curia, Pontificis Breve, seu *Conservatoriam*, et Cardinalis Burgensis litteras, sub finem Januarii; idem eidem, de exploratoribus, qui nostros concionantes audiant et ad tribunal Inquisitionis deferant, adhiberi solitis, eadem die; idem eidem, quid praestandum, ne alio quam *Societatis Jesu* nomine appellemur, 26 Januarii 49.—Litterae hujus anni historicae; item quadrimestres Salmantinae; item Patrum Torres, Alvarez, Araoz et Strada, et Cardinalis Mendoza ad Sanctum Ignatium.

ret; nihil autem horum nostri intellexerant, quin potius in hospitalibus invisendis et aliis piis operibus erant occupati. Retulerunt clerici ejus parochiae quod jam coeperant timorem illum abjicere, quem illis concionator incusserat ne nostri essent de illorum numero, de quibus ait Dominus: *cavete,* etc.; et rogarunt ut ad eos in hac quadragesima in confessionibus juvandos nostri sacerdotes accederent.

447. Brevi itaque tempore omnia ita in melius mutata sunt, ut jam nemo fere colloqui contra Societatem Salmanticae auderet, et qui prius, licet diligerent nostros, non tamen audebant cum eis conversari, singulis dominicis diebus ad confessionem et communionem et alii ad res suas communicandas accedebant, et admirandam in ea civitate Dominus benevolentiam, aestimationem, ac devotionem erga Societatem plantavit, ut sinistram opinionem, contemptum et odium, quod diabolus initio seminare nitebatur, longe superaret, et tranquillitas multo major, quam tempestas fuerat, est consequuta, et multi auctoritate ac doctrina clari viri, fructum spectantes, gloriam Deo magno affectu tribuunt, qui eos, cum caeci essent, luce suae veritatis illustrasse et pertaesos vitae praeteritae male actae ad salutis viam deduxisse dignatus est.

448. Prosequutus est P. Strada suas conciones in templo Divi Martini ter in hebdomada pro more illius civitatis, et tam frequens ad eum audiendum accurrebat hominum multitudo (inter quos multi nobiles, et doctores, ac Universitatis cathedratici et scholastici erant), ut fere nulla ecclesia eam capere posset, et satis mature surgendum illis erat, qui commodum habere locum vellent; et, quod Salmanticae valde inusitatum erat, Patrem Castrum, insignem doctorem et concionatorem, ut hunc audirent, relinquebant. Nec facile explicari posset quanta vitae ac morum mutatio in auditoribus fuerit animadversa; plurimi, etiam saeculi vanitatibus valedicentes, in varias religiones sunt ingressi; affirmabant supra centum eos fuisse, alii trecentos dicebant, ut Provinciali Inquisitor Valentiae retulit. Inter alia autem pietatis opera illud sigillatim persequar, quod cum quidam civis Salmanticae alium injuria affecisset, et inimicitias inter se exercerent, unus eorum post concionem magna cum humilitate et sui erroris cognitione veniam ab eo, quem offenderat, postulavit; duo alii, qui

injuria affecti a tertia quadam persona fuerant, et unus eorum in vultu vulneratus, nec veniam ullo modo ei, qui offenderat, donare vellent, adivit eos P. Strada, a Rectore Collegii Ovetensis rogatus, et tam se obstinatos ostendebant, ut cum in nomine Domini eos alloqueretur, obdurescere potius quam emolliri viderentur. Tunc Strada, genibus ad eorum pedes provolutus, multis cum lacrymis dixit: ego ille sum, qui vos injuria affeci; precor vos propter amorem Jesu Christi crucifixi ut mihi ignoscatis; et cum in verbis hujusmodi et lacrymis aliquandiu perseverasset, scissae sunt etiam petrae cordium illorum et magno cum profluvio lacrymarum, quasi confusi et attoniti, ultro et quodam modo ipsi rogantes, veniam obtulerunt. Concionatus est etiam bis in cathedrali ecclesia, et canonici, quibus magnopere conciones ejus placuerant, pia quadam importunitate rogarunt ut passionem Domini ipsis praedicaret, quod magno cum spiritu die Veneris Sancti a tertia hora post mediam noctem usque ad septimam concionatus est; et quas vires corpus non habebat, Dominus illi ad hujusmodi labores ferendos dabat. Magno eum affectu civitas complectebatur, et ad ejus consilium petendum circa religionis ingressum et alios conscientiae casus multi confluebant; et ita graviter admodum ferebant quando de ejus in alium locum discessu aliquid audierant [1].

449. Praeter conciones Patris Stradae in variis Salmanticae templis, varia pietatis opera, in quibus P. Torres occupabatur, multum aedificationis, hominibus doctis praesertim, quibus ille magis notus erat, adferebant; et inter caetera, quod in custodia publica civitatis singulis dominicis diebus concionabatur, et ibi detentorum confessiones audiebat, et capite puniendos usque ad supplicii locum ac mortem ipsam comitabatur, et ad bene moriendum adjuvabat; pauperum etiam, qui ibi detinebantur, necessitatibus subventionem curabat, ita ut tam vincti quam carceris ministri, et judices, ac gubernator ipse pro patre ipsum haberent et ei confiterentur. Id autem ejus effecit industria, ut multorum afflictionibus remedium adhibue-

---

1 Polancus, *ex commissione,* Francisco de Strada, de ejus profectione Salmanticam et Vallisoletum, mense Decembri 48. — Quadrimestres Salmantinae et Complutenses; item historicae hujus anni 49, Patris Strada, Cardinalium Mendoza et Poggii et civitatis et praefecti Vallisoletani ad Ignatium.

rit, et poenas, vel debita, vel tempus carceris eis dimitti et demum liberari impetraverit. Nobiles etiam, qui plurimi sunt Salmanticae, ad eumdem Doctorem Torrensem, ut inter ipsos pacem componeret, confluebant. Et hoc pietatis opus non solum inter cives sed etiam inter externos exercebat; nam vicinorum locorum homines cum magna devotione, tam ad conciones Patris Strada quam ad sacramenta Confessionis et Communionis domi nostrae suscipienda veniebant, et nunquam sibi videri confessos esse usque ad id tempus aliqui affirmabant. Sed major fuit nobilium et scholasticorum ac civium utriusque sexus numerus, qui tam frequentes ad Poenitentiae sacramentum conveniebant, ut rogare complures eorum oporteret, ut alio ad confessiones suas instituendas se conferrent, cum tempus ad eos audiendos non sufficeret; et qui prius detraxerant Societati, quasi suum errorem erubescentes et emendare volentes, de retinenda Societate erant solliciti, et ut domum fixam haberent se pro virili parte adjuturos pollicebantur; eleemosynas etiam dare cupiebant, sed cum Doctor Torres eas non admitteret, ad majorem aedificationem id cedebat. Vir quidam nobilis, si situm tantum nostri acciperent, curam ipse quaerendi inter cives eleemosynas ad Collegium aedificandum se suscepturum dicebat; alius non ad honorem civitatis futurum, ubi tot nobiles viri sunt, si Cardinalis Dominus Franciscus de Mendoza, qui Romae versabatur, Collegium Salmanticae non erigeret; multi distribuendas in pauperes et opera pia eleemosynas ad nostros afferebant; cum unus vel alter ex nostris in morbum incidissent, et quidem gravem, non solum duo medici suam operam gratis praestiterunt, sed et alii quae necessaria erant, tam ad cibos aegrotantibus convenientes quam ad medicinas, magna charitate afferebant [1].

450. Hujus tantae commotionis occasione Doctor Torres Cardinalem Mendoza, a quo Salmanticam missus fuerat, ad locum aliquem Societati comparandum litteris invitabat, ut fructus uberrimus, qui Dei benignitate provenire ex Collegio civitati coeperat, stabiliretur et cresceret.

451. Illud observatum est, quod cum a religiosa familia

---

1 Ignatius Doctori Torres, de Collegio Salmantino et de litteris Cardinalis Mendoza, 18 Januarii; Polancus, *ex commissione*, eidem, de Cardinali Mendoza et beneficio-

Patrum Praedicatorum magna in Societatem tempestas fuerit excitata, nihilominus in eorum insigne monasterium Sancti Stephani complures, excitati concionibus Patris Strada, sunt ingressi; cum tamen major pars eorum, qui ad consilia Christi sectanda excitati fuerant, ad nostros, consilii gratia, cui omnino acquiescere decreverant, veniebant; unde, si locum nostri et facultatem ad multos admittendos habuissent, facile Collegium nostrum impleri potuisset. Inter ea vero quae Societatis existimationem ea in civitate et Universitate multum auxerunt, illud fuit, quod sine ulla specie propriae utilitatis quaerendae in omnibus spiritualibus suis negotiis, quae ab ipsis tractabantur, procedebant; unus tamen ex canonicis cathedralis ecclesiae, Theologiae doctor, optime instructam suam bibliothecam post mortem suam Collegio se relicturum promisit [1].

452. Coepit autem non parum augeri numerus eorum, qui octavo quoque die in sacello nostro peccata confitentes communicabant, consilii etiam gratia quotidie domum nostram ventitabant, et quidem praecipue generosi scholastici et nobiles civitatis; et tanta cum devotione suas confessiones audiri postulabant, ut accideret quemdam ex nobilissimis Baeticae dominis, humi prostratum, a P. Strada petere ut ejus confessionem audiret; et praeter illos, qui centenarium numerum excedere ipsa in quadragesima diximus, alii atque alii cum desiderio Deo serviendi nostris se offerebant, pro ipsorum consilio religionem ingressuri. Nec solum P. Strada in concionibus sed in colloquiis etiam familiaribus perutilem Domini operarium agebat cum aedificatione et admiratione populi. Pauci aliqui in Societatem admissi, et duo illorum Gandiam missi sunt. Ad aegrotantium domos, nostri etiam, ut eos in spiritu juvarent et confessiones eorum audirent, accersebantur; sed tanta erat confluentium ad Collegium nostrum mul-

---

rum applicatione, eadem die; idem eidem, de domo coëmenda Salmanticae et usu redituum a Cardinali Mendoza donatorum, ineunte Maio 49. — Historicae et quadrimestres et Cardinalis Mendoza ad Ignatium et Doctorem Torres litterae.

1 Ignatius Patri Strada, de Mare magno et privilegiis, 18 Januari 49. — Historicae hujus anni et quadrimestres, praesertim Patris Alvarez, Doctoris Torres socii et Secretarii; Stradae litterae ad Ignatium et Polancum. — Consuli utiliter potest *Historia* mss. *Conventus Sancti Stephani, Ordinis Praedicatorum, Salmanticae.*

titudo ut non solum cum sacerdotibus sed cum minimo ex fratribus laicis de rebus spiritualibus conferre contenti essent.

453. Scripsit Pater Strada magistro Joanni de Avila, de quo superius facta mentio est, quod erat pietate et doctrina et concionandi dono vir insignis; responsum autem ab eo tunc accepit, quod nostros non mediocriter consolatum est; singularem enim charitatis affectum erga Societatem ostendebat et se dolere significabat, quod senem et valetudinarium se videbat, ut non posset ad Societatem per seipsum juvandam vires adferre, quidquid tamen posset ad eam promovendam se facturum [1].

454. In senatu civitatis Salmanticensis ad aliqua pietatis opera Societatis ministerio utendum esse statuerunt, et aliqui ex eodem senatu (*rectores* vocant) Patrem Torres adierunt, et de domo puellarum orphanarum et alia mulierum, quae a peccatis publicis converterentur, instituendis cum eodem egerunt, et ejus consilio et opera se juvari velle significarunt et ut ipse ad hujusmodi opera ministros aliquos idoneos quaereret [2].

455. Eorum, qui spiritualibus Exercitiis excoli optabant, non exiguus erat numerus, sed quoniam domus erat angustior, invitabantur nostri ut aliam ampliorem, dum propriam non habebant, sibi conducerent. Multi etiam in Societatem admitti optabant, qui, cum nec domus nec sustentationis facultas multis sufficiebat, non admittebantur.

456. Erat id temporis Dominus Antonius de Corduba Salmanticae, Marchionissae de Pliego filius et Comitis de Feria frater. Is magno affectu Societatem nostram complexus, ibidem sacramenta Confessionis et Communionis crebro accipiebat; et cum ex cathedraticis primarii nonnulli eum a familiaritate nostrorum avertere niterentur, et an ab eorum vellet amicitia excidere propter nostros interrogarent, et quod a quartana, qua tunc laborabat, non esset liber futurus, nisi a nostris recessisset, affirmarent, non solum illis persuasionibus

---

1 Ignatius Doctori Torres, quid agendum si Joannes de Avila Societatem ingredi postulet, ineunte Maio. — Multa de hoc habentur in *Cartas de San Ignacio* et plura edentur in *Supplemento*. Nonnulla etiam reperire est in *Processu Beatificationis Ven. Servi Dei, magistri Joannis de Avila*.

2 Ignatius Francisco de Strada, de Conversarum domo, 18 Januarii 49. — Litterae Doctoris Torres ad Ignatium, Polancum et Araoz.

non cessit, sed potius in ardenti dilectione Societatis magis crescebat, quam post bienium etiam ingressus est. Perseverabant nihilominus aliqui religiosi Ordinis Praedicatorum, zelo non malo fortassis sed non secundum scientiam, nostros exagitare, et constat eos id tentasse cum ministris justitiae ut domum nostram visitarent, ut viderent quos libros nostri haberent. Fuit etiam qui, dum concionaretur, gravissime in clericos quosdam, qui sancti habebantur, invectus est, quod tantum de Societate nostra dictum intelligebatur. Parum tamen profecerunt, et Roma etiam contra molestatores hujusmodi aliquod subsidium auctoritatis apostolicae missum est; et, ut superius diximus, ab ipso Generali magistro Ordinis Praedicatorum patentes litterae contradictoribus ejus ordinis silentium imposuerunt.

457. Decem id temporis Salmanticae versabantur, inter quos fuerunt, praeter Doctorem Torres et Franciscum Strada, Patres Baptista Sanchez, Maximilianus Capella, Navarrus, Gonzalvus Gonzalez, Joannes Alvarez, qui omnes multum in Societate Domino servierunt, temporis progressu [1].

458. Visum est autem Patri Provinciali, Antonio de Araoz, Patrem Strada Complutum esse transferendum; et decima tertia Septembris Salmantica profectus, Vallisoletum ad Provincialem se contulit, inde ad complutenses progressurus. Ante profectionem tamen cum in celeberrimis Salmanticae locis concionatus esset, ab Universitate invitatus est, ut in capella publicarum scholarum concionem unam saltem haberet, idque in exequiis magistri Vegae, qui celebris franciscanae familiae religiosus, tum pietate tum doctrina fuit. Quamvis autem unicus tantum dies ad praeparandam concionem relictus fuerit, nunquam melius nec magis ad rem concionari in eo loco visus est; et scholastici novo modo se tunc gesserunt; ii enim, licet clarissimi sint concionatores qui in ea capella verbum Dei praedicare solent, eorum nullum fere audiunt, sed postquam ingressi sunt, paulisper orantes, quo obedientiae satisfaciant, subsistunt, et statim recedunt: quando vero Pater Strada praedicavit, plenum fuit sacellum viris graduatis, et omnium

---

1 Polancus, *ex commissione,* Doctori Torres, de iis qui, in Societatem admissi, Romam mittendi sunt, 18 Januarii; idem eidem, de Constitutionibus Collegii Salmantini, 26 Januarii. — *Catalogus eorum qui Societatem Jesu in Collegio Salmantino ab ejus fundationis anno ingressi sunt.* Mss.

Ordinum religiosis, ac scholasticis, qui summa cum attentione concionantem audierunt. Nec sine satisfactione et fructu eo labore perfunctus est ; nam generalem confessionem plurimi scholastici, vacationum tempore, apud nostros instituerunt.

459. Illud etiam a Patre Torres, vel potius a Deo per ipsum egregie effectum est, ut cum quidam justitiae minister, qui jam octo annos extra conjugis suae consortium vivebat, et in articulo mortis constitutus adduci ad confessionem peccatorum non poterat, per Patrem Torres Domino reconciliaretur. Initio quidem, ab ipso parocho evocatus, non paucas horas frustra eum emollire tentavit, et alii duo patres dum illi persuaderent ut Dei nomen invocaret, duas aut tres blasphemias ille protulit : quod cum Doctor Torres videret, simul cum aliis fratribus orationi pro eo instare coepit ; sacerdotes etiam diebus sequentibus in Missae sacrificiis ne ea periret anima magno studio a Deo supplicarunt; et cum interim ad illum nostri accederent, placuit Dei bonitati mentis ejus oculos illuminare et sic movere voluntatem, ut confessus, prout debebat, et Sanctissimae Eucharistiae sacramento accepto magna cum devotione, et aliquod tempus a Domino adhuc habens ad hoc Domini beneficium agnoscendum, ut pium christianum hominem decebat, mortuus est.

460. Canonicus quidam reditibus Collegium illud dotare voluit, si id tamen oneris suscepisset, ut Rector, vel si quis alius clarioribus Dei donis praeditus videretur, singulis diebus horam unam in summo templo, et in quadragesima duas, sacerdotum reconciliationibus, qui Missas dicturi essent, audiendis vacaret, et conciones aliquas, quae ipsi committerentur, eo in templo haberet; et id agebat bonus illi canonicus, ut exemplo et doctrina nostrorum sacerdotes ejus ecclesiae proficerent: non est tamen P. Ignatio visum hujusmodi onus subeundum propter talem dotationem esse [1].

461. Primaria quaedam nobilissima ejus civitatis matrona, quae magno charitatis affectu nostros prosequebatur, filiam

---

1 Ignatii patentes litterae seu publicum *procuratorium ad lites* instrumentum Doctori Torres, 26 Januarii; Polancus, *ex commissione,* Doctori Torres, de Cardinali Coria, de situ Collegii, de litteris scribendis, de Magistro Alvarez, Maximiliano Capella et Joanne Baptista Sanchez, de quadrimestribus litteris, de sociis Romam mittendis, mense Julio 49.

suam cuidam Comiti cum dote quinquaginta millium ducatorum jam jam datura erat, cum filia negavit se velle cuiquam nubere; quod matrem sic exasperavit, ut, cum id ex audita doctrina nostrorum evenisse suspicaretur, de nostris male sentire et etiam obloqui coeperit. Sed et ille ipse religiosus Ordinis Sancti Dominici, qui primo in adventu Societatis cavendum esse a nostris, ut Anti-Christi ministris, populum monuerat, cum discessurus esset Salmantica ad Ordinis sui congregationem, in ultima lectione semel atque iterum suos auditores monuit ut a doctrinis novis, non tantum litterarum sed etiam morum, caverent. Itaque successibus prosperis ne efferrentur animo nostri, et ut fructum contradictionum perciperent, semper aliquos, qui eos exercerent, habere Dominus voluit.

462. Compluti hoc tempore Franciscus de Villanova cum paucis versabatur; et cum Rectoris titulum sibi deferri in litteris vidisset, ut impar onus a suis humeris auferri precabatur; sed id non obtinuit [1].

463. Nullibi clarius quae sit vis spiritualium exercitiorum quam hoc tempore Compluti elucebat. Cum enim nullus ibi concionator sed nec confessarius de nostra Societate esset, hac ratione spiritualium exercitiorum et familiarium colloquiorum paulatim spiritualis fructus augebatur, et vix hi spiritualia Exercitia absolvebant, cum illi in eorum locum succedere nitebantur. Inter alios etiam ipse Gubernator, ut exercitiis excoleretur, se omnino alias occupationes velle relinquere affirmabat. Nec solum ipse Franciscus de Villanova, sed etiam Emmanuel Lopez, dum studiis dabat operam, cum spirituali fructu non poenitendo Exercitia spiritualia quibusdam tradebat. Eorum, qui hac ratione multum profecerant, unus erat Doctor Hieronymus de Vergara [2], vir magnae auctoritatis et eruditionis, nec minoris pietatis, qui vocari quidem se ad institutum Societatis suspicabatur, cum ejus animus ad eam esset valde propensus; sed partim quod ad conchensis ecclesiae

---

1 Polancus, *ex commissione,* Patri Araoz, ei commendans Villanovam, Vergaram et Complutense Collegium, et de iis quae pro eo Collegio expetebat Vergara, sub finem Januarii 49. — Litterae Francisci de Villanova ad Ignatium et Polancum. — *Historia del Colegio de la Compañia de Jesús, de Alcalá,* por el P. Cristóbal de Castro, mss.

2 Verbis *Hieronymus de Vergara* non deletis, superposita sunt aliena manu, et recte quidem, haec: *Alphonsus Ramirez de Vergara.*

cathedralis canonicatum promotus esset, partim quod bonis suis, quae fere in ecclesiasticis reditibus consistebant, Collegium Societatis inchoare et pro virili dotare constituerat, hunc ingressum distulit, et quidem tamdiu ut deinde, senio accedente, parum jam idoneus ad nostri instituti labores effectus est. Is hoc ipso anno procuratorias litteras Romam ad P. Ignatium misit, ut aliqui ecclesiastici reditus Collegio Societatis Complutensi unirentur; et sub anni ejusdem finem domum illam emit Societati, in qua Collegium nostrum erectum est; quamvis aliis adjunctis domibus auctum postea fuerit [1].

464. Quidem Societatis amicus, qui Doctor Ludovicus Gomez dicebatur, Ducissae *del Infantazgo* id optanti, promisit nomine Francisci de Villanova quod ipsam invisurus esset; quod statim ac Villanova intellexit, ut Ludovici fidem liberaret, Guadalaxaram se contulit, ubi de rebus spiritualibus cum eadem Ducissa aliquoties et magna ipsius consolatione egit; eidem etiam Ludovico spiritualia Exercitia primae hebdomadae tradidit decem illis diebus, quibus Guadalaxarae commoratus est, et cum magna fame reliquorum eum reliquit; cum aliis etiam ibidem non sine fructu versatus est, et praecipue cum nobili quodam Didaco Lopez de Orozco, quem Dux et illi nobiles ut patrem habebant, quod aetas, doctrina et virtus magnam ei auctoritatem apud eos conciliaret. Hic vir prudens tam intime Societatis institutum penetravit, idque ita ejus animo sedit, ut quodammodo alia de re quam de Societate non loqueretur. Et non sine utilitate id fiebat; conciones enim illius religiosi, de quo paulo superius mentio facta est, et aliorum ejusdem Ordinis praedicatorum, sic Societatem nostram in Hispania tunc nascentem suggillabant, non quidem jam Compluti (cum enim id tentassent et aliquoties in Societatem invecti essent, nostris tacentibus, Dominus per alios de eadem Universitate, etiam nostris ignotos, eos reprehendebat et coercebat), sed

---

1 Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, ut Franciscum de Villanova reprehendat et puniat, et de eodem Villanova et Emmanuele Lopez ad sacros ordines promovendis, 13 Septembris; idem Francisco de Villanova, de ejus resipiscentia et poenitentia, ineunte Octobri; Ignatius Doctori Vergara, de beneficiorum unione, de operario in Conchensem civitatem mittendo, de casu conscientiae, eodem tempore, anno 49. — Publica instrumenta fundationis, erectionis et dotationis Collegii Complutensis Societatis Jesu.

per alia loca suis concionibus suspiciones et timores contra Societatem spargebant, adeo ut multi ne loqui quidem de Societate auderent, nedum nostris conversari [1].

465. Scripsit hoc tempore P. Ignatius magistro Joanni de Avila, de quo superius sermo factus est, et de ejus benevolentia ac pietatis operibus erga Societatem ei gratias egit, et cura data est Francisco de Villanova, ut Cordubam ad eum invisendum se conferret. Qui, quamvis id temporis tribus Exercitia proponeret, et septem vel octo alios, quorum unus Theologiae Doctor, alii in Philosophia magistri, ad eadem Exercitia peragenda paratos haberet, hoc iter suscepit. Et amantissime a Joanne Avila susceptus, de rebus nostrae Societatis quaedam ei explicavit; licet enim in universum Societatem Joannes diligeret, de ea tamen pauca intellexerat; immo dictum ei fuerat in Exercitiis spiritualibus ad vota emittenda homines adstringi, etc.; at, ubi intellexit peculiari regula id prohiberi, magna consolatione affectus est, et operam suam omnem et vires ad conservationem et augmentum Societatis se collaturum affirmabat, ac se dolere quod aetate et morbis plurimis enervatus non posset Societati se ipsum utiliter adjungere; ac suum discipulum, Doctorem Gasparem, de quo superiori anno scriptum est, ubi cursum theologicum hoc anno absolvisset in civitate Xerez, ad Societatem missurum se recepit. Rescripsit etiam magister Joannes de Avila officiosas et pias admodum litteras Patri Ignatio, gratias agens Deo, sapientiae fonti, quod ab ipsa institutione Societatis opus Dei eam esse, et quidem magnae misericordiae tam erga eos, qui in eamdem admitterentur quam erga alios, qui per eam juvarentur, intellexisset. Suggessit etiam opportunum sibi videri si a Sede Apostolica remedium aliquod (*conservatoriam* vulgo vocant) contra eos, qui operi Dei se opponunt adhiberetur; aliquem etiam ex primis Societatis Patribus in Hispaniam mitti postulabat, quamvis eos, qui in eadem Deo inserviebant, commendaret [2].

---

1 Polancus, *ex commissione*, Patri Francisco de Villanova, consolatoriae litterae, sub finem Januarii; idem eidem, quid praestandum ne alio nomine quam *Societatis Jesu* appellentur, eadem die; idem Patri Araoz, de mittendo Strada ad tempus Guadalaxaram, mense Decembri 49.

2 Ignatius Joanni Avilae, 24 Januarii; Joannis Avilae ad Ignatium responsum (Vide

466. Rediens Complutum Villanova paratam invenit messem quam, pro more suo, in horrea Domini congregaret, et Toleti Societatem expeti, et domum ac reditus ei a multis nobilibus offerri; aliqui etiam Societatem ingressi sunt, quorum alii, quoniam propter domum exiguam et paupertatem ejus Compluti admitti non poterant, Valentiam et Gandiam missi sunt [1].

467. Defunctus est Compluti quidam nostrae Societatis religiosus, Petrus de Sylva nomine, qui unicus erat inter nostros Compluti degentes sacerdos; et tanta erat nostrorum paupertas ut ornamenta, quibus illum induerent (sunt autem ea exigui admodum pretii, quibus defuncti sacerdotes vestiuntur communiter), non haberent. Sed quidam Ordinis Sancti Francisci religiosus, qui charitatem fratrum nostrorum inter se (cum forte illis adesset) mirabatur, nemine ab eo id petente, tam ornamenta quam reliqua ad sepulturam necessaria sponte providit; ubi id observatum est quod, cum fuerit defunctus ille magna devotione erga Sanctum Franciscum affectus, ipse per illum monachum suum quae necessaria erant ad sepulturae commoditatem et decentiam providit.

468. Fuit autem admiranda Dei providentia erga illud Collegium Complutense in eo, quod jam subdam. Sacerdos quidam, cognomento Borassa [2], Franciscum de Villanova adiit ut in nostram Societatem admitteretur, et duos annos id sollicite curavit; et cum vir doctus, et honoratus, et sanctus a multis crederetur, cumque offerret ad suas expensas singulis annis quantum satis esset ut nostrorum paupertatem non gravaret, eum tamen Villanova nunquam admisit, cum in aliis religionibus ut apud se maneret rogarent. Cur autem Villanova eum non admitteret, ratio nulla movebat, sed interior quaedam aversio voluntatis et spiritus segregatio (ut ejus utar

---

Historia de la provincia de Andalucia, de la Compañia de Jesús, por el P. JUAN DE SANTIVÁÑEZ, mss.). Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, de Ignatii litteris ad Joannem de Avila per Ducem Gandiae missis, eadem die 49.

1 Polancus, *ex commissione*, Francisco de Villanova, de beneficiis Ludovici Gomez Complutensi Collegio applicandis, mense Junio; idem Patri Araoz, de Collegiis Toletano, Hispalensi, Astensi quid oporteat spondere, de unione beneficiorum, ineunte Octobri 49. — Historicae et Complutenses quadrimestres; VALDIVIA, *Historia de los Colegios de Castilla*, mss.

2 Melius et communius *Barrasa*.

verbis) ab eo. Et vere a spiritu Dei motus est ne illum admitteret; non enim in veritate ambulabat nec in simplicitate cordis, immo in abominandis peccatis sub hypocrisi erat immersus, et suorum flagitiorum velamen nostra in Societate quaerebat. Multarum mulierum confessiones audiebat; et partim fraudibus, partim vi (adhibebat enim quaedam instrumenta ex cordis confecta) mulieres invitas tenebat ac violabat. Hic ergo cum admissus non fuisset, nihilominus se de Societate esse mentiebatur, quae res non parum Societatis bonum nomen laedere potuisset, si mature non esset prospectum. Cum igitur Franciscus de Villanova hujus hominis peccata, etiam cum virginibus quibusdam in ecclesiis perpetrata, intellexisset, et quod se de Societate esse venditabat, secreta quadam diligentia curavit ut in manus Sanctae Inquisitionis deveniret; ubi captus inaudita facinora confessus est. Curavit tunc Pater Villanova ut fide publica illius tribunalis constaret quod nunquam in Societatem fuisset admissus; et pro miraculo habitum est a multis quod Dei providentia eum admitti non permisisset; nam gravem illi notam inussisset. Inde occasione sumpta, aliqui amici sentiebant habitum aliquem peculiarem a Societate esse assumendum, quo nostri a saecularibus clericis discernerentur; sed alii, qui penitius res inspiciebant, nihil magis probabant quam nullo signo externi habitus, sed vitae exemplo, nostros discerni; et horum sententiam Villanova, qui magno Dei spiritu dotatus fuit, sequebatur [1].

469. Ultimis hujus anni mensibus Complutum venit Pater Franciscus Strada. Quamvis enim sub medium Septembrem Vallisoletum venerat, a Provinciali Palentiam missus est, quod ea civitas diu multumque ejus adventum optasset. Octo diebus ibi versatus est, et totidem conciones habuit, duas in cathedrali ecclesia, reliquas in monasteriis; et tantopere Dominus civitatem illam commovit ut in Senatu egerint de ineunda ratione eum retinendi, aut, si id non obtinere possent, aliquos de nostra Societate obtinendi. De re eadem capitulum ejus ecclesiae et de domo nostrae Societati instituenda egit. Effecit

---

1 Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz ut infamiam a Societate avertere satagat ex causa Barrasae provenientem, 13 Septembris; idem eidem, de signo aliquo externo an adhibendus sit, quo nostri a saecularibus sacerdotibus distinguantur, mense Decembris 49.

tamen operariorum penuria ut eorum desideria ad effectum optatum non pervenirent. Duos reliquit portionarios in ea ecclesia cathedrali, qui Societatem ingredi decreverant, et alium sacerdotem, qui consiliorum viam sequi statuerat, brevi ad Provincialem venturus ut res suas cum eo conferret; sed et alii non pauci inspirationes Domini bonas se hausisse significarunt; et ex canonicis quidam recedentem comitatus est usque ad oppidum, Duegnas nomine, duas leucas Palentia distans, quod Patris Strada patria erat, et in itinere sic fuit accensus, ut decreverit Vallisoletum ad Exercitia se conferre.

470. Complutum deinde se Strada contulit, et coepit in templo Sancti Ildephonsi concionari; est autem ea ecclesia Universitatis; et perdoctum et valde frequens habuit auditorium, cui conciones ejus tam gratae esse coeperunt tamque eorum animos permovere, ut fructus non vulgaris statim sperari merito coeperit. Qui ibidem fratres nostri erant, studia interim sua prosequebantur.

471. Egressus fuerat Compluto P. Christophorus de Mendoza ut in quibusdam locis, ubi Doctor Hieronymus de Vergara parochialia habebat beneficia, fructum aliquem spiritualem caperet. Ibi concionabatur et christianam doctrinam rudes illos populos edocebat; cum autem multi ad poenitentiam moverentur, quamvis res esset insolita saepius quam semel in anno peccata confiteri, magna tamen populi pars eidem est confessa; et cum inde recessit, qui reliqui erant, ut rediret ad eos audiendos rogarunt. Non defecit ei initio patientiae occasio; nam per octo dies stramina tantum pro lecto habuit, ubi frigus hyemale somnum etiam adimebat; sed cum id fuisset a quibusdam intellectum, sollicite omnia necessaria ei providerunt. Non poenitendum fructum ex illo pago (quem *Milloram*[1], vocant) collegit; fuerunt enim qui plurimorum annorum peccata, quae nunquam confessi fuerant, salubriter sunt confessi; erat etiam catechismus pernecessarius, quem plurimi ignorabant, sed recte in eo instructi fere omnes relicti sunt. Per domos, etiam noctu, ad eos docendos initio discurrebat, qui interdiu cum suis gregibus in pascuis aderant; sed postea eos

1 Voci *Milloram* non deletae superscripta est haec: *Villora;* et bene. Est enim Villora locus in provincia et dioecesi Conchensi, ubi beneficium possidebat Vergara.

simul in unum locum congregatos, noctu tamen, docere decrevit, et filios instruxit ut post coenam cum suis parentibus christianam doctrinam recitarent. Cuidam etiam sacerdoti spiritualia Exercitia tradidit. Doctor Vergara suis litteris testatur quod ejus opera multum illius loci homines profecissent et in quadragesima eum habere concionatorem optabant; sed ad locum alium existimavit potius esse mittendum, qui Villanova Scutariorum [1] dicebatur, non tamen prius Villora recessit quam omnes mulieres id petentes sancto sacramento Poenitentiae et Eucharistiae refecisset. Villanovae autem eadem ministeria praestitit, quotidie concionibus et confessionibus occupatus; et a vicino etiam loco ut in festis, a prandio saltem, concionaretur rogatus est [2].

472. Ex his locis post Pascha Hispalim ex obedientia se contulit, ubi de reditibus quibusdam suis ecclesiasticis egit, qui postea ad partem dotationis Collegii Hispalensis fuerunt applicati; et ad inchoandum idem Collegium aliquos jam tunc postulabat. Differenda tamen fuit adhuc illius Collegii institutio, sicut et aliorum, quae compluribus in locis expetebantur. Immo magister Joannes de Avila (de quo superius est actum) Collegium quoddam, in quo omnes scientiae praelegebantur in civitate Baeza, Societati dare cogitabat (auctor enim ipsius ille fuerat) et aliud in civitate Xerez; neutrum tamen admissum est. Erat Xerez patria Christophori de Mendoza, et ibidem concionari cum multorum satisfactione aggressus est, et magistrum Gasparem Lopez, qui suorum in theologica lectione discipulorum commoditatibus spiritualibus serviebat, et eorum aliquos ad Societatem adducere sperabat, et animavit et consolatus est [3].

---

1 Hispanice *Villanueva de los Escuderos,* provinciae et dioecesis Conchensis.

2 Beneficiorum quamdam notitiam, quae possidebat Doctor Vergara et Complutensi Collegio adnecti curavit, invenies in libello, cui titulus *Synopsis Actorum Sanctae Sedis in causa Societatis Jesu,* Florentiae, 1887, et in publicis instrumentis fundationis, erectionis et dotationis Collegii Complutensis ejusdem Societatis.

3 Polancus, *ex commissione,* Patri Christophoro de Mendoza, de subsidio ad aedificationem romani templi misso, 18 Januarii; idem Patri Araoz, de mittendo in patriam Christophoro de Mendoza, sub finem Januarii; idem Christophoro de Mendoza, de eleemosyna a Gomez Hurtado facta Societatis domui romanae, 13 Februarii; idem Gaspari Lopez, de Joanne de Avila, de iis qui Granatae Societatem expetunt, solaminis verba, eadem die; Ignatius Christophoro de Mendoza, eum Romam invitans ut veniat, ineunte Maio; eidem Polancus, de Gomez Hurtado et Sevillano, de Cardinali Carpensi,

473. Interim nostri, qui Vallisoleti versabantur, in pietatis operibus sub Patre Mendez se exercebant; et Senatu id magnis precibus contendente, cujusdam monasterii, quod sub nomine poenitentiae institutum et a nostris in rebus spiritualibus promotum fuerat, ad tempus aliquod, dum pastor earum quaereretur, ejus curam suscepere. Hoc tamen, quod lacrymae religiosarum illarum a Villa extorserunt, non multum duravit; brevi enim ea cura in alios rejecta est, quoniam nostro instituto minime congruebat; sed cum illae religiose admodum etiam prius vixissent, eo tamen tempore, quo earum habita est a nostris cura, tantum profecerunt, ut nunquam satis Deo gratias de hoc beneficio agere possent. Multae etiam personae nobiles utriusque sexus confessionis gratia ad nostros confluebant, et tam domi quam aliis in locis multa ad Dei gloriam et animarum profectum per eos agebantur [1].

474. Sed Joannes de Valderrabano, Vallisoleto in Gallaeciam missus, in dioecesi Mindoniensi egregiam operam navabat, et cum ejus Episcopus ab uno loco in alium eum transferebat, lacrymis et suspiriis eum incolae prosequebantur, nunquam se usque ad ejus conciones auditas et catechismi lectiones doctrinam salutis audivisse, et quod tunc oculos aperire incipiebant testabantur. Nec parvi id faciendum est, cum ea fuerit illius provinciae conditio, quae valde inculta et ab institutione christiana et rerum spiritualium gustu remota esset. Nondum erat sacerdos, non enim nisi in quadragesima hujus anni fuit promotus; sed in verbo Dei explicando, tum per conciones, tum per catechismi lectiones, se exercebat [2].

475. Fuerat P. Antonius Araoz Barcinonae satis diu par-

---

de beneficii resignatione, de Collegio in urbe Astensi erigendo, de ipsius Christophori profectione Romam, mense Julio; idem eidem, de Augustino Cabeza de Vaca Romam secum adferendo aut mittendo, 13 Septembris; Ignatius Domino Gomez Hurtado, de ejus leviro Augustino Cabeza de Vaca, et de Strada Hispalim ad tempus mittendo, eadem die 49. — SANTIVÁÑEZ, *Historia* supra citata.

1 Ignatius Domino Ferdinando de Vega, 18 Januarii; idem eadem die Consilio civium Vallisoleti; idem ejusdem Consilii Praesidi; Polancus, *ex commissione,* Patri Mendez, de mulierum cura non suscipienda, de conversarum confessionibus, de litteris et sociis Romam mittendis, sub finem Julii 49. — Patris Araoz litterae ad Ignatium. — VALDIVIA, *Historia de los Colegios de Castilla*.

2 Polancus, *ex commissione,* Patri Araoz, ut Societati concessas facultates, delectu habito, Joanni de Valderrabano, Didaco Mendez et Joanni Gonzalez communicet, ineunte Octobri 49.

tim cum valetudine adversa conflictatus, partim praedicationi et monasteriorum reformationi et aliis piis operibus intentus. Eo autem tempore moniales Sanctae Clarae, quae reformationem amplexae erant, cum opera nostrorum, qui Barcinonae residebant, non parum profecissent, a P. Ignatio sollicite contendebant ut earum obedientiam Societas admitteret, et Principum virorum, immo et Regis litteris ad eum missis id se impetraturas cogitabant; a Patre etiam Araoz litteras ad eumdem Patrem Ignatium obtinuerunt, quibus ille consolationem monialium commendare videbatur. Non solum autem Ignatius earum obedientiam non admisit, sed etiam ipsi Patri Araoz, Provinciali, aliquam reprehensionem per litteras scribi voluit, quod videretur aliquo modo in id, quod nostro Instituto parum est consentaneum, propensus. Sed re quidem vera non minus erat alieno animo ab earum obedientia suscipienda Pater Araoz; at non reprimebat moniales ne Regis commendationem impetrarent, ut, ea accepta occasione, Regem (qui tum Princeps dicebatur) de rebus nostrae Societatis ipse melius informaret, et tamen, quod peteret, ostensis rationibus denegaret; hujusmodi enim repulsas cum ratione conjunctas facile Principes admittere ajebat, videlicet, cum rogati rogant, non ita tamen cum aliquid serio fieri expetunt; tunc enim, si concedendum id non videatur, curandum esse ne id petant sentiebat, ne repulsam moleste ferant. Aliquot annos tamen monialibus Sanctae Clarae quibusdam confessarius ex nostris est concessus [1].

476. Inde P. Araoz Gandiam se contulit, ubi P. Andreas de

---

1 Polancus, *ex commissione,* Patri Araoz, de Abbate Domenech, 18 Januarii; idem Patri Queralt, de privilegiis Societatis, eadem die; idem Patri Araoz, de mutatione Abbatissae Sanctae Clarae, eadem die; idem, de Elisabetha Roser; idem eidem, de Principis Philippi responsis circa reformationem monasteriorum, eadem die; Ignatius Hispaniarum Principi, de reformatione, etc., mense Decembri 48; idem eodem tempore Gundisalvo Perez, Principis Secretario: Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, de non concionando et de moderatione adhibenda in numero confessionum singulis diebus audiendarum, sub finem Januarii; idem Procuratoribus domus orphanarum, ut sollicitatorem in Curia constituant, et de domus orphanarum romanae constitutionibus, ineunte Maio; idem monialibus Sanctae Clarae, plura de Instituto et Sancti Ignatii mente, etc., eodem tempore; idem, eodem tempore, de iisdem Patri Queralt; idem fratri Antonio Gou, de ejus piis operibus, de monialibus Sanctae Clarae, mense Julio; idem Joanni Gesti, Gerundam, de Exercitiis, etc., sub finem Julii 49. — *Historia del Colegio de Belén, de la Compañia de Jesús, en Barcelona*, mss. — P. Gabriel Alvarez, *Historia de la provincia de Aragón, de la Compañia de Jesús,* mss.

Oviedo, cum P. Jacobo Mirone, ipso die Annunciationis Beatissimae Virginis in ejus manibus professionem emisit, prout superius a P. Ignatio constitutum fuisse diximus. Adfuit praeter Ducem Gandiae et Comitem de Lerma, ejus generum, Marchio de Lombay, Comitissa de Oliva, et tota familia Ducis; et monachus quidam, magister Perez nomine, concionatus est, et multa ac magna in Societatis commendationem et insigne illius institutum, cum aliis religionibus comparando, disseruit, et quod opportune ad suam Ecclesiam his temporibus Deus eam miserit et quod necessaria ejus opera fuerit, unde Christi Vicarius non tantum eam confirmasset, sed insignibus etiam gratiis et indulgentiis ornasset. In Collegio nostro eo die Dux cum aliis multis nobilibus cibum ceperunt, cum religiosis et sacerdotibus multis, qui Valentia ad hoc spectaculum venerant. Quamdiu autem Pater Araoz Gandiae versatus est, cum propter valetudinem infirmam concionari non permitteretur, exemplo concionari nitebatur; cum suis fratribus tamquam unus ex ipsis omnino se gerebat, immo et ut eorum ministrum; nullum sibi certum locum in mensa relinqui volebat, sed nunc hoc nunc illo loco sedebat, et potius in inferioribus quam in superioribus locis; in cibo nihil peculiare sibi exhiberi patiebatur, licet esset valetudinarius; et si aliquando quid peculiare oblatum ei esset, alicui ex assidentibus id dabat, et communioribus cibis utebatur; magna parte quadragesimae mensis ministravit, et donec omnes pransi essent, cibum non capiebat; lavabat deinde lances et reliqua vasa; in vestibus nihil non vulgare; immo accidit aliquando ut cum fratrem calceis laceris uti animadvertisset, suos calceos cum eo commutaret; et ita alius calceis usus est donec is, qui curam habebat, novos calceos fratri emens, quos ferebat prius, Patri Provinciali dedit [1].

477. Venit aliquando Dux Gandiae ad invisendum Patrem Araoz, et cum usque ad horam coenae cum eo esset collocu-

---

1 Ignatius Andreae de Oviedo, Jacobo Miron, et Doctori Torres, de professione, 18 Januarii; Polancus, *ex commissione*, Duci Gandiae, ut invigilet ne Araoz nimio labore prematur, sub finem Januarii; idem Francisco Saboya, de sociorum cura habenda ut bene in utroque homine valeant (fuerat nuper Rector, loco Andreae de Oviedo, constitutus), mense Julio; idem Jacobo Miron, de ejus professione, de privilegiis, de studiis, eodem mense, anno 49.— Litterae Sancti Francisci Borgia, Andreae de Oviedo, Jacobi Miron, Antonii Araoz ad Ignatium et Polancum.— Item historicae et quadrimestres.

tus, ad culinam descendens sua manu par ovorum in aqua coxit et misit ad Patrem Araoz, ei, qui ea ferret, injungens ut diceret: quod bene posset illis vesci, cum prima essent quae ipse unquam coxiset. Tunc dixit Duci Pater Andreas: credas mihi, Domine, magnum Dei donum est in culina ipsi servire; cui respondit Dux: tam bonum hoc officium, mi Pater, existimo ut me eo indignum reputem. Cum laborasset autem colico dolore Pater Araoz et febri, venit cum eo ad coenam Dux ac dixit ei: quod postquam die sabbati in officio coqui inservisset, tunc volebat ei in officio incisoris ciborum inservire, et sic fecit [1].

478. Valentiam deinde P. Araoz se contulit, et inter Ducem ac Ducissam Calabriae concordiam (dissidebant enim) conciliandam curavit. Et cum alia, quae ad illius Collegii bonum pertinebant, constituisset, Caesaraugustam se contulit, ubi, cum nostri parum essent cogniti (licet non pauci eorum opera in confessionibus uterentur) ejus praedicatione innotuerunt. Primo enim in hospitali, deinde in insigni templo, quod *del Pilar* vocant, concionatus est, et quidem cum insigni frequentia et fructu; multi namque ex primoribus ejus concionibus consolationis plurimum acceperunt, unde in multis magna mutatio consequuta est, et Societatem nostram peculiari prosequi charitate plurimi coeperunt; non solum enim populus ac nobilitas, sed docti etiam viri, quibus ea civitas abundat, Patris Araoz spiritum et doctrinam in concionando admirabantur [2].

---

1 Ignatius, Andrae de Oviedo, electo et confirmato Rectori Collegii Gandiensis, 18 Januarii; eidem Polancus, *ex commissione,* de Collegiorum paupertate, de punitione puerorum, et ne fiat Capitulum, mense Julio; idem eidem, de tempore piae meditationi dando, de iis qui Societatem deserunt, de promissione ingrediendi Societatem, de flagellatione die Veneris, de bonorum abdicatione, de privilegiis Societatis, de constitutionibus et regulis Collegii Gandiensis, de magistro Joanne, gallo, mense Julio; idem Patri Araoz, de Dominis Vergara et Domenech, eodem mense; idem Duci Gandiae, de paedagogo, qui curam habeat Patris Araoz, designando; de PP. Onfroy et Oviedo et de Fratre Tejeda; idem Patri Araoz, ut videat anne nimium parce et fere misere vescantur vestianturque Gandienses, et quae viderit, Ignatio nota faciat, ineunte Octobri; idem Andreae de Oviedo, de praesentatione, ut vocant, pro beneficiis, de Rectore Collegii et Universitatis, eodem tempore; idem cuidam Casellas, qui Patrem Araoz comitabatur, ut ejus curam assidue habeat, mense Decembri 49. — Vide annot. sub numero praecedenti. — *Descripción de la ciudad de Gandia, noticias de su fundación, Universidad y Colegio de jesuitas*, por MARTÍN VICIANA, mss.

2 Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, de Universitatibus, de Collegiis Genuen-

479. Cum autem inter Conservatorem Aragoniae Ludovicum Gonzalez, filium Joannis Gonzalez, de quo superius facta fuit mentio quique jam vita functus erat, et ejus sororem, Dominam Aldunziam Gonzalez, lis gravis verteretur de domo quadam et ecclesia, quam ipsorum pater in monasterium erigi curaverat, ac postea honestis ex causis auctoritate apostolica dissolverat, egit Pater Araoz ut in arbitros suam controversiam rejicerent. Qui cum Aldunziae cum ecclesia domum adjudicassent, illa patris sui auctoritatem et propriam voluntatem secuta, sua habitatione etiam dum viveret se spoliare, ut Societati daret Caesaraugustae domicilium statuit; noluit tamen Pater Araoz hanc ejus liberalem oblationem admittere, partim ne ipsa incommodum hoc pateretur, partim quia ejus soror, Domina Anna Gonzalez, jus sibi in eadem domo et ecclesia vindicabat, et alioqui satis erat angusta ad Societatis usum habitatio; post multas tamen lites ea domus seminarium fuit, ut suo loco dicetur [1].

480. Optaverant olim primi Patres, qui in varia loca Sedis apostolicae auctoritate spargebantur, in anno jubilaei, quem hic quadragesimus nonus annus praecedebat, Romae congregari, et de modo procedendi in hac Societate ad Dei gloriam, prolatis in medium a se gestis, consulere; et sic hoc ipso anno Pater Ignatius quoquoversus ad Patres antiquiores et qui majoris erant in Societate auctoritatis scripsit ut sequenti anno Romam venirent; nam et constitutiones cum eis conferre et alia, de quibus agetur suo loco, tractare constituerat. Unde Pater Araoz significari sibi voluit num omnes qui vellent ex sua provincia secum esset adducturus, et quando profecturus esset, et quidem, si Dux Gandiae Franciscus de Borgia venturus erat

---

si, Goano et Congensi, et de Ognatensi; de purgandis humaniorum litterarum libris, ineunte Maio 49.

1 Ignatii patentes litterae, seu publicum instrumentum resignationis domus, ecclesiae et redituum Caesaraugustanorum in favorem Dominae Aldonzae Gonzalez de Villasimplez, 3 Julii; Polancus, *ex commissione,* Patri Francisco de Rojas et Dominae Aldonzae Gonzalez, de sententia Romae data in causa Collegii, 18 Januarii; idem Jacobo Lopez, eadem die; idem Duci Gandiae, de Domina Aldonza, sub finem ejusdem Januarii; idem Dominae Aldonzae de Collegii erectione, Pontificis Brevibus, sollicitatore, ineunte Maio; idem de iisdem Duci Gandiae, ut ipse quid agendum decernat; idem Francisco de Rojas, de iisdem et ut pacem inter Conservatoris liberos conciliare curet, 19 Maii; idem eidem, de lite, procuratoriis instrumentis, usufructu, etc., mense Julio 49. — Litterae Francisci Rojas ad Sanctum Ignatium.

(quod rationi consonum videbatur) nonnisi ipso in autumno anni jubilaei posse ex Hispania proficisci ajebat; et ita id visum fuit Patri Ignatio ut in autumnum adventus Hispaniensium differretur, ne sine Duce Gandiae Romam veniendum eis esset. Nec eos venire voluit qui sine gravi detrimento provinciarum aut Collegiorum, ubi residebant, venire non poterant [1].

481. Ex hac urbe Caesaraugustana, rebus Societatis meliori loco, quam eas invenerat, relictis, profectus est P. Provincialis Vallisoletum et inde Complutum, ubi quod hujus anni reliquum erat exegit [2].

482. Gandiae Franciscus Borgia, cum Patris Ignatii voluntatem intellexisset, tam circa orationis quam circa castigationis modum, magna cum resignatione voluntatis et consolatione sui spiritus ipsius consilium est sequutus; et ut theologiae diligentius daret operam (nam aliis in studiis jam pridem operam posuerat) in Collegium nostrum primo die quadragesimae commigravit. Erat autem theologiae lector ibidem magister Perez, qui in theologia praelegenda multos annos contriverat, et statim post Epiphaniam hujus anni erat aggressus, et quidem cum auditorio satis frequenti partim nostrorum, qui decem theologi erant et diligenter in scholasticis studiis se exercebant, partim externorum, inter quos aliqui etiam eruditi et nonnulli concionatores erant, unde florere non parum nova illa academia coepit. Sed P. Andreas in concionibus tum Gandiae tum Olivae, quo se contulerat Comitissae rogatu, se exercebat, et spiritualia Exercitia pro more suo quibusdam proponebat, et per eum Dominus energumenam quamdam foeminam a daemone liberavit, quae sequenti die ad confessionem et communionem accessit; psalterium etiam do-

---

1 Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, de ejus et Ducis Gandiae profectione in Urbem anno proximo jubilaei, de Ducis gradu et sacerdotio et de itineris modo, mense Julio; idem eidem, de seligendis, qui Romam venire debebant, eodem mense; idem eidem, de tempore quo se Romam cum Duce Gandiae conferre debebit, de itineris sociis, 13 Septembris 49.

2 Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, de invisendo, Ignatii nomine, fratrum Praedicatorum Generali, de lectoribus Complutensibus, de domo Burgis instituenda, ineunte Maio; idem eidem, ut Franciscum de Villanova reprehendat et puniat, et de eodem Villanova et Emmanuele Lopez ad sacros ordines promovendis, 13 Septembris 49. — VALDIVIA, opere citato, et *Cartas de San Ignacio*, t. V.

minicis diebus et festis in templo sui Collegii enarravit, et multorum confessiones audivit [1].

483. Valentiae interim P. Jacobus Miron diligenter in vinea Domini laborabat; concionabatur assidue et cum satis frequenti auditorio et fructu non poenitendo; sed aliorum pietatis operum forte non minus late fructus sese extendebat, audiendis nimirum confessionibus, in quibus etiam P. Balthasar Diaz egregiam navabat operam, et in aegrotantium visitationibus et pauperum subventionibus; domi etiam theologicas positiones dominicis diebus simul cum alio sacerdote defendebat et bonum Societatis nomen Valentiae augebatur, ut potius jam contra tentationes vanae gloriae quam contradictionum certandum esset, cum multi, per eos ad Dei cognitionem et obsequium adducti, magna eosdem benevolentia complecterentur; diebus etiam dominicis mane ad communionem, a prandio vero ad spiritualia colloquia multi conveniebant, ut de his, quae ad ipsorum profectum et majorem Dei gloriam pertinebant, conferrent. Et non tantum domi nostrae sed in aliis etiam monasteriis ad sancta Sacramenta crebro homines accedebant. Nihilominus nomen Ignatianorum nobis ab aliquibus impositum, adhuc multi retinebant; difficile enim et hoc nomen, et apostolorum, sicuti et theatinorum, ab hominibus, qui parum familiariter nos noverant, auferri poterat [2].

484. Extra Valentiam ad loca vicina tam ipse P. Miron quam socius sacerdos, concionandi et confessiones audiendi gratia se conferebat, et fructum egregium in horreum Domini reportabat; charitas enim sine sumptu illis impensa, operariis et auctoritatem et gratiam conciliabat.

485. Eos autem, qui Valentiae ad domum nostram accedebant, et alios viros bonos hortabantur ut hospitali civitatis,

---

1 Polancus, *ex commissione,* Andreae de Oviedo, de studiis Gandiensibus, et de iis, quibus exerceatur oportet Dux Gandiae, ineunte Maio; idem Duci Gandiae, de Doctoratus gradu suscipiendo, susceptionis forma, juramenti formula, etc., 13 Septembris 49. — Ducis Gandiae et Patris Araoz litterae ad S. Ignatium.

2 Polancus, *ex commissione,* Patri Araoz, quid praestandum ne alio nomine quam *Societatis Jesu* distinguamur, sub finem Januarii; Ignatius domino Petro Domenech, de ejus filii, Hieronymi Domenech, expetita profectione Valentiam, de bonorum renunciatione, et de potestate curanda ad templum Valentiae aedificandum, mense Julio; idem Balthasari Diaz, de absolvendi facultate, etc., 13 Septembris; idem de iis, et de Collegio, et de Hercule Bucerio, et de Rojas, eadem die, 49.

quod egregium est, opem suam conferrent, et aliquos disponebant, qui noctu aegrotantibus per vices assisterent, et consolationem vel ministerium eis impenderent; et cum horum virorum nomina in libro notata essent, unus ex nostris quotidie duos admonebat ut ad hoc pium opus in xenodochium se conferrent.

486. Illud autem non omittam, quod, quamvis anno superiori, ut diximus, Valentiae disputatum esset an expediret crebro communicare, et ab Archiepiscopo constitutum pia concione fuisset ut octavo quoque die omnibus id liceret, multi ecclesiastici nihilominus, ac litterati non pauci, in sua sententia perseverando, etiam nunc repugnabant; et tamen populus in dies crebrius ad sanctam Communionem accedebat.

487. Res Societatis nostrae interim in regno Portugalliae et numero nostrorum et reditibus etiam ad eum sustentandum augebantur; quia tamen, constitutionibus nondum editis, eadem ratio et modus procedendi nec in gubernatione nec in aliis quibusdam rebus ad spiritualem profectum pertinentibus servabatur, quae P. Ignatius optasset, de Patre Hieronymo Domenech praeficiendo illi provinciae cogitavit; et cum Pater Simon Romam venire magnopere optaret, eo ad hanc missionem Ignatius propensior erat. Et quidem ut Patrem Domenech a Sicilia avelleret, Patri Jacobo Laynez ut tentaret animum dominae Eleonorae Pro-reginae injunxerat; sed, si aegre id ferre eos [1] animadverteret, ut non ulterius ullo modo progrederetur, admonuit. Cum autem ad primam hujus rei mentionem Pro-regina non parum affligi videretur, et Pro-rex ne fructus insignis per ejus absentiam periret timere se ostende-ret, ea missio cessavit [2].

488. Missus est Romam Petrus Diaz (qui postea martyr Domini fuit) ex Portugallia, partim ut Guilielmum Codurium in patrium aërem deduceret (nam ex peregrinationibus, laboribus et incommodis in aegritudinem acerbam inciderat, et sanguinem evomere crebro consueverat, nec aliud remedium quam patrium aërem medici adhibere noverant; et tamen ipso

---

1 Pro-regem et Pro-reginam.

2 Ignatius Simoni Rodericio, de iis qui in Aethiopiam profecturi sunt, 18 Januarii 49.

in itinere sanitatem veram, in meliorem aërem migrando, consequutus est), partim ut Romae negotia Collegii Conimbricensis post mortem Patris Martini de Sancta-Cruce curaret. Quominus autem ipse Pater Simon Romam veniret (cum tamen a Rege jam facultatem ad tempus impetrasset), duplex causa fuit; prima, quod suis litteris usque ad sequentem annum Pater Ignatius eum non evocaverat; altera, quia tempestas quaedam in Portugallia contra nostros exorta est propter dominum Teutonium, Ducis Bergantiae fratrem, cujus domus post regiam in eo regno praecipua est. Cum enim ille Conimbricae studeret et ad Societatis institutum valde afficeretur, paulo ante mediam noctem per muros cujusdam Collegii, in quo habitabat, se dimittens ad Collegium nostrum venit, et in Societatem, ut instabat, admissus est; cujus consanguinei, ac praecipue domina Isabella, ejus soror, iniquo admodum animo id tulerunt, et cum Rege ac Regina ut ipsis restitueretur curarunt. Rex tamen, ut erat summa pietate praeditus, vim nullam adhiberi passus est; sed tam valida oppugnatio principum virorum subsequuta est, ut in discrimen non exiguum Societatis status, ut ipse Simon scribit, adduceretur; et ut hos fluctus tantopere excitatos sedaret, manendum sibi in Portugallia aliquandiu censuit. Hic vero juvenis, cum aliquandiu in Societate mansisset, non tamen in ea perseveravit, sicuti nec Ducis Aveiri filius, de quo superius actum est. Hoc tamen eodem anno Ignatius de Acebedo, et ipse nobilis sanguine, sed virtute multo nobilior, et tandem Domini martyr, Societatem ingressus est [1].

489. Scripserat P. Ignatius ut aliquos ad professionem emittendam idoneos ex his, qui in Portugallia versabantur, Pater Simon nominaret; ille vero, quamvis multo plures ido-

---

1 Polancus, *ex commissione,* Simoni Rodericio, de obitu Martini de Santa Cruz, de ejus diligentia, de negotiis propter quae Romam venerat, de Balthasare Faria, de aliquo in locum Martini substituendo, de litteris scribendis, etc., sub finem Decembris 48 et initium Januarii 49; Ignatius Regi Portugalliae, ut facultatem faciat Simoni ex Portugallia et Francisco Xaverio ex India Romam venire, 18 Januarii; idem eadem die Simoni, de ejus profectione Romam anno jubilaei; quod si in Aethiopiam abire debeat, ut prius Romae Ignatium conveniat; Polancus, *ex commissione,* Simoni Rodericio, de evocando ex India Xaverio cum uno aut altero ex ejus sociis, et etiam nonnullis indigenis, 18 Januarii; idem eidem, de non transeundo a Societate in alias religiones, de negotiis Martini de Santa Cruz, ineunte Maio; Ignatius Simoni Rode-

neos esse in ea provincia scriberet, undecim tantum nominavit, qui in theologia docti, virtute ac prudentia praediti, ipsi videbantur; duodecimum etiam ex India Doctorem Antonium Gomez proposuit; sed hoc anno nullus eorum ad professionem admissus est, quamvis eam suo tempore maxima eorum pars emisit [1].

490. Propensus etiam erat ad Societatem Abbas Petrus Domenech, qui in Portugallia primam puerorum orphanorum domum more romano Ulyssiponae instituit; sed dum negotiis distinetur, antequam Societatem esset ingressus, ab hac vita decessit [2].

491. Pater Simon cum aliis non paucis sacerdotibus ac fratribus nostrae Societatis Regis curiam sequebatur, et consuetis occupationibus, confessionum praesertim audiendarum, occupabantur; sed et eorum quidam, Georgius nomine, concionatoris officio cum satisfactione auditorum fungebatur. Conimbricae seriam studiis dabant operam; sed quia jam numerus non parum excreverat et inter eos satis multi maturuerant, triginta tres sacerdotes ibi residebant. Multi eorum, partim Conimbricae, partim aliis locis concionabantur; sed assidue prae caeteris Patres Alphonsus Stelles [3], Gonzalvus Vaz, Melchior Nugnes, Valerianus Mendez, Urbanus et Emmanuel Fernandez. Exercitia etiam spiritualia non paucis tradebant,

---

ricio, de quodam Fonseca, qui ex alia religione in Societatem transire cupiebat, ineunte Maio; eidem Polancus, *ex commissione,* de eodem Fonseca, ut Romae, si velit, Ignatio se sistat, eodem tempore; de sollicitatore in curia romana pro lusitanis negotiis constituendo, etc., eodem tempore; Ignatius Simoni Rodericio, ut Romam anno jubilaei venire non omittat, aut prius, si in Brasiliam aut Aethiopiam sit ipsi eumdum, ineunte Septembri, et 11 Octobris 49.

1 Polancus, *ex commissione*, Simoni Rodericio, de tribus quatuorve eligendis, qui ad professionem admittantur, ineunte Maio; idem eidem sub idem tempus, de Domino Alphonso de Payva, Balthasare Faria, et de procuratorio instrumento in favorem cujusdam Crescentii (sollicitatoris ?); idem eidem, de numero eorum, qui ad professionem admitti debeant, ne tres aut quatuor excedat, de negotiis Conimbricensis Collegii, etc. ineunte Septembri 49.

2 Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, de Abbate Domenech, 18 Januarii; Ignatius Abbati Domenech, officiose et de ejus Romam profectione, eadem die; Polancus Simoni Rodericio, de orphanarum domo ab Abbate Domenech instituta, de ipsius Abbatis reditu Barcinonam, ineunte Maio; Ignatius Abbati Domenech, et eidem Polancus, de ejus negotiis, etc., ineunte Septembri, 11 Octobris et 11 Novembris 49.

3 Ita Polanci librarius, cujus scriptionem emendavit alius *Steues* supra scribens; sed vere est *Esteve,* seu ut, latinitate donatum, a pluribus post Franco scribitur, *Estevius.*

ex quibus aliqui Societatem sunt ingressi. Fuit inter alios vir quidam [1] ex civitate Portus primarius, qui, quamvis conjugatus esset, judicatum est mirum in modum in spiritualibus exercitiis profecisse, et sua prudentia et charitate, spiritualem fructum, qui in illa civitate nostrorum opera provenerat, conservare diligenter studuit [2].

492. Interim in Africa P. Joannes Nugnes, qui Tituani residebat, consuetis pietatis officiis erga captivos vel reducendos, vel in rebus spiritualibus et corporalibus adjuvandos, se exercebat.

493. Missi sunt hoc anno ex Portugallia in Brasiliam quatuor de Societate viri, quorum caput fuit Pater Emmanuel de Nobrega, et ejus socius P. Joannes de Azpilcueta. Hi autem ex Portugallia profecti sunt prima die Februarii cum classe, quam Rex Joannes in Brasiliam eo anno mittebat ut civitatem novam conderent, et negotium christianae Religionis apud brasilienses promoverent. Quinquaginta sex diebus, prosperis admodum ventis, ad portum Brasiliae, quem Omnium Sanctorum vocant, sine ullo navigationis impedimento pervenerunt et, pace cum indigenis constituta, de loco novae civitatis condendae consilium inierunt, et situm multis fontibus plenum, quod tamen bona ex parte mari alluitur, elegerunt, et habitationem sibi aedificare, adjuvantibus indigenis, coeperunt, ut centum domus mense Augusto ejusdem anni cernerentur. Est autem inditum civitati nomen Salvatoris. Cannas etiam, quibus saccharum conficiunt, et alia multa ad usum vitae necessaria plantare coeperunt; solum enim fertile admodum est, quamvis aliquando in herbam luxuriantem propter nimiam fertilitatem quod seminatum erat vertebatur. Aër salubris ad-

---

1 Arrigus Govea opinor *(Ita in ora paginae)*.

2 Polancus, *ex commissione,* Rectori Conimbricensi, de iis qui Conimbricae aegrotant, ut videat an victus conveniens sit, labor prudenter moderatus, et ut singulis quindecim diebus Romam scribat, 18 Januarii 49.

Parcus est in rerum hoc anno in Lusitania gestarum enarratione Polancus; multo autem parcior Orlandinus. Plura tamen, scitu quidem digna, reperiuntur tum in iis, quae in *Cartas de San Ignacio,* t. II, edidimus, tum in historicis hujus anni litteris, tum denique et praecipue in quadrimestribus Lusitaniae et aliis. Consuli etiam debet Tellez, *Chronica da Companhia de Jesus em Portugal*, et Franco, *Synopsis annalium Societatis Jesu in Lusitania,* et *Imagem da virtude em o Noviciado da Companhia de Jesus no Real Collegio de Coimbra em Portugal.*

modum est, et temperatus, unde accidebat ut Lusitani nec laboribus nec mutatione ciborum in adversam valetudinem, praeter paucos quosdam, qui brevi convalescebant, inciderent. Est autem regio magnitudine ingens et plantis ac virore amoenissima, multis et optimis fructibus abundans, mare piscosum valde, montibus nihil pulchrius depingi posset, in quibus varia animalium et herbarum genera inveniuntur, quorum apud scriptores Europae nulla mentio esse potuit, cum nec res ipsae in ea invenirentur. Hominum autem barbaries summa est; nullum Deum certum colunt, quidquid ipsis proponatur pro Deo facile credunt; affectus sensualis vel appetitus propensione, non autem ratione, vel consilio, aut prudentia ulla, reguntur; connubia sic colunt, ut unus plures habeat uxores, quae cum eo tamdiu maneant, quamdiu alterutri parti non displicuerit; bellis cognationes diversae et inter se divisae certant; si aliquos in bello capiant, suas illis filias in uxores adjungunt, ut eos serviant et aliquandiu conservent, donec magna cum laetitia, congregatis amicis, eos occidant, et si aliquos filios reliquerunt, quamvis vel nepotes illis vel fratres sint, comedunt eos tamen, immo nec matres ab eorum esu abstinent; dicunt enim ad patrem omnino et nihil ad se pertinere. Si occidant in bello aliquem, in frusta concisum et fumo applicatum cum simili solemnitate comedunt; quod ex odio quodam intimo faciunt. Et in his duobus, scilicet, uxorum multitudine et inimicorum interfectione, summum honorem immo et felicitatem suam constituunt. Avaritia illis bellorum causa non est; nihil enim, praeter id quod piscantur, et venantur, et fructus quos terra produxit, habent; sed ex desiderio vindictae bellantur. Et sunt tam obnoxii irae, ut si aliquis casu inter eundum in alium offendat, statim ad baculos vel saxa eatur, vel dentibus se concidant; et propter eamdem vindictam animalcula, quae illis molesta sunt, comedunt. Cum quis moritur, eum quasi sedentem sepeliunt, et cibum prope illum ponunt; nam animas ex montibus ad cibum capiendum venire credunt. Daemonia sunt illis familiaria, et illa valde timent; confusam habent notitiam diluvii Noë, et Sancti Thomae, cujus vestigia in quadam rupe ostendunt; et cibos, quibus utuntur, ab eo se didicisse testantur; et de eo bene loquuntur, sed male de ejus socio, quia sagittae, quas in ipsum

torquebant, contra eos redibant, et eos occidebant. Inter amicos magna est concordia et omnia communia; quae vel piscatione vel venatione quis habet, iis et amici fruuntur.

494. Coepit P. Emmanuel cum sociis pagos Brasiliensium invisere et, familiariter cum eis agendo, regnum Dei annunciare. Et hic modus est quem, ut ipsos docerent, observabant: invitabant juvenes ut discerent legere et scribere; qua occasione quae ad doctrinam christianam pertinent ipsos edocebant et de eadem eis concionabantur. Novum enim admodum illis videbatur et admiratione dignum quod nostri legere et scribere nossent, et id ipsum addiscere et christiani esse optabant; sed a vitiis et peccatis abstinere, hoc opus, hic labor est. In pagis civitati Salvatoris vicinis, jam abstinere ab interfectionibus hominum et humanae carnis esu incipiebant. Quocumque nostri perveniebant, cum magna dilectionis significatione, praesertim a pueris, excipiebantur; et quos ipsi docebant pueros catechismum, hi aliorum magistros se exhibebant. Ex his autem, qui magis idonei videbantur, centum primis illis mensibus baptizarunt: in festo autem Pentecostes ejusdem anni sexcenti vel septingenti catechumeni baptismum exspectabant, qui omnia egregie addiscebant; et nonnulli in viis ipsis publicis occurrebant nostris et magnum desiderium baptismi prae se ferentes, juxta nostrum institutum victuros pollicebantur. Nostri tamen non prius baptismum conferre quam uxores idoneas maritis paratas esse invenissent; nam post baptismum statim Sacramentum matrimonii eis conferre (prius instruendo quomodo se in matrimonio gerere deberent) non sine causa solebant. Et in iis omnibus Brasilienses obedientiam eis praestabant. Accidit ut, dum Pater Joannes de Azpilcueta pueros quosdam legere et cruce se signare doceret, lapides quidam varii coloris, quos in labris perforatis ferre consueverunt, nonnihil impedimenti ad cruce se signandos adferrent; hoc cum cujusdam mr. (mater?) observasset, lapidem ex labro pueri eductum super tectum projecit; alii pueri hoc ipsum imitati, suos etiam lapillos, qui tamen in pretio sunt apud gentem illam, projecerunt.

495. Discurrebat Pater ille Joannes per varios pagos et apud eosdem pernoctabat, quia, cum interdiu sparsi essent per varia loca, non nisi noctu simul omnes inveniri et do-

ceri poterant. Perpaucis mensibus didicit ille eorum linguam, quae cum Cantabrica (ipsi P. Joanni vernacula) convenire ex parte deprehensa est; unde et intelligebat eos et intelligebatur ab eis. Magna charitate in spirituale eorum auxilium incumbebat, et in duobus pagis, qui inter caeteros erant praecipui, domos ei Brasilienses ad catechumenos docendos contruxerunt. Aliam etiam Pater Emmanuel prope novam urbem Salvatoris in modum eremitorii conficiendam curavit, in qua duo ex nostris docendi ac praedicandi tam neophytis quam catechumenis, qui ibidem degebant, curam susceperunt. Nec quidquam impediebat ne baptizarentur vicinorum locorum primores, nisi quod diximus de conjugibus, quae cuique convenirent et fidem eis servarent, inveniendis. Hactenus enim adulterii crimen pro nihilo habebatur, cum nec stabiles uxores, nec mariti essent. Multis etiam ex aliis locis ad res fidei ac religionis edocendas evocabantur, quibus satisfacere tam pauci numero non poterant.

496. Initium hoc, satis prosperum, duobus rationibus daemones impedire conati sunt. Neutra tamen illis successit. Nam primo instigarunt Brasiliensem quemdam ad interficiendum unum ex eis christianis, qui in classe lusitanorum venerant; sed cum jam de bello ageretur, ipsi Brasilienses homicidam christianis tradiderunt; quem Gubernator, ad aliorum terrorem, ante os bombardae positum, igne adhibito, in frusta ejus ictu concidit, quod magno terrore praesentes indigenas affecit. Secunda ratio fuit quod fere omnes, qui baptismo renati fuerant, in varios morbos inciderunt; unde quidam eorum nigromantici occasionem nacti sunt eos a christiana Religione deterrendi, mentientes quod cum baptismo et doctrina christiana mortem illis nostri propinabant; sed divina Bonitas, dum omnes statim convaluerunt, eos mendacii convicit, quae voluit forte ipso in initio eorum fidem et constantiam probare. Comitabantur nostros, nec unquam, dum iter facerent, eos deserebant, et magno cum silentio et admiratione quae de Deo et de Christo, Domino nostro, dicebantur, audiebant; et Jesu nomen, prout edocti erant, in ore illorum crebro personabat. Quidam inter ariolos eorum praecipuus, cum a Patre Emmanuele interrogaretur in cujus virtute aegritudines curaret et quam haberet communicationem cum Deo, qui coelum et ter-

ram condiderat et in eis regnabat, an cum daemone, qui in infernis erat, ille impudenter respondit se Deum natum esse, et quemdam in medium attulit, cui sanitatem se dedisse jactabat, et Deum coeli esse quidem sibi amicum et saepius in nubibus et fulgoribus ipsi apparere affirmabat. Non ferens hanc blasphemiam Emmanuel magna voce eum convincere coepit, convenientibus ad audiendum indigenis multis; habebat autem interpretem, qui omnia clara voce dicebat, quae ipse cum magno sensu doloris suggerebat. Demum ariolus ille confusus, prout Emmanuel injunxit, palinodiam recantavit, et omnia mendacia esse fassus est et vitam emendare proposuit; cumque pro eo Emmanuel suas preces apud Dominum offerret, idem postmodum baptismum poposcit, et inter catechumenos admissus est.

497. Mille fere leucas ea Regio Brasiliensium, semper mari adjacens, extenditur. Tantum in locis frigidioribus foeminae bombicinis vestibus utuntur; alibi tam viri quam foeminae sine ulla veste incedunt, unde noctibus, dum in retibus dormiunt, ignem habeant vicinum necesse est. Farinam ex quibusdam radicibus admixtam milio conficiunt et ex ea panem, qui facit ut etiam a nostratibus triticeus non desideretur; boves, caprae et varia ad cibum animalia terrestria et aves etiam suppetunt, quamvis, ut diximus, nihil usquam proprium ex hujusmodi cibis, sed omnia omnibus sint communia; nec solliciti sunt ut ab uno die in sequentem quid reservent; sed nec circa dotes filiarum sunt graves, qui enim eas ducunt in uxores, quamvis cum eis nihil accipiant, a soceris se beneficium accipere agnoscunt [1].

498. Versabatur initio hujus anni 1549, Cochini P. Franciscus Xavier [2] et magna cum consolatione sui spiritus in Japoniam navigare constituerat, quamvis certo jam constabat ex navibus, quae Malaca discesserant, quod ab omnibus portubus sinarum lusitani ab omni commercio excludebantur, et contra eos arma capere, si eo accederent, parati incolae erant. Unde, cum multi mirarentur quod tam longam naviga-

---

1 Litterae Emmanuelis de Nobrega ad Ignatium, Simonem Rodericium et socios lusitanos; item historicae et Lusitaniae quadrimestres anni 50.

2 Cochinum venerat in Decembri 1548. *Ita in margine.*

tionem ad sinas et japonenses et tam plenam periculis, tum hostium sinensium, tum piratarum, tum etiam tempestatum, suscipere vellet, cum ex quatuor navibus, si duae incolumes eo pervenissent, bene cum ipsis actum crederent, id nullo modo propensum Francisci animum ad regiones illas juvandas retardabat; immo nullam quietem in hac vita majorem se optare posse testabatur quam in magnis mortis periculis et laboribus propter Dei amorem et Religionis christianae augmentum susceptis versari, et servorum Dei animos magis in his conquiescere quam extra illa affirmabat. Duo autem potissimum erant quae Patrem Franciscum ad hanc provinciam suscipiendam excitabant; alterum quod japonenses homines naturae dotibus egregiis praeditos etiam ex ipso experimento Pauli et sociorum ejus intellexerat, unde et messem ibi copiosam in horrea Domini colligi sperabat, quae ab indigenis conservari posset. Alia ratio, quam ipsi Patri Ignatio scribit, haec erat, quod Indorum gens illis in locis, quae ditioni Regis Portugalliae subditae sunt, in universum loquendo, barbara admodum erat, nec ad sciendum quidquam, quod suis ritibus non consonaret, propensa, nec de Deo aut de sua salute quidquam intelligere solliciti erant, immo nec, si ultro eis offerretur mentio de rebus hujusmodi, libenter audiebant, et qui ad fidem christianam accedebant, vel importunis precibus et instantia nostrorum et aliorum religiosorum, vel quod favorem aliquem et amicitiam lusitanorum expeterent, fidem suscipiebant; vires naturales admodum corruptas ad quodvis genus virtutum habebant, mirum in modum inconstantes, peccatis plurimis obnoxii, mendaciis pleni; unde cum neophytis non parum nostri, ut fide dignam vitam agerent, laborabant; et id efficiebat inveterata peccandi consuetudo, ut contra rationem quibusdam videretur a suis vitiis recedere. Auget etiam nostrorum laborem aestus nimius veris tempore, et venti et pluviae tempore hyemis, quamvis frigus non sit molestum; victus autem in Malucis et in Comurini regione et Socotora est satis incommodus; spiritualis etiam labor cum hoc genere hominum agendi, praesertim in magna difficultate idiomatum, molestus est. Sed prae caeteris pericula utriusque vitae tam temporalis quam aeternae, non sine magna Dei providentia evitabantur, cui P. Franciscus gratias agendas etiam ab omnibus nobis

affirmat, qui tam peculiarem protectionem nostrorum suscepisset, ne in peccata inciderent; et testatur quod non solum lusitanis, tam ecclesiasticis et religiosis quam saecularibus, sed etiam infidelibus admirationi essent, et ab eis valde diligerentur [1].

499. Eo tempore triginta ex nostris in India variis in locis versabantur. Itaque hoc apud se, experientia magistra, statuisse testatur, quod per ipsos indigenas fides christiana ac religio conservari, immo nec ipsa Societas nostra possit, quodque tamdiu ibi essent duraturae quamdiu qui superstites essent ex nostris viverent, vel alii ex Europa submitterentur; nec enim ad institutum Societatis apti esse neophyti illarum regionum videbantur. Ex his autem triginta initio hujus anni aliqui Goae, alii in regione Comurini, aliqui Caulani, Bazaini, alii Socotora, alii Malacae residebant; et in singulis locis aliquis erat, qui caeteris praeficeretur, cuique illi libenter obedirent. Et quia digni erant quibus ipse Pater Franciscus confideret, existimabat sine detrimento Societatis se posse ad Japoniam iter propositum instituere. Optabat tamen in quatuordecim vel quindecim arcibus vel praesidiis praecipuis lusitanorum, quas habent in ora maritima Indiae, nec enim ad interiora continentis eorum ditio multum penetrabat, aliquos de Societate nostra residere, et in singulis concionatorem unum et catechismi lectorem esse, ut tam christianis quam his, qui de novo ad fidem accederent, per Dei verbum et Sacramentorum ministerium subvenirent. Et quia in magnis ignorantiae tenebris omnes illi infideles, quos noverat, versabantur; qui eis ad fidem vel vitam christianam reducendis vacarent, non tam doctrina, quam obedientia, patientia, humilitate, charitate, castitate et perseverantia praestantes esse debere; sed prae caeteris, castitatis et humilitatis donum esse necessarium testatur. Et, si quis, ut Collegio Goënsi vel aliis praeesset, mitteretur, ab ipso Societatis Generali Praeposito et cum ipsius auctoritate mittendum esse, qui obedientia ac humilitate magna sit praeditus, ne in eo signum aliquod superbiae notari pos-

---

1 Ignatius Francisco Xaverio, de usu facultatum Societati concessarum; de mittendis Malacam, de Collegio Goensi, etc., 18 Januarii; Polancus, *ex commissione*, Patri Joanni de Aragon, Ignatii jussa et alia, eadem die; Ignatius Dominae Guiomar de Coutinho, officiose, eadem die, 49.

sit; deinde ut amabilem se iis, quibuscum versatur, et non rigidum et qui servili timore alios in officio continere velit. Et parum ad aedificationem cessisse scribit quod Doctor Antonius Gomez a P. Simone cum ea auctoritate sit missus, ut in compedes ferreos conjicere et vinctos in Portugallia mittere posset quos ipse judicaret cum aedificatione non versari. Eo enim tempore nullum Pater Franciscus aliis vinculis quam charitatis retinendum esse censebat; unde aliquos ad Societatis institutum parum idoneos, quamvis libenter in Societate illi mansissent, ab ea dimisit; quos autem idoneos judicabat, cum charitatis significatione eos tractandos et in Societate confirmandos, cum in tam multis laboribus Deo servirent, judicabat; et Societatem Jesu, Societatem amoris et unionis animorum, non rigoris et servilis timoris esse existimabat. Patrem autem Antonium Gomez, quod potius ad concionandum et alia Societatis ministeria quam ad gubernandum idoneum esse judicabat, Dium vel Ormuzium mittere, et P. Gasparem ejus loco Collegio Goënsi praeficere constituebat [1].

500. Itaque cum Paulo Japonensi, qui octo mensibus loqui, legere et scribere lusitane didicerat et in spiritualibus Exercitiis profecerat, et cum aliis duobus aut tribus adolescentibus japonensibus Goae institutis, Aprili mense ex India Japoniam versus navigare omnino decrevit, quamvis prius Goam per Bazainum, ubi erat novus Gubernator, se conferre voluit, ut ab eo quaedam, quae opportuna erant ad negotium religionis in his locis promovendum, ubi nostri residebant, impetraret; tres etiam vel quatuor ex nostris in subsidium aliorum, qui in Malucis inter magna pericula Deo serviebant, submitteret. Petebat etiam a P. Ignatio, ut litteras suis filiis, qui in India sparsi erant, scriberet, spiritualibus documentis ac doctrina eos instruentes, ut quasi in filiorum exulantium usum testamentum hujusmodi conderet; et cum genibus flexis has litteras scripsisset, orationum ac sacrificiorum suffragia ab eo petit. Commendat prae caeteris, ut magnum Dei servum, Antonium Criminalem, qui paulo post hoc eodem anno per martyrium

---

1 Ignatius Simoni, de adjuvando Francisco Xaverio, de Collegiis Cranganori et alibi per Indiam instituendis; de patentibus litteris, quibus Xaverius Indiae Provincialis declaratus fuerat, 11 Octobris 49.

ad Dominum migravit, et tales in Indiam mitti petit. Commendat et Patrem Henricum Enriquez, qui propter linguae, quam didicerat, peritiam, duorum operariorum vices implebat. Misit etiam hujus anni initio Patrem Nicolaum Lancilottum aegrotantem in arcem Caulani, qui locus coelum valde salubre habet, et ibi ut Collegium ad puerorum indigenarum et a lusitanis relictorum a Rege erigeretur, et aliquibus reditibus dotaretur, curaverat. Regi etiam Portugalliae scripsit ut Patrem Simonem ad hujusmodi Collegia constituenda, et ad novos christianos fovendos, ne ab ejus ministris, dum eis praesunt, opprimerentur, et demum ad religionis conservandae ac promovendae negotia, Regia auctoritate instructum, quo suam etiam Rex ipse conscientiam exoneraret, in Indiam mitteret; id enim Patrem Simonem vehementer optare intelligebat. Eidem etiam Patri Simoni scribit ut christianis Insulae Socotorae, qui a quibusdam saracenis magna servitute premebantur, auxilium a Rege impetraret; cum enim classis lusitanica, quae singulis annis ad illa loca mittebatur, in Indiam redire vellet, minimo negotio et sine ulla impensa ex illa Insula saracenos dejicere poterat, qui insulanis arma ademerant, et filias eorum sibi sumebant, et ad Mahometi perfidiam ducebant. Petit etiam ut singulis annis ex Lusitania aliqui sacerdotes veniant, cum illi, qui in India admittebantur, nec spiritu nec litteris sic erant instructi, ut extra Collegia mitti ad laborandum in vinea Domini possent.

501. Et quia Rex Portugalliae in usum Collegii Bazaini tria millia ducatorum annui reditus, ad lusitanorum filios et indigenarum in eo instituendos, dederat, et quidem sub cura Societatis nostrae, quamvis tunc ob paucitatem operariorum non est id onus susceptum, petit ut jam, quandoquidem nostri eam provinciam susceperant, ipsis Collegium cum suis reditibus assignari juberet. Idem de Collegio Goënsi Simoni commendat, ut scilicet, illius reditus Societati, quae jam administrationem exercebat redituum et numerosam ibi juventutem instituebat, solide assignarentur. Alia etiam Collegia institui et litteras a Rege ad Episcopum Goënsem per quemdam fratrem Vincentium ordinis Sancti Francisci Capuccinorum scribi curaret, ut post mortem ipsius, Collegium satis pulchrum, quod in arce Changranoris instituerat, et in quo centum fere

lusitanorum et indigenarum filios instituerat, Societati relinqueret. Quamvis ad hoc satis illi propensi videbantur, cum et nostrorum operam Changranori requirerent, sicuti anno praeterito Bazaini expetierant. Movebat autem Patrem Franciscum ut hoc Collegium Societati assignari post vitam fratris Vincentii ad Dei gloriam fore judicaret, quod fere sexaginta christianorum loca eorum, qui Sancti Thomae dicuntur, arcem illam circunstant, in quibus egregius fructus, cum plurimarum animarum proventu, consequi poterat. Alios etiam religiosos ordinis Divi Francisci, qui nostris erant amicissimi, serio commendat, qui Maluci et Malacae ad instituendos earum regionum pueros similia Collegia nominatim a Rege institui per litteras tentarunt; quae omnia fere eodem tempore sunt consequuta [1].

502. Mense igitur Aprili Goa profectus est Pater Franciscus cum Patre Cosmo Torrensi et alio fratre nostro laico, Paulum Japonensem cum duobus ejus famulis adducens. Postremi hi tres scilicet, Paulus ejusque famuli, non solum in catechismo sed in spiritualibus etiam Exercitiis, quibus cum magna sollicitudine et proficiendi desiderio vacaverunt, versati sunt, et insignia Dei dona in illis sunt assequuti. Rogabat Pater Franciscus Paulum in quibus orationibus aut meditationibus majorem spiritus consolationem experiretur; ille vero respondit quod in passione Domini; in qua hi tres japonenses, dum in exercitiis praedictis exercerentur, magnam commotionem et cum multis lacrymis non minorem consolationem acceperant. Cum etiam eumdem interrogaret quid ex his, quae in lege christiana intellexerat, magis ipsi placebat, respondit ille cum sociis hoc esse confessionem et communionem; et addebant neminem esse qui rationi obediret, qui, si cognosceret Christi legem, eam non admitteret. Audivit etiam Pater Franciscus dicentem cum multis suspiriis hunc Paulum: O Japonenses miseri, qui pro deis Dei creaturas adorant, quas in hominum obsequium Deus creaverat. Et cum interrogaret quam ob rem id diceret, respondit suae provinciae homines Solem ac Lunam adorare, quos Deus, ut servirent fidelibus Christi ad diem et noctem illuminandam condiderat, ut homines, hoc beneficio

---

[1] Vide annot. infra sub n. 534.

lucis adducti, Deum glorificarent et filium ejus Jesum Christum.

503. Ultima die mensis Maii Malacam pervenerunt, ubi litteras invenit P. Franciscus a mercatoribus lusitanis, qui in Japonensibus insulis versabantur, quibus ei significabant quemdam Principem christianum fieri velle, qui nuncium ad Indiae Gubernatorem mittebat ut ad declarandam eis Christi legem aliquos sacerdotes mitteret; quosdam etiam subdebant mercatores lusitanos in quodam palatio, ubi nullus incolarum habitabat, hospitio exceptos fuisse, qui sentiebant se impelli et vestes eorum contingi et tamen neminem attingentem vel impellentem videbant; et tandem noctu cuidam eorum horrenda quaedam daemonis visio apparuit, et cum clamaret ille perterritus, lusitani cum armis praesto fuerunt, et intelligentes a daemone illum fuisse perterritum multas cruces in circuitu domus posuerunt; mane etiam illius loci dominus illi significavit domum illam a daemonibus habitari, et quonam remedio utendum esset contra eos interrogavit; illi responderunt se aliud praesentius nescire quam Christi crucem, et ita ipsimet japonenses, lusitanos imitati, multas cruces in circuitu illius loci possuerunt. Constituerat P. Franciscus Regem primarium Japoniae adire, et legatione apud ipsum Christi nomine fungi, Evangelium regni Dei illi significando, et magno animo et spe hanc navigationem ad Dei gloriam et animarum salutem suscipiebat, ac optimum successum suorum laborum sperabat; et inter terrores qui undecumque objiciebantur, ante oculos habebat dictum quoddam Patris Ignatii, quod scilicet, hujus Societatis homines elaborare multum deberent ut superarent et longe a se rejicerent omnes eos timores, qui homines a spe et confidentia in Deum impediunt, et quod ad id media opportuna deberent adhibere, quamvis non in mediis sed in Deo anchoram fidei et spei figerent; nam donum Dei talis fiducia est, sed quod Dominus his conferre solet, qui seipsos vincere studeant. Multos in inferno esse scribit, qui, cum viverent, aliis salutis causa fuerunt, et quod ipsi humilitate interiori carerent et sibi ipsis propter falsam aliorum existimationem confiderent, perierunt; neminem autem esse in inferno eorum qui, dum viverent, mediis usi sunt, quibus interiorem humilitatem consequerentur.

504. Admonebant autem japonenses socii non exiguum offendiculum japonensibus Bonzis fore (sic vocant eorum sacerdotes) si nostros carnibus aut piscibus vesci viderent, a quibus ipsi abstinent, vel certe se abstinere fingunt; et ita ad evitandum scandalum, si opus esset, ab hujusmodi rerum esu abstinere constituerat. Profecti sunt autem ipso die Sancti Joannis Baptistae Malaca, ut in Japoniam navigarent, et quorumdam gentilium sinarum navem ingressi sunt qui, cum mercatores essent, Duci Malacae promiserant se in Japoniam nostros esse transmissuros; et prospero quidem vento utebantur; sed ut gentiles inconstantes esse solent, coepit navis dominus in proposito deducendi nostros in Japoniam frigescere, et in insulis, quae occurrebant, sine causa haerere incipiebat. Duo autem animum Patris Francisci male habebant; alterum, quod venti et temporis commoditas, quam dabat Dominus, e manibus elabebatur, et si montio [1] illa cessasset, apud Sinas hiemandum erat, et alia montio sequentis anni exspectanda; alterum, quod navis plena erat impiis idoli cujusdam sacrificiis, quae non cessabat navis dominus cum aliis gentilibus offerre, et pro suo more sortes mittebant, et interrogabant an prosperum ventum in Japoniam essent habituri necne, et quamvis variae, ut ferebant, sortes egrederentur, una egressa est, quae dicebat prosperum ventum fore et exspectandum non esse; et ita solventes anchoras laeti navigabant, illi in suo idolo, nostri vero in Christo confidentes, in cujus obsequium hoc iter susceperant. Sed cum pergerent illi sortilegi suum idolum consulere, sors exiit quod in Japoniam quidem essent perventuri, sed Malacam non redituri. Hic omnino constituit dominus navis apud sinas subsistere, et sequentem annum exspectare. Urgebatur Pater Franciscus magno zelo contra daemonem, qui honorem Deo debitum sibi vindicabat, et navigationem in Japoniam per suas sortes duci navis dissuadebat; et tota illa nocte dedit ei Dominus intimum sensum circa res multas, ac praecipue circa terrores, quos daemones,

---

1 *Montio*; Italice *monsone*, hispanice *monzon*, anglice *monsoon*, ex malayo *mûsim* aut hindostanico *mausim*, *mausam*, est ventus, qui per dimidiam anni partem tenet constanter contrariam in flando directionem ei quam per aliam dimidiam tenuit. *Monzon* proprie dicitur de ventis maris indici; nam similes oceani maris, quod Europam et Americam alluit, dicuntur *alisios*.

cum a Deo id permittitur, incutere solent, et circa remedia, quibus utendum est, quorum summa ea est; magnum animum, dum hujusmodi terrores ille incutit, contra daemonem ostendere, de se animo diffidendo et spem omnem in Deo constituendo, et vehementer cavendum esse ne daemoni cor timidum ostendatur. Rogavit etiam Dominum ut augeret poenas illi daemoni, qui tanquam Deum se adorari faciebat; unde valde infensum daemon illi se ostendit, et objiciebat ei saepe quod Deum rogaverat contra ipsum et tempus jam adesse, quo talem injuriam ulturus esset. Sed cum nihil amplius daemon possit quam Deus permittit, id curandum est ne confidentia in Deo posita relaxetur, et qui de se ipsis praesumunt facile superantur, quamvis in rebus minoribus victoriam aliquando sint consequuti; et ipsi pusillanimes in magnis periculis ac laboribus fortiores illis sunt, si in Domino confidant; unde diligenter humilitati studendum esse ait, et sibi omnino diffidendum, ut totum spei fundamentum ad pericula gravia et labores superandos in Deo collocetur; nullus siquidem debilis est, qui bene gratia utitur, quam illi dat Dominus.

505. Cum ergo ad insulas sinarum prope civitatem Cantonem pervenissent, omnes illi in Portu Cantonis hiemare constituerant. Pater Franciscus nihilominus cum sociis ducem navis urgebat ad quod promiserat Duci Malacae praestandum; alioquin se id scripturum minabatur. Sic rursus anchoras solventes Chinchaeum versus navigarunt, qui alius est Chinarum [1] portus, in quem cum jam ingressuri essent ut hiemarent (jam enim accedebat montionis ventorum finis), ecce navigium quoddam ad eos accedit et significat illo in portu piratas esse, et quod de ipsis actum erat, si portum ingrederentur. Cum etiam navigia Chinchaeorum ad unius leucae spatium distantia cernerent, et navis dux sibi extrema timeret et ventum prosperum versus Japoniam haberet a puppi et omnino contrarium, si Cantaonum [2] vellet redire, coactus est contra suam et suorum et daemonis etiam voluntatem in Japoniam pergere; quo ipso die Assumptionis Beatae Virginis hujus anni 1549, et quidem cum alium portum ingredi non potuis-

---

1 Sic; alibi fere semper *Sinae, arum*.

2 Sic; superius et alibi *Canton, Cantonem*.

sent, recta Cangoximam, quae patria erat Pauli Japonensis, quo nostri pervenire cupiebant, pervenerunt; ubi tam consanguinei Pauli quam reliqui nostros perhumaniter exceperunt.

506. Japonensium ingenia et mores prae caeteris omnibus, inter quos Pater Franciscus versatus erat, ei maxime probabantur. In genere loquendo affabiles, non maligni, honoris rationem miram habentes et, ut plurimum, pauperes sunt, sed paupertatem nec nobiles nec ignobiles erubescunt, sed qui nobiles sunt, perinde honore afficiuntur, licet pauperes sint, atque si divites essent; et nullius dotis magnitudine adduci posset nobilis ut ignobilem foeminam in uxorem duceret, nam id contra suum honorem esse judicant et honorem pluris quam divitias faciunt. Urbanitate inter se certant; de armis gloriantur; in illis multum confidunt; tam nobiles quam ignobiles post quatuordecim aetatis annos ensibus et pugionibus utuntur; injurias minime ferunt nec verba, quae contemptum sapiunt; ignobiles magnum honorem nobilibus exhibent; ipsi autem nobiles pro magna gloria habent principibus inservire, cum quibus submisse admodum se gerunt, non tam quod punitionem timeant, si aliter agerent, quam quod contra suum honorem id fore judicant. In cibo moderati sunt, in potu largiores; vinum ex oryza bibunt, cum vitibus careant; ludis nunquam utuntur, quia contra suum honorem existimant id esse, quandoquidem qui ludunt, quod alienum est cupiunt, unde ad furtum accedere videntur; juramentis parum utuntur; si quando jurant, per solem jurant; maxima eorum pars legere et scribere novit; unicam uxorem singuli habent; pauci latrones inveniuntur, cum capite mulctentur qui id perpetrant et severe admodum in hoc vitium animadvertunt; optima voluntate praediti videntur et ad facienda, quae ad Deum pertinent, sunt valde propensi, et tunc praecipue cum de illis aliquid intelligunt; fideliores homines nunquam se vidisse Pater Franciscus testatur; non adorant idola in animalium figuris; quosdam antiquos homines, qui more philosophico inter eos vixerunt, colunt; multi eorum solem, alii lunam adorant; rationi valde obediunt, et quamvis inter eos vitia et peccata sunt, cum de eorum turpitudine ratio redditur, eam agnoscunt, et quod ratio dictat, probant. Pauciora peccata in saecularibus quam in eorum sacerdotibus aut bonzis inveniuntur; nam hi

etiam his peccatis, a quibus natura abhorret sunt obnoxii, nec ipsi id negant, et omnibus constat; sed quia res depravata consuetudine latissime patet, non id homines abominantur; quamvis dum reprehenduntur illi, alii homines libenter id audiunt, et reprehensionem probant; ipsi vero bonzi rident nec erubescunt; et tamen illis filii nobilium erudiendi traduntur; unde considerandum est quod consuetudo peccandi etiam in pessimis vitiis sic vires naturae corrumpit, ut etiam ab his non abhorreat. Et cum tales vitiis bonzi sint, mirum est quanto in pretio ab aliis habeantur [1].

507. Quemdam prae caeteris insignem et venerandum, nomine Ninxit, familiariter est alloquutus P. Franciscus, quem dubium esse circa animae immortalitatem invenit. Hic ipsi Patri Francisco valde afficiebatur, sicut et alii tam bonzi quam laici, qui vehementer mirabantur a sex millibus leucarum eum venisse ut de rebus ad Deum et ad salutem ipsorum pertinentibus cum eis ageret; et a Deo missum esse eum dicebant. Et magna ad conversionem porta aperta ipsi fuisset, si linguam japonensem tenuisset, quam tamen jam discere incoeperat, et decem praecepta legis utcumque declarabat. Paulus Japonensis sincerum se ac fidelem amicum se exhibuit. Loci illius, qui patria erat Pauli, Dux, et qui magistratus justitiae administrandae curam gerebat, ac populus totus benignitatem nostris non vulgarem ostendebant; nec Paulum, quod christianam fidem suscepisset, reprehendebant, quin potius eum majori in pretio habebant, et tam consanguinei quam alii et praecipue Dux ipse honore eum peculiari afficiebant, et libenter cum eo conversabantur, qui res Indiae apud japonenses ignotas vidisset. Multa de moribus ac virtute lusitanorum Dux percontabatur, quibus omnibus sic Paulus respondit, ut abunde sibi satisfactum esse Dux prae se ferret.

508. Erat Dux, cum primum eum Paulus est alloquutus, in arce quadam quinque leucas Cangoxima distante. Tulerat secum Paulus devotam imaginem Beatissimae Virginis, quam nostri ex India portaverant, cujus aspectu mirum in modum Dux recreatus est, et statim genua flexit coram Christi et

---

1 Ignatius Simoni Rodericio, de informatione quam de rebus Japonicis scripserat Xaverius, 18 Januarii 49.

Virginis Matris ejus imagine, reverenter et ipse adorans et suos omnes, qui circumstabant, ad orandum excitans. Cum autem eam vidit Ducis mater, vehementer eam est admirata, et postquam Paulus ad nostros Cangoximam rediisset, nobilem quemdam virum misit ut curaret aliam similem imaginem ex illa deductam; quod tamen quia colores deessent, fieri non potuit. Petiit etiam Ducis mater ut scripta ad se transmitterentur ea, quae christianorum Religio tradit, quod Paulus diligenter exsequutus est. Is etiam sollicite suis diu noctuque praedicans, matrem suam, uxorem, filiam, multos ex consanguineis et amicis ad fidem Christi convertit; et collegialibus nostri Collegii Goënsis hoc ipsum significans, ut perseverandi gratiam impetrent neophytis, eorum orationes postulat, et multa se sperare de japonensium conversione affirmat; quae spes illi cum Patre Francisco communis erat, qui intellexisse se testatur quam singulari Dei beneficio sit affectus, quod ad Japoniam ipsum deduxisset, et ratione sperandi in ullis creaturis adempta, totam fidem ac spem in se transferendi occasionem dedisset.

509. Et quidem, quod ad cibos attinet, mensuram excedendi ablatum esse periculum affirmat, cum nec occidant nec edant animalia, quae alunt, japonenses; piscibus aliquando vescantur et oryza ac tritico, non multo tamen; herbis largius utantur et paucis quibusdam fructibus; et tamen sani mirum in modum homines vivunt et satis multi senes cernuntur. Itaque in japonensibus facile id discitur ipsa experientia, quod quasi proverbialiter dicitur, scilicet, paucis naturam esse contentam. Sed et nostri sanitate integra fruebantur. Bonzis japonensium, cum propter peccata potius essent abominandi, abstinentia, qua utuntur a carnibus et quidem semel tantum quotidie herbis ac fructibus et oryza vescendo, miram illis auctoritatem conciliat; vinum illis etiam est prohibitum. Ab hujusmodi hominibus persecutionum fructum sperandum esse Franciscus laetabatur; nam ab aliis saecularibus hominibus non esse multum sibi timendum, nisi a bonzis impellerentur, existimabat; ac vivere nostros ajebat magna cum spe regionem illam juvandi, si tamen in Christo et in ejus sacratissima Matre et in novem angelorum choris ac praecipue in eo archangelo, cui regni japonensis cura a Deo commendata esset, et aliis custodibus angelis hominum japonensium, fiducia collocetur; ideo

orationes Societatis obnixe petit, ut ne propter peccata ipsorum desinat Deus cooperatores ipsos sui efficere ad conversionem japonensium.

510. Constituerat Pater Franciscus Meacum, quae civitas est primaria regni Japoniae, ubi Rex et alii Principes viri sedent, quamprimum adire; sed cum applicuissent Cangoximam, jam venti, quibus Meacum erat navigandum, cessaverant; et dum contrarii regnabant, Cangoximae debuit subsistere ad quinque vel sex menses. Distat Meacum inde trecentis leucis; multa de ea et quidem magna audiebat, sed donec eam vidisset et universitates alias Japoniae (quae quatuor vel quinque sunt circa Meacum, scholasticis frequentes, et alia insignis, *Banda* nomine, satis remota), continebat se ne scriberet Summo Pontifici et academiis Europae, postea id facturus, ut ad Christi gloriam et animarum salutem promovendam operarios undecumque destinaret, nec solum in Japoniam, sed etiam in regnum Sinarum, multo majus, cum transitus illuc ex Japonia sit facilis, si Rex Japoniae, qui sincerus amicus tunc erat, suas litteras ad securitatem adjungeret. Duos jam tunc bonzos cum pluribus japonensibus in Indiam ad nostrae religionis mysteria discenda profiscisci scribit. Addit etiam quod ipso die Sancti Michaëli sacro Ducem Cangoximae convenit, a quo humanissime fuit exceptus, qui admonuit ut bene libros illos servaremus quibus christianorum lex continebatur, addens quod si ea vera esset ac bona lex, aliquid esset consequuturum, quod daemoni valde displiceret; et post paucos dies suis omnibus subditis potestatem fecit, ut quicumque vellent, christianam religionem susciperent.

511. Dum Cangoximae versaretur Pater Franciscus, declarationem quamdam articulorum fidei nostrae in japonensium linguam conversam curavit ut imprimeretur (ars enim haec imprimendi apud japonenses antiquissima est) ut latius patere possit Dei cognitio, etiam illis in locis, ad quae nostri non possent accedere; qua in re perutilem operam Paulus praestabat. Scripsit autem quinta die Novembris hujus anni in Indiam Pater Franciscus ut Balthasar Gagus cum aliis in Japoniam venirent [1].

---

1 Continentur haec, quae de Xaverii in Japoniam profectione dicta sunt, et alia

512. Hoc anno 1549, magnum in India progressum catholica Religio fecit [1]. Antequam ex India recederet Pater Franciscus omnia loca ubi nostri residebant, pro officii sui ratione lustravit, ac nostros ubique et consolatus est et instruxit; sed post ejus discessum P. Antonius Gomez in Provinciam Malavarin ipso mense Aprili ad Regem Thanor se contulit, nec nisi medio Septembri (est autem id veris initium in India) inde rediit. Propensus fuerat Rex Thanor jam a puero erga lusitanos et quibus poterat eos favoribus prosequebatur, et quibusdam etiam, quamvis parum efficacibus, desideriis ad fidem Christi suscipiendam movebatur. Demum cum Duce civitatis Challae ac domino Joanne Juarez, qui Vicarii officio ibidem fungebatur, et cum Cosmo Joanne, qui Goënsis Collegii praecipuus auctor fuerat, ad Christi fidem suscipiendam venit; occulte tamen id fecit nec signa brachmanum exteriora relinquebat; quamvis crucifixi imaginem a fratre Vincentio, de quo supra, acceptam absconditam in pectore gerebat. Id autem Regis erat consilium, ut prius quam se christianum profiteretur, primarios regni sui naides [2] (hoc nobilitatis nomen praecipuum est) paulatim ad Christi fidem adduceret; illis enim Christi fidem suscipientibus, totus populus eam, ut sibi persuadebat, suscepisset. Scripsit hic litteras ad Indiae Episcopum, ut ad suum Praelatum, et inter caetera hoc ab eo postulavit ut aliquem ex Patribus apostolicis (sic enim Societatis nostrae religiosos vocabat) ad se mitteret.

513. Visum est autem et Episcopo et Indiae Gubernatori a Patre Antonio Gomez eam esse provinciam suscipiendam; unde contulit ille se ad Regem Thanor, nomine Joannem, qui vir magni animi et inter finitimos magnae auctoritatis, magnae etiam in re militari virtutis et usus erat. Ejus quidem fratri natu majori successionis jure, regnum debebatur; sed quia non eo judicio praeditus erat ut regni administrationi idoneus haberetur, ad hunc Joannem regni Thanor administratio et regius honor delatus est. Hunc Pater Antonius Gomez dum in fide instruit et in ecclesia ex palmis ibi confecta, quae fidei

---

non pauca in ejus ad Ignatium, Rodericium, et alios datis hoc anno litteris et in historicis, quae sequenti anno 1550 ad universae Societatis domos Roma missae sunt.

1 India fuerat praeponenda Japoniae. *(Nota in ora paginae.)*

2 Inferius et saepius alibi *nayres*.

christianae sunt, docet, id effectum est ut multi ex finitimis ad Christi fidem amplectendam moverentur. Adiit Antonius Camurinum, qui Princeps apud eas nationes eo loco pene est, quo apud nos Imperator; adiit et Regem alium, ex cujus regione piper comportatur; adiit et Regem Cochini, et alium quem Lambarin nominant, et alios Principes viros, ex quibus non pauci spem ipsi fecerunt futurum ut brevi ad christianam Religionem accederent.

514. Sed redeundo ad Regem Thanor, dum fidei mysteria docetur, cum, divino lumine ejus animum illustrante, multas ante Christi crucifixi imaginem lacrymas funderet et suae constantiae specimen eximium praeberet, judicavit Pater Antonius ad christianae Religionis amplificationem et dignitatem fore, si omnibus egregie Christi religio innotesceret. Unde eum hortatus est ut Goam veniret et omnibus suae fidei veritatem ostenderet. Promisit Rex id se facturum et tempus, quo venire vellet, designavit; quo tempore, cum triremes a Gubernatore essent missae, ut eum ad navigationem paratum adducerent, multa se obtulerunt quae eum ab instituendo hoc itinere impedirent. Nam simul atque ejus voluntas Goam proficiscendi civibus, quibus erat valde charus, innotuit, ipsum cum alio quodam Principe viro Regem adeunt, et a proposito itinere omni ratione deducere nituntur, nequaquam tanti Regis dignitatem ferre dicentes, si, proprio regno relicto, Lusitanorum potestati se committeret, et, si pedem ex regno moveret, futurum esse minabantur ut contra eum arma assumerent; quae omnia ab eis magis amoris vi quam benevolentia [1] aliqua dicebantur. Postremo cum se parum proficere viderent, Regem suum in arcem includunt, custodias disponunt, et ne ulla ratione elabi possit curant. At Rex, promissionis memor, noctu per muros descendere constituit; et, prius Christi nomine invocato, accepit longam fasciam, qua Indiae gentes caput operiunt, et cervi cornibus, quae forte ibi invenerat, alligat; deinde cornua in superioris muri partem figens, per fasciam se demittens, unum atque alterum murum superavit; sed non potuit eadem facilitate tertium transire, quod esset altior; propterea se ex editiore loco ejecit; et quamvis pedem et

---

1 Sic; videtur tamen potius esse debere *malevolentia*.

caput laesisset, nihil tamen moratus, ad littus contendit; et cum labore defatigatus esset et nando ad triremes, quae paulo longius aberant, transiret, in magno vitae periculo fuit; sed lenunculo incolumis a nostris est exceptus. Ubi illud observatum etiam est, quod Christi imaginem nunquam reliquit. Ubi autem ipsius subditi Regem abesse senserunt, extemplo ad littus simul cum eo Principe, de quo superius mentionem feci, convolant, humi procidunt, et lacrymis ac gemitu doloris magnitudinem ostendunt. At cum Rex iratus eos videre nollet, a triremis praefecto rogatus est ut suos alloqueretur; quos humi procidentes ac ex more ipsum adorantes benigne tandem Rex excepit et dimisit, multis beneficiis eosdem prosequutus. Haec et alia tam constanti animo Rex perpessus est, ut jucundissimum sibi esse pro Christo haec subire incommoda, et ad pericula graviora adeunda se paratum profitebatur.

515. Pervenit ergo Goam incolumis sexto calendas Novembris; ubi honorifice admodum ab Episcopo, Gubernatore Indiae et omnibus demum ordinibus est exceptus, et, quamdiu Goae fuit, magnis sumptibus Gubernatoris, spectaculis etiam ad Dei honorem editis, fuit recreatus; ut caeteri Reges intelligerent christianos homines de ipsorum salute, etiam sine ulla privatorum commodorum spe sollicitos esse, cum sua tam liberaliter in ipsorum gratiam impendant. Vestitus christianorum more (nam vestes et alia multa dona Gubernator ei paraverat), et de rebus ad animae salutem pertinentibus cum Episcopo prudenter agens, petiit ad eodem Confirmationis sacramentum, quod in ecclesia Collegii nostri magna cum solemnitate accepit. Et cum vigesima secunda Octobris Goam esset ingressus et aliquot ibi dies exegisset, in regnum suum rediit; et ut Goae suae pietatis magnum specimen dederat, ita in itinere dedit liberalitatis; nam magnos is habebat thesauros; quocumque autem ibat, ejus exemplo omnium animi mirifice in eum commovebantur. Regina, ejus uxor, baptismo accepto, domina Maria vocata fuit; quidam etiam Dux Challensis Regis et alius vir primarius Christi fidem susceperunt. Lambarinus ille Princeps, de quo prius mentio facta est, scripsit ad Patrem Antonium se in proposito constanter permansurum. Parabat etiam Episcopus et Gubernator Indiae, et cum eis idem P. Antonius, profectionem in regnum Thanor post Re-

gis discessum, ut eos populos ad Christum adducere curarent.

516 [1]. Ea provincia Thanor in medio est totius Indiae, admodum plana, oryza et palmis abundat, et hyeme tanta est aquae vis, ut cubiti altitudinem aliquando superet. Ea in regione varia sunt hominum genera; Nayres caeteros honore praecedunt; apud eos studia rei militaris vigent. Alterum est genus brachmanum, qui idolorum sacrificia procurant et magno etiam in honore habentur; et ii, sicut etiam Nayres, regiam domum ingrediuntur, quamvis in eadem sedere inurbanum censetur; latomi, fabri, et id genus artifices ignobiles apud eos habentur. Palmeta colunt alii; alii piscatores sunt, quos *machuas* vocant; alii agros colunt, et ii *spoleae* vocantur; extrema haec hominum genera penes servorum numerum habentur; impune cuivis licet eos occidere, injuriis premere et in servitutem redigere. Hae gentes parvo aluntur, nam major pars victus eorum in foliis quibusdam, quae hederae haud sunt dissimilia, et fructu simili nuci muscatae consistit. Tantum ab umbilico deorsum versus, aethiopum more, teguntur. Coelum est salubre; terra pinguis. In urbe ipsa Thanor ecclesia fuit a Rege Joanne aedificata et ante urbem ingens crux posita. Ditio Regum eorum, qui superius nominati sunt, plusquam trecentas leucas orae maritimae tenet. Cum Pater Antonius in his locis versaretur, magnum bellum et controversiae inter hos Principes erant, quas ut tolleret, plusquam ducentas leucas pedibus confecit, ut discedendi ab armis et aequis conditionibus pacem componendi auctor eis esset.

517. Inde Cochinum venit, ubi duos menses olim P. Franciscus Xavier edocendis christianis et audiendis confessionibus consumpserat. Ultimo autem, cum in Japoniam proficisceretur, ibi cum suis comitibus subsistens concionatus erat. Est in ea urbe populus lusitanorum frequens. Ubi ergo P. Antonius eo se contulit, eum obnixe rogant ut Collegia nostrae Societatis ibi erigi permittat. Cum ille acquievisset, agrum palmis consitum cum egregio Beatae Mariae dicato templo Societati attribuunt, et ut quod reliquum erat operis conficeretur, sex-

---

1 Haec praeponenda sunt *(In ora paginae)*. — Similia iterantur saepius ad finem usque rerum hujus anni. Non enim in eis servavit Polancus ordinem, quem prioribus annis servaverat; quod nullus lector non videbit.

centos fere aureos in commune conferunt, et brevi, quod aedificandum erat, confectum est, ubi ex nostris quinquaginta commode habitare possent; quamvis tunc perpauci erant in universa India, et ab omnibus arcibus lusitanorum operarii merito expetuntur, cum doctrinae penuria magnopere laborent.

518. In parte illa, quae Comurini caput dicitur, missus est P. Paulus Do Valle cum duobus fratribus; nam hoc ipso anno P. Antonius Criminalis armis impiorum confossus fuerat. Unus is ex primis patribus fuit, qui Patrem Franciscum in Indiam sequuti sunt, non quidem eodem sed sequenti anno, cum Patre Nicolao Lancilotto in Indiam perveniens. Is, cum Goae aliquandiu substitisset in Collegio nostro Sancti Pauli, in maritimam oram Comurini ex praecepto Patris Francisci se contulit, cujus regionis christiani et numero et probitate caeteros, qui in India erant, facile superabant. Quatuor ergo annos propemodum in ea regione Pater Antonius exegerat, et, cum reliquis de nostra Societate praefectus esset, super sexaginta leucarum spatio adjacentia mari oppida multa, mira sollicitudine percurrebat, ut incolarum commodis et utilitati inserviret, et salutem eorum spiritualem curaret. Et, cum sterilis sit regio et magnae paupertatis, cumque rebus ad vitam necessariis careret, et bellis etiam finitimorum Principum premeretur, magnas difficultates majori animi constantia superabat, et saltem singulis annis, nudis fere semper pedibus, et humi dormiens, et tenuissimo victu praeditus, omnia loca lustrabat. Nec tantum pastoris officio fungebatur, sed et eorum lites et controversias, cum nullus alius esset judex, suo arbitrio dirimere conabatur; quae omnia summa integritate et morum suavitate, quae hominem amabilem omnibus reddebat, praestabat. Nostris etiam, quibus praeerat, exemplum totius obedientiae, castitatis, et zeli animarum se praebebat. Cum ergo hic in extrema parte illius provinciae pacem inter quosdam dissidentes reconciliare et oppressos a militibus christianis indigenas, qui ad ipsum ut Patrem confugiebant, defenderet, et aliis spiritualibus functionibus daret operam, vidit quidam praefectus militum lusitanorum, cum paucis quibusdam militibus in praesidio cujusdam tractus maris constitutus, quosdam brachmanes, nescio qua injuria affectos, qui, relicto suo pagode (sic vocant idolorum templa) fugientes, populos

vicinos ad arma capienda provocarunt; et cum aliquot millia hominum Regi Bisnagae subditorum (*badagas* vocant) congregassent, nec opinantes lusitanos adorti sunt; et quamvis ad navigia illi se receperunt, ictibus tamen sclopetarum aliquot ex eis vulnerarunt, ex quibus quatuor vel quinque obierunt.

519. Interim Pater Antonius in oppido vicino, Remancore dicitur, sollicite curabat ut pueri et mulieres cum bonis suis ad navigia se conferrent; et quamvis ipse facile potuisset incolumis ad praedictas naves se recipere, noluit tamen in maximo utriusque vitae descrimine eos relinquere, quos sollicite et baptizandos et instituendos in doctrina et vita christiana curaverat. Si enim aliud praestare non posset, precibus saltem et exhortatione in fide confirmare se posse putabat. Mansit ergo inter illos, et quocumque modo poterat ut saluti suae consulerent, praecipue pueros ac foeminas, urgebat ad naves conscendendas. Interim equites adsunt et omnia intercludunt, ne ad navigia posset amplius transmeare. Irruentes ergo illi in christianum ejus populi quemdam, in oculis Patris Antonii eum confoderunt, quem ipse ad Christi religionem converterat, et cujus opera in aliis docendis (nam idoneus ad id erat) utebatur. Hunc ut interfectum vidit, genua flectens, oratione eum et se Domino commendavit. Et cum primi equites genibus flexis et sublatis in coelum manibus mortem exspectantem vidissent, a sanguine ejus abstinuerunt, pileo tamen de capite ejus sublato. Cum paulo post plures ex hostibus irruerent, eadem vultus et animi tranquillitate orationi vacabat; at illi hominem sublevant, interfecturis similes, sed eo incolumi relicto, ulterius pergunt. Tertia jam accedebat turma, ex qua unus, quem ex cidari, quam gestabat in capite, saracenum fuisse existimant [1], hasta sinistrum ejus latus vulnerat; accedunt alii, et virum Dei veste spoliant; ille, qui paupertatis amore semper flagraverat, eos in exuenda veste adjuvit, quasi de misera hac vita ne id quidem morienti superesse vellet;

---

1 Nunc primum intelligimus quid sibi velint illa verba *uno de una toca,* quae in hoc loco habet NIEREMBERG, *Ideas de virtud en algunos claros varones de la Compañia de Jesús,* pág. 43, et in nuper editis Bilbai *Varones ilustres de la Compañia de Jesús,* t. II, pág. 638. Eadem habet LUCENA, *Vida de San Francisco Xavier,* lib. VII, c. 17; et sermo est de *cidari* seu *zidari,* hispanice *turbante,* quo signo saracenus esse, qui prior Antonium vulneravit, agnitus est.

indusium etiam et consertum [1] ab eo abstulerunt; et sic nudus ac vulneratus surrexit, et in proximam ecclesiam, ubi eo die rem divinam fecerat, properabat. Sequebantur aliquot ex badagis a tergo, quos ubi sensit, conversus et genua flectens ad orationem, vulnus in pectore accipit; et extracta manibus hasta, denuo in ecclesiam pergit, sed rursus hasta percussus in genua demum procumbit, haud oblitus vetusti sui moris; nam, licet in activae vitae functionibus occupatus, quotidie tamen vicies, nonnunquam etiam tricies, ad orandum genua flectebat; et demum humi cecidit, et jacenti caput est amputatum et cruentum ac lacerum in edito loco est suspensum, ut lusitani, qui in navibus erant, id viderent; et compluribus ex foeminis ac pueris captis, ad pagodem quasi gratias acturi de victoria se contulerunt. Christiani autem collacrymantes ejus corpus sepelierunt, et quia parum alte humum effoderant, die sequenti nepos praefecti classis profundius idem curavit sepelire. Hunc vitae exitum habuit Antonius Criminalis, italus natione, Parmensis, qui ut primitiae martyrum, qui multi eum erant consequuturi ex eadem Societate, Deo oblatus est. Vir fuit, et in rebus agendis ad animarum utilitatem strenuus, et nihilominus contemplationi valde deditus, et, quod raro solet accidere, in utroque genere insignis erat; et dignam tali vita mortem obiise existimatus est.

520. Post ejus mortem qui de nostra Societate in ea provincia versabantur, Patrem Henricum Enriquez sibi praefecerunt, tum propter morum ejus eximiam probitatem, tum ob linguae, quam didicerat, peritiam. Horum patrum opera in maritimis illis locis, quae ad Christi gloriam et hominum spiritualem profectum pertinebant, egregie curabantur. Christiani frequentes ad ecclesias accedebant, et si quando in morbum aut difficultatem aliquam incidissent, cum eleemosynis in usum pauperum ad eas ecclesias confluebant, propter quas a bellorum periculis incolumes esse sibi persuadebant; et tantopere eas reverentur ut in suis controversiis, quas cum Indis habent, ecclesias cum ipsis adeant et eorum juramento

---

1 Incerti sumus an *consertum,* an vero *concertum,* id sit quod hic scripsit Polanci librarius; et significare videtur id, quod in hoc loco *interiorem subuculam* appellat Orlandinus, quodque hispanice Polanci tempore dicebatur *jubón, almilla,* nunc etiam *elástica.*

stent; et nonnulli eventus demostrarunt quanta sit jurisjurandi vis, cujus religionem etiam ab hominibus impiis Deus requirat. Nam aliquoties indi, qui jurejurando lusitanos fraudaverant, cum in graves morbos mox incidissent, restituerunt quod fraude sustulerant. Pueros etiam aegrotos ad ecclesias adducebant ut nostri pro eis orarent. Hoc anno neophyti Comurinenses peccatorum confessionem instituere coeperunt et mirum est quantum in emendatione vitae profecerint qui eo Sacramento adjuti sunt. Horum exemplo, a P. Henrico, qui illos audierat, ut ipsorum peccata etiam audire vellet efflagitàbant caeteri, filios se, non peregrinos, esse affirmantes. Multae tamen occupationes ne omnium desideriis, licet sanctis, mos geri possit efficiunt. Solliciti sunt admodum illi homines ac diligentes in baptizandis infantibus; in gravioribus autem morbis fratres nostros accersunt et Dei misericordia ac ipsorum fidei merito sanitatem saepe recuperant; Sanctae Mariae nomen frequenter invocant; idola summo odio prosequuntur, et suos instructores ex animo diligunt. Quídam indorum ejus regionis magistratus quemdam ex nostris, Balthasaris Nugnez nomine, in vincula conjicere volebat. Convenerunt finitimi christiani cum pueris, seque pro Balthasare morituros affirmabant; itaque timens magistratus ille pueros, se in fugam conjecit. Optime ii pueri de se sperare faciunt, dum a teneris annis sanctis christianae Religionis institutis assuescunt, quod non perinde ipsorum parentibus facile est, qui cum lacte impietatem imbiberunt. Ad discendam hujus gentis malavaris linguam multum adjumenti contulit Henrici Enriquez labor, qui ab aliquot mensibus sine interprete jam loquebatur et in artem praecepta ejus linguae redegerat; ea vero reliquos fratres juvit plurimum, qui etiam intra paucos menses sine interprete se locuturos sperabant. Differt autem plurimum illine ipsi an eorum interpres loquatur, qui saepenumero verba invertit, mutat, relinquit, et minori cum efficacia pronunciat. Catechismum, qui a Patre Francisco in linguam ipsorum erat conversus, quibusdam in locis, ubi interpres erraverat, emendavit. Tunc autem lexicon parabat Henricus cum interpretatione facili et ad gentis illius ingenium accommodata, quam nostri quotidie recitabant ad neophytorum instructionem, qui exemplis et verbis atque omni opera nostrorum mirum in

modum confirmantur et proficiunt. Non poterat tamen in tam multis oppidis sex vel septem hominum nostrorum diligentia, licet maxima esset, efficere ut multi infantes sine baptismo ex hac vita non decederent. Sex numero nostri sunt, sed ad ducenta hominum millia christianam ibi fidem susceperunt; unde messis multa, operarii pauci.

521. Pater Nicolaus Lancilottus, valetudinis gratia Caulanum missus cum duobus sociis, non solum ipse meliuscule valere coepit, sed per praedicationem conversioni infidelium cum egregio fructu vacare. Collegium ibi etiam puerorum indigenarum est institutum, quos Nicolaus docebat; et ex Lusitanis plurimi ejus doctrina in officio continebantur.

522. In oppidum Divi Thomae Pater Cyprianus missus fuerat, et praedicatione et Sacramentorum ministerio tam lusitanis quam indigenis perutilem operam navabat, magnamque in eo lusitanorum praesidio auctoritatem habebat, quam ad ipsorum et indigenarum utilitatem convertebat; et concordiam inter dissidentes multos conciliabat. Ea in civitate martyrio Sanctum Thomam fuisse coronatum traditur. Ducentas et quinquaginta leucas Goa distat.

523. Bazainum missus fuerat P. Melchior Gonzalez, cui duo fratres adjuncti erant et magnum incolarum affectum erga se et Societatem excitaverat. Locus ille valde idoneus est tam ad Lusitanos in sanctis institutis christianae Religionis continendos quam ad infideles ad fidem convertendos, et utrique quotidie majores in virtute faciebant profectus. Ea urbs tum fertilitate et magna rerum copia abundat, tum aëris clementia insigni fruitur; aedificia habet pulcherrima, templa magna sub terra cum fornicibus, columnis ac sacellis ex ipso saxo extructis, puteos etiam aquae dulcissimae. Urbem fluvius ab insula quadam dividit, quae Divae Mariae templum eadem forma constructum habet, et quadringentos incolas christianos, qui ad rem divinam et conciones in eam ecclesiam conveniunt, ubi et infantes baptizantur et matrimonia etiam conjunguntur. In hac ergo civitate Bazaino cum P. Melchior versaretur, evocatus est a quodam religioso ordinis Sancti Francisci, qui ei curam puerorum instituendorum cum reditibus a Rege Portugalliae ad id assignatis tradere voluerat; sed cum ejusdem ordinis superiores quemdam religiosum in idem Col-

legium mitterent, qui alteri suppetias ferret, noluit intercedere Pater Melchior, sed potius loco excedere, ut alibi in vinea Domini laboraret. At Gubernator, qui ejus urbis affectum erga Melchiorem et Societatem cognoverat, id non permisit, et omnino ut Bazaini Melchior maneret constituit, et ex reditibus Regiis mediam partem illis religiosis cum pueris reliquit, quos P. Melchior instituerat, et ut alia media pars Societatis esset, ut novum Collegium pro aliis pueris indigenis erigeretur. Dedit autem Gubernator, Georgius Cabral, situm quemdam ac domum Patri Melchiori valde bonum, quem ille mille quingentis aureis comparavit; et ita proprium ibi Collegium habuit Societas; quod Collegium Jesu vocatum est, et uberem ex eo fructum capere civitas coepit. Reditus annuus octingentorum ducatorum applicatus est, qui in pauperum subventionem, quamdiu pauci nostri erant, expendebatur; quamvis enim donari reditus trium millium *pardaorum* (qui fere duo millia et quingentos ducatos conficiunt) Rex jussisset, Gubernator duo millia tantum dedit, et media eorum pars, octingentos ducatos valens, ut dixi, nostris est applicata. Pueri autem praeter catechismum et ea quae ad mores pertinent, tum legere, tum scribere, nonnulli etiam grammaticam discunt, et dum hi Lusitanicam linguam acquirunt, possunt et nostri eorum linguae assuescere.

524. Collegium Goae inter caetera, ut antiquius ita et nobilius est. Saraceni et indi ante nostrorum in Indiam adventum duo millia aureorum contribuebant, ut ipsorum templa reficerentur, et sacrificia procurarentur; eam pecuniae summam cum aliis duobus aureorum millibus Rex Joannes Collegio Divi Pauli, vel Sanctae Fidei (utroque enim modo dicitur) largitus est. Itaque habet annua quatuor aureorum millia, quae partim ad Collegium juvenum indorum, qui ad fidem convertuntur, et ibi sustentantur, atque instituuntur, destinata sunt, partim ad Collegium nostrorum ibidem in separato loco habitantium, qui hoc anno plures quam viginti erant; quorum major pars ex nobilibus erat et ibidem admissa fuit, et studiis dabat operam.

525. Praeter hoc duplex Collegium, hospitale Collegio adjunctum est, ubi aegrotantes neophyti et alii etiam gentiles curantur, et ex dictis reditibus omnia illis necessaria suppedi-

tantur; et nostri non solum praesunt, sed inserviunt etiam huic hospitali. Et quia ad tam multiplices expensas et ad Collegii aedificium reditus praedicti non sufficiebant, ea munera quae Indiae Reges ad Portugalliae Regem mittebant, in subsidium Collegii a Rege Joanne fuerant assignata, et superiore anno mille aureis existimata fuerunt; et ex Portugallia idem Rex hoc anno duo millia ducatorum in subsidium Collegio dari jussit. Brevi tempore viginti novitii a Patre Antonio Gomez Goae admissi sunt, et ex eis aliqui optima indole praediti.

526. Agebat autem idem Antonius de genere Brachmanium ex insula Goa ejiciendo, nam aliis gentilibus magnum impedimentum praestabant ne ad Christi fidem converterentur. Aliqui tamen quotidie ex eadem insula per baptismum ad Ecclesiam Dei accedebant, quibus Pater Paulus operam suam praestabat, et in audiendis confessionibus et in cura etiam hospitalis praedicti utilem operam navabat. Fabricae etiam Collegii praeerat, multis fratribus habitationem parare studens. Ipse autem Antonius, antequam Goa ad Regem Thanor proficisceretur, dum ibi in quadragesima concionatur et variis pietatis operibus vacat, spiritualem multorum profectum promovit, et quod antea in India usitatum non fuerat, nocte de Passione Domini concionatus est et prae fletu et suspiriorum magnitudine vix in fine audiri poterat. Post reditum etiam in Insulam Goae diebus dominicis in cathedrali Ecclesia, ac diebus Mercurii in templo Misericordiae, suas conciones cum frequenti auditorio et fructu magno est prosequutus. Malacae Pater Franciscus Perez cum duobus sociis versabatur, ubi praeter praedicationem et catechismi expositionem, magnam etiam puerorum indigenarum multitudinem instituendam curabat. Cum eo pervenisset Pater Franciscus Xavier, quatuor, quos secum duxerat, fratres ad Malucas insulas misit; unus ex eis erat Emmanuel de Morales, alter Alphonsus de Castro, duo reliqui Joannes Fernandez et Franciscus Gonzalvus.

527. Versatus fuerat Emmanuel in variis regnis Malavarium, et magnam hominum multitudinem in regno de Travancor et Paravarum et Charearum et Machuarum, ad Christi fidem converterat. Inter hos paravae ingenio pollent ac judicio majori, unde libenter lusitani cum eis versantur; et satis divites sunt; et fere sexcenti ex eis ad Christi fidem accesserunt.

Signa etiam per eum non pauca fecit Dominus in sanitate compluribus reddenda per orationem; fuit etiam, qui jam pro defuncto haberetur et conclamaretur, et cum ibi orationes consuetas ille recitasset, non solum viventem sed cibo etiam utentem reliquit, quod tam gentilibus quam christianis admirandum merito visum est. Fuit quidam ex gentilibus, qui templum quoddam ibi constructum incendere voluit, et, cum sanus esset, statim mortis signa in se persensit; et quamvis diceret suis expensis velle se novam aedificare ecclesiam pulchriorem, nihil illi profuit, et horrenda morte confectus est, propter suum peccatum id se pati testatus. Alius quidam gentilis quemdam ex nostris [1] stricto gladio aggressus est quod impediebat ne idolo cuidam templum conficeretur, sed subita morte et ipse mulctatus est. Hujusmodi et alia Dei judicia et christianos animabant et gentiles merito terrebant. Flagellis idem Emmanuel caesus et in servum venditus est et alia non pauca pertulit. Hic ergo unus fuit ex illis, qui ad Malucas missi fuere; et opportune hoc subsidium eo mittebatur, nam Pater Nunius Ribeirus, unus ex his, qui anno superiore missus eo a Patre Francisco fuerat, mortem obierat.

528. Ille ipse est, qui in insulis Amboini anno proxime elapso multos infideles ad Christum, ut diximus, convertit, tribus illis vel quatuor mensibus, quibus classis Lusitanorum ibidem haeserat. Annum fere cum dimidio ibi [in Malucis] est versatus inter labores et pericula gravissima; nam bis aut ter naufragium passus evasit (ab una enim insula aliam atque aliam transeundum erat); in terra vero, ubi pane ex radicibus quibusdam confecto et oryza victitabat, a saracenis graves persecutiones est passus; saepe enim eum occidere nixi sunt, et aliquando domum, in qua divertebat, incenderunt ut eum concremarent; pretium etiam obtulerunt cuidam (qui postea christianus est factus) ut eum de medio tolleret ferro vel veneno, quod in illis locis abundat; unde fama est quod ex veneno ei propinato mortem obierit. Ipso enim die Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae hujus anni 1549, in quo sacrum devote celebraverat, statim a prandio gravissima febri et stomachi doloribus vexatus est, et post septem dies cum

---

1 **eumdem Emmanuelem** *(Alia manu superscriptum).*

magna fide et spe, crucifixum manibus tenens, spiritum suo Creatori reddidit; et ejus corpus in ecclesia quadam Beatae Virgini sacra sepultum fuit, quam ipsemet magno cum labore construxerat. Supra millia hominum eo sesquianno baptizaverat, et tam hi quam alii christiani Amboini pro Patre protectore ipsum habuerunt apud lusitanos; et vir sanctus habebatur ab omnibus, qui vehementer mirabantur tantam in eo sollicitudinem ac fervorem tam in baptizandis atque instituendis christianis quam in eis a saracenis defendendis; et tantam charitatem eis impendebat, ut saepe ei accideret sine vestibus domum redire, quas pauperibus christianis dederat. Confessiones etiam lusitanorum maximo cum labore audiebat, et saepe, cum propter suam ipse aegritudinem christianos visitare non posset, eum in sede quadam ad eos visitandos deducebant. Fuit nota et Conimbricae et Goae (ubi primum Missae sacrificium celebravit) ejus probitas, quae felicem hunc exitum promeruit et in brevi consummatus tempora multa explevit.

529. Pater Joannes de Beyra, qui aliis praeerat in insulis Mauri, in quibus magno cum labore suam operam illis gentibus impendebat, in gravem incidens morbum, Malucum delatus est. Variis gentibus et linguis insulae Malucae habitatae sunt; coelum est temperatum, et major pars insularum salubri coelo et fertili etiam solo fruitur; sed ipsa frigiditas [1] in pauperatem indigenarum cedit, quia agriculturae laborem ad vina, et frumenta, et alios fructus colligendos non impendunt. Quamvis ipsi gentiles essent, sectam Mahometi nihilominus admiserant non pauci, et quia unicam tantum arcem Rex Portugalliae in insula Ternate, quam Malucum vocant, habebat, nec poterat admodum late ejus favor patere ad novos christianos protegendos, ideo minus eorum multitudo crevit; qui enim convertebantur, statim propter Christum a saracenis persecutionem pati incipiebant, et propter eorumdem timorem multi ad christianam Religionem non accedunt, quia ad eos defendendos arma lusitanorum procul esse vident. Ubi autem frui possunt lusitanorum favore intra sexaginta vel septuaginta leucas, multum proficitur, tam in reducendis gentilibus ad

---

1 Non clare liquet an *frigiditas* an *fertilitas* scriptum sit.

fidem, quam in eisdem ac eorum filiis docendis, et a gentilibus ritibus revocandis; et si non timerent fortunis spoliari a suis regibus, multo plures essent conversi.

530. Ex his regibus quidam, qui alios potentia antecellit et amicissimum se Lusitanis ostendit, Rex est Ternatis sive Maluci (nam ea insula Ternate, quia inter Malucas primas tenet, Maluci nomine censetur), qui publice dixit, velle se filium quemdam suum christianum facere. Hic ergo ad arcem Lusitanorum veniens, cum praeside et Patre Joanne de Beyra locutus, afirmavit velle se quod promiserat implere, et quod ea de re vellet ad Regem Portugalliae et Gubernatorem Indiae scribere; et ab eis petebat, ut et ipsi scriberent, ut aliqua quae ipse postulabat obtineret. Erat etiam aliqua spes de primogenito ejus filio ad christianam fidem adducendo, quem facile subditi sequerentur. Volebat autem Rex filium suum ad nostrum Collegium Goam dimittere; sed quia classis nulla eo anno proficiscebatur, id distulit, in sequenti cum nobilibus aliquot adolescentibus eum missurus. Jam hoc anno Indiae Gubernator litteras miserat, quibus hunc filium Regis Ternate omnibus praeficiebat, qui ad Christum converterentur, et auxilio patris ejus ac lusitanorum subigerentur, et hactenus conversi essent, dummodo christianus ipse fieret; quod si primogenitus Regis ad fidem christianam etiam converteretur, petebat Rex Maluci gratiam a Rege Portugalliae ipsi concedi, ut ipse praeesset omnibus, qui in posterum converterentur, minor autem omnibus, jam conversis.

531. Erat in ea civitate Maluci cum Patre Joanne de Beyra frater Nicolaus et cum se ab infirmitate refecit Pater Joannes, lusitanis viris, eorum uxoribus, filiis, et familiis, ac servis perutilem operam impendebat, diversis concionibus pro eorum captu eos instruens, prout Pater Franciscus Xavier praecedenti anno fecerat. Et non parum recreabat Joannem quod foeminae neophytae sacramentorum Confessionis et Communionis capaces se exhibebant; et lusitanorum uxores, quae indigenae erant, cum suis consanguineis ac ejusdem patriae personis non parum elaborabant, ut ad Christi religionem eas adducerent. Sed et Nicolaus, dum legere et scribere, et grammaticam etiam cum bonis moribus pueros docet, et quidem magno cum fructu, sublevatum ab hoc onere Patrem Joannem

liberiorem ad praedicationem et confessiones et discordiarum conciliationes relinquebat.

532. Lusitani saeculares, dum per has insulas Malucas sua negotia conficiunt, indigenas earum non paucos ad Christi fidem adduxerunt, et baptismum etiam petentibus impenderunt; sed quia sacerdotes secum non habebant, et ipsi rebus nauticis et militaribus potius quam doctrinae tradendae apti erant, sine ullo doctrinae christianae praesidio eos reliquerunt. Inter hos et Macazares nonnulli, et caelebes, et ex aliis insulis exstiterunt; itaque ea messis parata admodum erat, si Dominus operarios in vineam suam mittere dignatus esset, quos tamen maturos esse moribus ac spiritu omnino opus est. Ut hujusmodi homines posset Pater Joannes invisere ac docere, petiit a Patre Francisco ut Regi Maluci scriberet (quia ipsi amicitia conjunctissimus erat) ut navigia nostris ad hunc usum necessaria subministraret.

533. Alloquutus est eumdem Joannes nomine Patris Francisci Xavier ut bona quaedam sua ad instituendam domum puerorum, qui in christiano catechismo instituerentur, applicaret; qui, cum hujusmodi pium opus ei proponeretur, laetissimo animo omnia sua obtulit bona ad institutionem hujusmodi Collegii, ubi christianorum filii legere et scribere et quae ad aeternam salutem necessaria sunt discere possent; et horum bonorum fructus administrari a Societate nostra voluit ad usum praedicti Collegii; quod si Societas nollet hoc onus admittere, tunc confraternitati Misericordiae eamdem administrationem ad usum Collegii praefati relinquebat, ut scilicet simplices et doctrinae indigentes victu et vestitu et doctrina institui possent, tam qui ex eadem insula quam qui ex aliis ad Christi religionem accederent; et novam quamdam domum ad id deputavit; quamvis, si quae alia aptior inventa esset, transferendi Collegium in illam facultatem reliquit; et jam hoc ipso anno aliqui pueri christiani ex insulis Mauri, et quidem ex nobilioribus illius regionis, in novum hoc Collegium admissi cum suis servis fuerunt [1].

---

1 Res in India hoc anno gestas, quarum breve certe compendium texuit Polancus, continentur Xaverii, Lancilotti, Joannis de Beira, Henrici Henriquez et aliorum litteris hoc anno et sequentis initio in Europam missis; quarum aliquas nondum editas cum

534. Hoc ipso anno 1549 in Insulam Ormuz, paulo ante Patris Francisci discessum ex insula Goae, Pater Gaspar Franciscus missus est. Voluit illi quidem Pater Franciscus gubernationem Collegii Goënsis et aliorum ex nostris, qui in India versantur, committere; sed cum ille onus hujusmodi, tanquam suis humeris impar, sibi non imponi impetrasset, in praedictam insulam, qui peccatorum multitudine et doctrinae penuria valde laborabat et sexcentis leucis Goa distabat, Patrem Gasparem dimisit, libenter ipse eo iturus, nisi Japonensis missio ipsi suscipienda visa esset. Adjunctus est socius Raymundus Pereira, et in navi dominicis diebus concionabatur, et quotidie servos utriusque sexus et pueros catechismum docebat, litanias noctu, et Salve Regina diebus sabbati, cantabat; et cum in ipsa hebdomada sancta processionem puerorum flagellis se caedentium instituisset et multas confessiones audivisset, is fervor saracenos, judaeos, et gentiles, qui in eadem navi versabantur, in magnam admirationem adduxit et aliqui ex eis ad Christum conversi sunt. Duos menses in ea navigatione cum magna fame et siti et periculis consumpserunt; pluvia tamen e coelo missa ubertim et caricis ex maritimo quodam loco Arabiae felicis (Chalayate dicitur) collectis, prae-

---

nos edemus, indicarum vocum, quibus scatent, rectam scribendorum rationem et sensum dabimus, plura etiam geographica, quoad ejus fieri poterit, elucidabimus. Tunc enim, postquam illas litteras viderit, breviori multo declaratione ad illa recta intelligenda diligens lector indigebit. — Ignatius Francisco Xaverio, de Antonio Gomez a munere alios regendi removendo, de rebus Portugalliae, de impedimentis, quae ne Henricus Henriquez et alii duo in Societatem cooptarentur obstabant, 11 Novembris; Polancus, *ex commissione*, eidem, de iisdem impedimentis, eadem die; idem Patri Cosmo de Torres et Paulo Japonensi; idem Francisco Xaverio, eadem die, de uno caeteris praeficiendo ubicumque sint duo vel plures, de mediis propagandae in India et Japonia Societatis, de collegiis, de studiis, de novitiis, de dimittendis; Ignatii patentes litterae, quibus Xaverium Provincialem constituit *Indiarum Regis Portugalliae*, Brasilia, Africa, Aethiopia exceptis; idem eidem de Goënsi Episcopo, de fratre Vincentio, et de indulgentiis, 11 Novembris. — Ignatius Nicolao Lancilotto, eadem fere quae Xaverio, et se precibus commendat Antonii Criminalis et aliorum; idem Vicario Coccinensi, officiose, eadem die; Polancus Lucae Giraldi, Ulyssiponem, harum litterarum fasciculum ei mittens et ut in Indiam tuto transmittendum curet injungens, eadem die; Ignatii Francisco Xaverio, patentes litterae, ut possit aliis facultates Societati concessas communicare, mense Decembri 49; similes Rectori Goënsi; idem Episcopo Coccinensi, ei gratias pro beneficiis in socios collatis agens, de facultatibus, quas Xaverio et aliis mittit earumque usu, de mittendis Roma et ex Portugallia in Indiam, 24 Decembris; Polancus, *ex commissione*, fratri Vincentio, eadem fere scribit, quae Ignatius Episcopo, eadem die 49.

senti necessitati, Deo propitio, consuluerunt. Cum in aestu gravissimo, concionum et confessionum laboribus die noctuque conficeretur Pater Gaspar (vix enim tres horas quieti noctu impendebat), non paucis exhortationibus amici eum ad moderationem adducere nitebantur; sed charitas et hominum necessitas et ipsa experientia, quod ex laboribus, qui alibi distrahere solent, ibi potius spiritus collectio sequebatur, consuetas exercitationes remittere non sinebant. Pervenerunt Maschatem, quod oppidum est in maritima ora Arabiae felicis, ubi complures Lusitanorum invenit, qui inter saracenos decem et duodecim annos sine peccatorum confessione vixerant. Ibi bis concionatus est, Gubernatore ejus regionis et aliis multis audientibus, et, absoluta concione, ad confessiones audiendas illorum hominum, qui in extrema spirituali necessitate constituti videbantur, invitatus est; et rogatu Gubernatoris, navis praefectus diem unum amplius quam statuerat ibi commoratus est, ut confessiones plurimorum Pater Gaspar audire posset. Concubinae multae, matrimonio alibi conjunctae, separatae fuerunt; usurae plurimae, quas cum saracenis exercebant, sublatae.

535. Ormuzium deinde pervenit, quod regnum est in sinu persico Arabiam a Perside dividente constitutum. Bazora, ubi modo turcae resident, regni caput est; sed in ipsa civitate Ormuz Rex habitat, qui potentissimus esse solebat. Civitas est populo frequens, et inter ditissimas orbis numeranda; unde accidit ut vitiis ac peccatis nulli cedat. Est hoc regnum prope Babyloniam, quae Bageda nunc dicitur, quam turca a Soldano Babyloniae cepit, quem modo Chateamas vocant et Persiae dominatur. Tam validus est aestus Ormuzii, ut Minae [1], Ghineae, insulae Sancti Thomae, et Melindae, cum sint sub aequinoctiali, multo minores aestus patiantur; quod exhalationibus, quae ab inferiori parte siccae et aridae insurgunt, adscribitur; nam tota ea insula sal est, quo tamen saliri nihil potest, quin corrumpatur. Gemmarum fodinas habet, arbores fere nullas, nec herbas; nec aves ibidem aluntur, nec animalia quadrupe-

1 Sic clare in mss.; quae autem regio sub aequinoctiali coelo posita isto vocabulo designetur non reperimus. Nisi forte mendum sit pro *binae Ghineae*, scil., *nova* et *vetus*.

dia; nec ullus aquae dulcis fons ibi est; homines die noctuque in aestate in magnis vasis aquae versantur, vultu tantum ab aqua stantes; salubris tamen est ille locus, forte propter sudorem, quo mali humores diu noctuque expelluntur. Contremuit ad adventum Patris Gasparis ea civitas validissime, cujus occasione in suis concionibus homines ad poenitentiam excitavit. Emporium ibi est celeberrimum; foenoris usus nimius; qui decem ducatos habet, ex illorum fructu per totum annum vivit. Ter singulis hebdomadis concionabatur Gaspar et quotidie fidei rudimenta pueros cum servis docebat, quos bis per plateas quotidie cymbalo in ecclesiam convocabat. Initio bis fuit a saracenis saxis petitus, et luto aspersus; sed postea, cum ad restitutiones maximas christianos movisset, quas saracenis, et judaeis, et gentilibus ex aequo faciendas praedicabat, carus etiam eisdem saracenis esse coepit, quorum multi a sua dementia resipuerunt; et cum eum pauperi ac vili cultu indutum viderent, pretiosas ei vestes obtulerunt, quas tamen ipse repudiavit, paupertatem se diligere contestans; disputabat diebus sabbati in sinagogis cum judaeis, qui eum Zachariae filium appellabant; nec sine fructu disputationes cum illis fuerunt ab eo institutae. Praefecto et lusitanis tam acceptus erat ut etiam infideles in gravioribus negotiis, quae cum praefecto arcis habebant, nullum aliud perfugium quam Patrem Gasparem habere viderentur. Distat Ormuz unius mensis itinere Hierosolymis. Versantur ibi turcae, rutheni, poloni, et brachmanes, guzaretes etiam, qui olim gedrozii dicti sunt, abexini etiam, qui christiani sunt sub Rege Aethiopiae. Erant et aliqui ex judaeis, qui expulsi ex Hispaniis Venetias et inde Ormuzium penetrarunt, inter quos quidam, Salamon nomine, in veteri Testamento valde exercitatus erat, cum quo crebro Pater Gaspar disputabat. Sunt et armeni, qui, quamvis christiani sint, saracenorum vestibus et cidari (*turbante* vocant) utuntur, et variis linguis loquuntur, et ubi se in aliquam regionem conferunt, ad ejus morem et cultum plus satis se accommodant. Duo ex eis intempesta nocte ad Patrem Gasparem venerunt, rogantes ut fratrem morti vicinum viseret. Eadem hora cum eis profectus hominis confessionem audivit, qui paulo post eam peractam exspiravit et in consecrato loco sepultus est.

536. Jogues, qui eremitarum nostrorum vitam imitantur, magno ibi in honore habebantur, imo et a plebe adorabantur. Habitant illi extra urbem in speluncis sub terram penitus demersis; corpus suum et cibum, quo vescuntur, semper cinere aspergunt; rogati causam, quare id faciant, respondent quod et ipsi ex cinere sint. Sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti divinitatem agnoscunt, et disputatione atque exhortatione Patris Gasparis valde commoti sunt ut caeteris in rebus etiam christianam Religionem sequerentur. Differebant id tamen, quia quemdam a se spectari dicerent, qui summam apud eos auctoritatem habebat, ut cum ipsius consilio ac voluntate christiani fierent. Hi Jogues, cum esuriunt, propius ad moenia civitatis accedunt, nec tamen eam ingrediuntur, et tamdiu cornu pulsant, donec aliquis cibum afferat, quo vescuntur; nec interim eis licet, ea quae superant, in sequentem diem reservare.

537. Praefectus arcis cubiculum in hospitali conficiendum Patri Gaspari curavit, cum tecto pro more illius gentis aperto, nam aestate super tecta illi dormiunt. Tam frequens autem hominum concursus ad eum confluebat, vel confessionum vel consiliorum capiendorum gratia, ut a primo mane usque ad vesperam, eum vix unquam relinquerent. Cum concionari coepit, ingens populi multitudo convenit, et multis cum lacrymis eum audiebant, et, quibusdam auditis concionibus, magna mutatio in populo est consequuta. Cum enim eo venit, tam corruptos mores hominum invenit, ut quodam modo videretur aliud vix effecturus, quam ut eorum defleret spiritualem ruinam; sed Dei verbum intime eorum animos penetravit, qui potius ignorantia, et ob permixtionem christianorum cum infidelibus (in eadem enim domo et mensa christiani cum saracenis, judaeis, et gentilibus versabantur et, quod magis deflendum erat, complures christianorum filii, qui matres saracenas habebant, earum perfidiam sequebantur) peccabant. Et ea vitia, quae prius non magna videbantur, postquam in concionibus reprehensa graviter audierunt, ab eis magnopere abhorrebant; et tam christiani quam infideles ea et reprehendunt, et in publico perpetrare non audent. In sacramento Confessionis praecipuus fructus capiebatur; plurimas enim Pater Gaspar diu noctuque audiebat, cum multis poenitentium lacrymis,

e quibus aliqui se flagellis in porta ecclesiae Dominicis diebus Missae tempore caedebant, quod et terrorem populo incussit, et ad publicas ac secretas poenitentias multos cum magno fervore excitavit. Usurae, quae subtilissimae et tamen communissimae christianis et infidelibus erant, relictae sunt; et jam subtiliter de contractibus ad eas evitandas inter mercatores disputabatur; et si quis talem aliquem contractum facere vellet, alii eum impediebant. Attoniti homines talem mutationem mirabantur; et quia ad aegrotantes potius quam ad sanos, confessionum audiendarum gratia, se conferebat, fuit quidam copiosus homo, qui se aegrotare simulavit ut ad ipsum accederet; et ad ejus pedes se projiciens multa millia ducatorum cum mercimoniis, domibus, navibus, et servis utriusque sexus, et corpus etiam suum in ejus manibus posuit, tantum ab eo petens ut animae ipsius saluti consuleret, paratus omnium detrimentum facere, si opus esset, et in corpore etiam graves poenitencias subire, ne anima ipsius periret. Et tam parati erant alii ad restitutionem ut, si decem deberent, ad viginti solvenda parati essent, et se nunquam ad id usque tempus confessos esse affirmabant. Admirabundi hoc spectaculum saraceni et gentiles intuebantur; ex quibus non pauci commoti fuerunt ad fidem christianam suscipiendam. Judaei fatebantur quod lex ipsorum usuram prohibet, et ab ea recedebant; alii infideles quod non solum venisset Gaspar propter christianos dicebant, sed etiam ut omnes legem naturalem doceret; et cum de discessu ejus audivissent, aegre admodum ferebant. Quidam viri honorati, et aliqui etiam sacerdotes, qui in peccatis erant, differebant confessionem, donec Gaspar Ormuz discessisset; quod cum ille intelligeret, aliquos eorum aggressus est, inter quos cum unus ei fuisset confessus et injunctam sibi poenitentiam faceret, vidit cubiculum ingredientes multos feles, et mures, et res alias nigras, et tanto in numero ut domum fere totam implerent, et sic eum affligebant, ut timuerit ne corpus simul atque animam suam raperent; et cum in afflictione ad Christi imaginem, clamans ut se juvaret, cucurrisset, statim omnia illa animalia tanto cum strepitu recesserunt, ut videretur domus ruitura; ille vero liber mansit et sanctam vitae rationem instituit. Sic alii, qui eum prius fugiebant, relictis concubinis, post confessionem multis cum lacrymis peractam,

resipiscebant; et in hujusmodi concubinis expellendis et in peccatis, quorum excommunicatio in bulla *Coenae* reservatur, sicut etiam in blasphemiis et publicis dissolutionibus relinquendis, insignis fuit a Domino facta mutatio. Milites initio, vulnerando et injuria afficiendo alios pacificos, multum impedimenti operi ei adferebant; sed et ipsi postea vitam emendarunt; et multi viri honorati, relictis inimicitiis ac mutuo veniam petendo in porta ecclesiae, in amicitiam mutuam redierunt.

538. Cum etiam alii ex his militibus ad arcem quamdam illius regni, monagianum vocatam, quam in Perside hostes occupaverunt, ad eam recuperandam essent destinati, confessionem facere recusarunt; quibus, cum Pater Gaspar diceret se illis timere Dei vindictam, omnino sic accidit; quia in obsidione multi, saeviente aegritudine inter eos in pestis modum, brutorum in morem perierunt, cum ne esset quidem qui cadavera sepeliret; alii fere centum vulnerati, et alii aegrotantes, vociferantes Patrem Gasparem, ad eum Ormuzium se deduci curaverunt, et confessionem quam prius detrectaverant, petierunt; fere centum ex eis obierunt, prius tamen multis cum lacrymis confessi; nihil enim magis se velle quam confiteri, et deinde et ad mortem se paratos esse. Coepit ergo ille gravius aegrotantes audire diu noctuque, et mensem integrum eorum confessionibus audiendis impendit. Et arx illa, quam non potuerant cum sua superbia expugnare, Deo juvante, postea lusitanis restituta est.

539. Magnum etiam auxilium aegrotantibus ad valetudinem recuperandam impendit, et morientibus utilem operam praestitit. Super septingentas confessiones sex menses audivit; et quia multis annis ab eo Sacramento plurimi abstinuerant, tanto major spiritualis utilitas est consequuta. Et hi multi, qui morituri videbantur, simul atque confessi sunt, sanitatem recuperarunt, et alii ex variis morbis, licet non lethalibus, liberabantur; unde merito vim hujus sacramenti homines admirabantur, cum prius eos irriderent, qui ad confessionem et communionem accedebant; et satis multi, ut octavo quoque die ad hoc Sacramentum accederent, adducti sunt, quos exemplo praeivit ipse arcis praefectus, qui post generalem confessionem, octavo quoque die eas coepit frequentare, et in eleemosynis ac pietatis operibus Deo multum inservire; multum etiam

reverentiae in officiis divinis homines exhibere et sacerdotes Domini venerari coeperunt. Diebus Dominicis mane populo concionabatur, et quotidie a prandio servis utriusque sexus, ac pueris, quos, incedens per civitatem cum tintinnabulo, ad doctrinam christianam audiendam adducebat, et tam multi alii confluebant ut vix eos templum caperet.

